SCRIPTORVM PVBLICE PROPOSITORVM

à Gubernatoribus ſtudiorum in Academia VVitebergenſi.

TOMVS QVINTVS.

COMPLECTENS TEMPVS à 15 Calend: Octobris, quæ eſt dies Lucæ Euangeliſtæ, Anni 1561. uſq; ad eundem diem Anni 1563.



VVITEBERGÆ
Excuſus in officina Iohannis Lufft.
Anno M. D. LXIIII.

INCLYTIS

ET GENEROSIS DOMINIS, DOMINO SIGISMVNdo Ludouico, & Domino Sigfrido fratribus, antiquæ stirpis ex Austria liberis Baronibus à Polhaim & VVartenburgk &c. Et horum Consobrino, Domino Erenreich à Scherffenbergk &c. Baroni, Dominis ac Patronis suis Clementissimis.



QVOTIES mecum repeto historiam certaminum & periculorum, quæ hæc Academia inde vsque à motis de religione disputationibus sustinuit ac superauit, agnosco consistere eam non potuisse, nisi adiuta,

ſeruata, defenſa & inſtaurata fuiſſet diuinitus. Quantam enim ab hoſtibus Euangelij vim armis atq; ſcriptis illatam? quantas eſt perpeſſa inſidias? Ab Apoſtatis verò & ingrata ſobole, quorum aliquos auaritia, aliquos ambitio, nonnullos iniuſta odia compulerunt ad molitiones atq; conatus hoſtiles, & vim faciendam veritati, pro qua hæc Schola ſtetit ac depugnauit, Ab his ergò quanta ſæuicia & immanitate eſt lacerata? Quin & bello ac morbis peſtilentibus diſſipata, cùm iam videretur interitura eſſe funditus, omnium opinione citius ſeſe rurſus erexit, & quidem ſucceſſu tàm læto ac proſpero, vt à diſſipationibus plærumq; conuenerit frequentior.

Inter

Inter hæc tanta pericula ſeruatam atq; protectam domi, & ab exiliys ad ſedem ac patriam priorem reductam eſſe, non ſapientia aut conſiliys humanis, ſed ſolius Dei benignitate & auxilio, certum eſt, qui & viros tribuit huic Academiæ cùm eruditione excellentes, tùm in publicorum ſtudiorum curam ea fide & affectiõe incumbentes, quaſi ſi quis ſuo quid loco negligeret, id in detrimentum vniuerſæ ſit Scholæ ceſſurum, & aduerſariorum artibus ac ſcriptis impulſos hominum animos ſæpeq; nutantes reflexit huc atq; confirmauit, & in perniciem huius Scholæ æmulatione, aut odiys ſtructa ad eum modum peſſundauit atq; eliſit, ut in ipſos redundarint autores.

Meritò ergò hæc tanta beneficia agnoſcimus & celebramus verbis, Etſi nulla exhauriri oratione poſſunt. Vtinam Deo autori non verbis tantùm, ſed vera animorum pietate, & alijs ſanctis ac neceſſarijs officijs gratitudinem declararemus maiorẽ, qualia efflagitat hæc ætas maximé, quæ diſciplinæ laxatione nimia, quam à bellis ciuilibus & diſſidijs docentium extitiſſe, in confeſſo eſt, res perduxit eo, vt collabi & interire cum pietate ac diſciplina doctrinas omnes, & fœdam tetramq; barbariem obruere hæc vniuerſa neceſſe ſit, niſi ſingulari beneficio rebus labãtibus Deus ſuccurrerit, et ſtudia ac ſedulitatem adiuuerit & rexerit eorum, quibus

curæ

curæ est artes & disciplinam tueri. Difficultates enim atq; impedimenta video obiici maiora multò & plura undiq;, quàm olim, cùm res adhuc essent integræ, Nec fatalia dissidia publicè animos distraxissent, nec scholarum autoritas insectantib. malitiosis labefactata esset.

Hac in parte quantum laborent ac desudēt Academiæ nostræ Professores, vt notum fiat omnibus, libenter et quanta possum diligentia, colligo Scripta publica, quæ gubernationis morum & studiorum formam atq; exempla exteris etiam ostendunt. Ea hoc etiam nomine prodest extare, vt refutentur iniqua et falsa nonnullorum de nostra Academia iudicia, qui cùm alia nobis

ratione nocere nequeant, id agunt, vt calumniosè detrahant gubernatoribus Academiæ curam formandi mores adolescentiæ, & regẽdi disciplinam. Hanc desiderari non posse, testabuntur ad exteros hæc scripta. Cæteris qui quotidiè quæ fiunt, spectant, & audiunt, testimonijs opus non est.

Sed fateor nostram etiam gubernationem esse languidiorem, vt fato quodam mundi senescentis omnes aliæ, vbiq; locorum laborant plurimum, eius rei apud nos non minima causa est, ingeniorum, naturarum, gentium diuersitas, ac dissimilitudo. Sæpè etiam huc mittuntur adolescentes domestica parentum educatione, quæ delicatior

& indulgentior fuit, corrupti. Tales cohercendo assuefacere, vt Præceptores vereantur, qui parentum autoritatem contemnunt, difficile est. Neq; vno exemplo didicimus, quantum hac in parte parentes interdum peccent, cùm ne tunc quidem, vbi in Academijs filios alunt, ferre possint, vt à priuatis Pœdagogis hi paulò sœuerius regantur. Nihil prætermitti tamen aut negligi, quod ad honestatem ac tranquillitatem spectat publicam, & singulorum commoda, res docet. Confidimus autem DEVM, qui aliquoties restitutam Academiam hucusque non fouit solùm benignè, & aluit, sed auxit etiam atq; amplificauit: Porrò adfuturum esse &

opitulaturum pijs ac ſedulis Præceptorum conatibus. Quare & gratias ago Deo æterno Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, quòd illuſtrari hactenus ac propagari omnium doctrinarum partes in hac ſchola, & ipſam ſapientiæ ac virtutum officinam eſſe voluerit, & oro eum toto pectore, ne in poſterum etiam in his nidulis doctrinarum lumen & honeſtorum morum atq; virtutum exercitia ſinat extingui. Regat etiam & fortunet docentiū & gubernantiū labores, ne ſint irriti, ſed proſint plurimis in hoc cœtu, in quo non dubium eſt, plurimos eſſe vaſa miſericordiæ, & electa ac ſalutaria organa. Cumq; ſcriptum ſit: Labor veſter non erit inanis in Domino,

confido

confido & vota precesq́, & labores noſtros conſequuturos eſſe optatos ſucceſſus.

CVM autem nunc editurus eſſem Scripta, quæ hoc proximo biennio fuerunt propoſita, & Patronum his quærerẽ, nullum inueni alium, quem vobis, Generoſi et Inclyti Barones, præferrem, qui in hãc Academiam propter ſtudia pietatis miſſi, exemplis diligentiæ, modeſtiæ, pietatis & omnium aliarum virtutũ ordini veſtro conuenientium decus & ornamentum eximiũ cœtui noſtro adiungitis, & legum publicarum autoritatem ſtabilitis. Mouent .n. exempla, quæ in oculos incurrũt, ingenia nõ prorſus fera aut diſtorta, efficacius multò, quam interdicta legum, quan-

quantumuis ſeuera atq; aſpera, aut pœnæ. Quamobrem cùm ornari vos viciſsim honoreq; affici ſingulari præ reliquis cõueniat, Idcircò, quale ſit ac fuerit ſemper gubernatorum ſcholæ iudicium, de præſtãtibus ingenijs & virtutibus veſtris, quàm præclarum, oſtenſum eſt ſæpè, ac declaratum multis illuſtribus argumentis publicè.

Mei verò erga vos ſtudij, obſequij, & obſeruantiæ teſtimonium horum ſcriptorum publicatione ſub mentione nominis ueſtri edere uolui. Quod ut pro ueſtra benignitate, gratum uobis eſſe, acceptumq; patiamini, ſubmiſſè ac reuerenter oro.

Datæ VViteberg æ Anno 1563. qui eſt Annus operæ publicæ in hac

hac Academia meæ 16. vertens, 6. Idus Decembris, quo die ante annos quingentos octoginta OTTO SECVNDVS, PRIMI filius, TERTII pater, ventris profluuio extinctus est Romæ, & conditus monumento Porphyretico in Vaticana.

Vestræ Generositati
addictiss.
Michaël Maius Noribergensis, Academiæ Minister.

ANNO 1561.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Georgius Maior S. Theologiæ Doctor.



T Academiæ huius erat futurus est, DEI beneficio, Natalis sexagesimus, & annus meæ in hac consuetudinis quinquagesimus, uitæ uerò propemodum etiam sexagesimus. Pro utroq; autem beneficio publico et priuato, omnipotenti Deo æterno Patri Domini nostri IESV Christi toto pectore gratias ago, quòd & hanc Academiam, ex qua primùm lux purioris doctrinæ effulsit, inter multiplices aduersationes et bella, tùm externa tùm domestica, addo etiam inter Sonticos morbos, quibus hæc regio sæpè infestata fuit, tot annos contra Diaboli rabiem & uenenatos afflatus, c ontraq; potentum odia & Sycophantarum calumnias & allatrationes clementer protexerit, & in hac puritatem doctrinæ Euangelij annos iam quadraginta quinq; (tot enim sunt ab initio ministerij Lutheri) aduersus omnes corruptelas integram (hoc n. fateri necesse est, etiamsi rumpantur odio Apostatæ

nostri & calumniatores) benignè conseruauerit, & umbra manus suæ nos omnes protexerit, ut plantaremus cœlos, quemadmodum in Propheta dicitur. Deinde cùm DEVS, sicut scriptum est, sit uita nostra & longitudo dierum, meo priuatim nomine ei gratias ago, quòd non solùm uitam mihi usq; ad hanc infirmam senectam meam, inter uarias ærumnas, priuatas & publicas, paterna bonitate prorogauerit, sed potißimùm etiam in hac Academia, in qua ego & familiola mea, cuius bona pars ad cœlestem Academiam euocata est, fonteis puræ doctrinæ de DEI essentia & uoluntate, de Pœnitentia, de Christi beneficijs, de peccatoris ad DEVM conuersione, Iustificatione, noua obedientia, & uita æterna rectè didicimus, quòd, inquam, in hac Academia potißimum uiuere nos uoluerit.

Verè enim hoc mihi beneficium pluris esse profiteor omnibus mundi thesauris, quorum usus non modò nullus est, sed est etiam pernitiosus sine uera DEI agnitione, & fiducia Filij eius Iesu Christi Domini & σωτῆρος Ecclesiæ. Horum tantorum DEI beneficiorum & publica & singulorum priuata recordatio, quò esset celebrior, instituto & more maiorum receptum est, ut crastinæ diei tempore matutino, quo Academia

demia ante annos sexaginta, primùm in hoc oppidum pompa celebri introducta est, in cõgressu solenni, & gratiæ agerentur DEO pro Ecclesiæ & scolarum conseruatione, Et simul, cùm usitatum sit gubernationis onera inter Collegas publicè docentes partiri, pijs auspicijs NOVVS ACADEMIÆ RECTOR eligeretur. Id sucrò antiquitas hoc ritu fieri consueuit, ut primùm in templum conuenirent Professores, unde peractis sacris precibus, postea ad Electionem procederent. Quem ritum cùm existimemus disciplinæ & asuefactioni iuuenutis ad pietatem aliquid momenti allaturum esse, Præcipimus Senatus Academiæ, & nostro nomine, omnibus Doctoribus & Magistris & scholasticis, ut CRAS HORA SEPTIMA matutina primùm ad communem DEI inuocationem & gratiarum actionem in nostro templo, quod est arci contiguum, conueniant, & unà nobiscum salutarem harum regionum Ecclesiæ, oppidi & Academiæ gubernationem DEO pijs precibus commmendent, & mitigationem publicarum & priuatarum calamitatum à DEO petant. Ac sciant se principaliter non tàm ad pompæ spectaculum, quàm ad precum & inuocationis societatem seriò conuocari. DEVM autem requirere hos cultus inuocationis & gratiarum

actionis addita dulcißima exauditionis promiſſione, Dominus ipſe teſtatur Pſal: 49. cùm inquit: Inuoca me in die tribulationis & eripiam te, & tu glorificabis me. Et 1. Theſſal. 5. dicitur: Inceſſanter orate, in omnibus gratias agite. Hæc eſt enim uoluntas DEI in Chriſto IESV erga nos. Quantum periculi, moleſtiarum & laborum ſit in omni uel magna uel parua gubernatione, quarum ſine DEO nulla fœlix eſt, oſtendit quotidiana experientia. Et ueriſſimè à Salomone dictum eſt: Vt oculus uideat, & auris audiat, DEVS facit utrunq;. Abſolutis igitur precibus in ciuſdem templi ſacrario, quod fœlix ſit & fauſtum, eligemus nouum Academiæ Rectorem ad ſemeſtre hybernũ, & in choro templi eum renunciabimus. Ad eam renunciationem omnes Doctores, Magiſtros, ſcholaſticos et alios Academiæ noſtræ alumnos conuenire uolumus, & præceptoribus mandamus, ut diſcipulos ſuos dicto loco frequentes adeſſe noſtro nomine iubeant, Vt ſciant, quem agnoſcere debeant Magiſtratum, cui meminerint ſe reuerentiam & obedientiam præſtare debere, iuxta diuinum mandatum, quo præcipitur, ut omnis anima ſublimiori poteſtati ſubdita ſit, & præſtet obedientiam, non ſolùm propter iram, id eſt, metu præſentium pœnarum, ſed etiam propter conſcientiam,

tiam, qua reatus coram DEO *æternarum pœnarum significatur, In quo tantum mali est, ut nihil horribilius cogitari possit. Est verò bonæ mentis non metu aliquo, sed sponte diligere & venerari magistratum & leges, quorum alterum sæpè auditis ordinationem, alterum sapientiam* DEI *esse.*

Pridie Lucæ Euangelistæ
1561.

ANNO 1561.

RECTORATVS CLARISSIMI ATQVE

pręstantissimi uiri, domini IOHANNIS SCHNEIDEVVEIN, Iuris utriusq; Doctoris ac Professoris publici, à die sancti Lucæ Euangelistæ 1561. usq; ad festum sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi Anni 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Schneideuucin, I. V. Doctor & Professor etc.

COmpleto uitæ spacio, eo, quod ab initio unicuiq; constituit iustum DEI iudicium, qui quid unicuiq; sit optimum longissimè prospicit, mors sequitur, sicut scriptum est: Posuisti terminum, quem non transgredietur. Hic alijs breuior, alijs longior est præfinitus, Vt alij iuuenes, alij senes moriantur. De quo cùm humana sapientia quærere incipit, hallucinari eam necesse est. Itaq; declamatoriè aliqui uitæ humanæ miserias exaggerantes, simpliciter pronunciarunt, si breuis ea sit, beneficium esse, & sicut græcum dictum habet, quem Dij diligunt,

eum

cum iuuenem mori, cùm & uita per se & longa uita, unum sit ex donis, quæ à Deo generi humano in terris conceduntur, præclarissimis, secundũ ἔντολὴν promissionis, Vt sis longeuus super terram, neq; enim communem cum brutis uitam uiuimus. alij in alteram partem exorbitantes mortem in omni ætate & conditione summum esse statuunt malorum omnium. De quibus quid dici possit, & quantum, solius Ecclesiæ doctrina explicat, inexplicabilia autem non scrutatur, atq; hoc modo uitæ etiam longæ & breuis terminos inexplicabiles, in Dei occultum iudicium & sapientiam immensam confert, σωφῶς καὶ βαθέως τὰ περὶ ἕκασον ἡμῶν προβλεπομένου, qui est uita nostra & longitudo dierum nostrorum. Ita heri euocatus est ex hac uita adolescens bonus & honestus PAVLVS VVOLFIVS Noribergensis, qui uitam apud nos peregit piè & uerecundè, & in studijs nostris ita est uersatus, ut expectationem de se concitarit optimam, & honestissimorum hominum liberalitatem meritus sit, qua in his est adiutus, uitam autem piam & honestam exitu etiam clausit pio & placido. Huic mortuo nostro funus fiet hodie hora duodecima. Itaq; hortamur scholasticos, ut ad deducendum hoc frequentes conueniant in angiportu, qui à cupro nomen habet, & hoc officium ul-

timum & æquali ſuo, & ſtudiorum communitate coniuncto & laudatiſſimæ Reipublicæ ciui, benigne præſtent. Sicut autem conſtitutum uitæ terminum nemo poteſt ſuperare, ita cauere uniuerſos oportet, ne ſua aliqua culpa de hoc ſibi præcidant, quod ſit non tantùm illis uitæ turpis hclluationibus & impuritate, ſed ea etiam, quæ in honeſtiſſimorum mores incidere ſolet, ualetudinis in uictu & cæteris, quibus hæc conſeruatur aut affligitur, negligentia. De quo pro noſtro officio & fide eos, qui ſunt hac in parte incogitantiores, admonitos breuiter uolumus, cùm pluribus non liceat in præſentia.

P P. 17. Calend. Nouemb. qua die hoc Anno Chriſti M. D. LXI. uertente Academia noſtra annum à fundatione ſua ſexageſimum ingreditur, Quæ ut deinceps etiam Eccleſiæ Chriſti & ſocietati humanæ utiliter inſeruire poſſit incolumitatem huius pijs precibus noſtris DEO commendemus, Amen.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

AGimus gratias æterno Patri Domini noſtri IESV Chriſti, quòd hactenus Academiæ

demiæ noſtræ mediocria Halcyonia tribuit, & ſtudia doctrinæ in ea clementer conſeruauit: Cùm quidem alibi turbarum non parum fuiſſe conſtet. Hoc ſingulare DEI beneficium gratæ mente agnoſcere omnes oportebat, qui ſtudiorum cauſa huc miſsi ſunt, quemadmodum facere bonos non dubitamus, Sed aliquos in tanta multitudine, non tantùm ſtudiorum doctrinæ neglectores, ſed etiam uirtutis, legum & diſciplinæ contemptores, & tranquillitatis, quam ſtudia requirunt, turbatores improbos reperiri, ualdè dolemus, quorum petulantiam coêrceri Reipub: cauſa neceſſe eſt, ſicut ſcriptum eſt: Tolle malum è medio tui. Vagantur aliqui nocturno tempore armati, & impetum faciunt in homines honeſtos, & uulnerant eos, à quibus nec uerbis nec factis læduntur, pileos etiam & ueſtes ui eripiunt. Talia furta & latrocinia in honeſta ciuitate tolerari, flagitioſum eſt. In quibus puniendis, ſi fuerit neceſſe, etiam Illuſtriſsimi Principis Ducis Saxoniæ Auguſti Electoris, domini noſtri clementiſsimi opem & auxilium implorabimus, Etſi non dubitamus etiam oppidanum Magiſtratum ſuo officio non defuturum eſſe. Nunc delatos ad nos duos ſcholaſticos N. N. & N. N. quos ſeſe ſubduxiſſe & latere comperimus, ad dicendam cauſam in Senatu Academiæ uocamus, ac

peremptorie citamus, ut ſeſe nobis ſiſtant in noto loco conſiliorum publicorum, ad diem ultimum huius menſis, quæ eſt pridiana Calend. Ianuarij, hora duodecima, ibiq; ad ea, de quibus accuſati fuerint, ut reſpondeant. Quod ſi non fecerint, nos tamen etiam in contumaciter abſentes ſtatuemus exemplum ſeueritatis debitæ. Reliquis præcipimus, ut ſint modeſtiores & tranquilliores, nec turbent petulantia ſua piorum hominum in Eccleſia, Academia & oppido inuocationem & ſtudia. Filius Dei Dominus noſter IESVS CHRISTVS clementer nos tucatur & regat, ut aliqua ipſi grata per nos fiant, & faciat nos organa ſalutaria Eccleſiæ & animabus noſtris. Die 9. Decembris, Anno 1561.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS Iohannes Schneideuuein I. V. Doctor & Profeſſor.

GREgorius Theologus per Epiſtolam petit ab Helladio quodam, ut intercedat pro eo apud Deum precibus ſuis, quò ſi utile ſit, uita ei propagetur ad diem feſtum Paſchatos, ut uidetur, qui tum inſtabat. Sin minus, ut transfe-

transferatur eò, ubi uerum Pascha uidere & celebrare posit, ἔνθα εὐφραινομένων πάντων ἡ κατοίκια, & addit causam his uerbis: πῶ γὰρ τὸ θίου τροφῶν κεκορέσμεθα. Ità cùm se componeret ad celebrationem feriarum instantium, quibus colitur memoria nati in terris de Virgine IESV CHRISTI Filij Dei, quando in carne nostra homo apparere cepit, cui festiuitati propterea θεοφανίας nomen impositum fuit, Ad huius igitur celebrationem cùm se componeret optimus & doctißimus uir Magister GEORGIVS THYMVS, non fuit ei producta uita eò usq;, sed heri, id est, quatriduo antè, ex hac euocatus, nunc cum lætiore Ecclesia γενέθλια Christi celebrat. Natus hic fuit in urbe Ciccauia, quæ in limite iacet terræ Misniæ eo, qui ad Elistrum est. Nam regio Misnensis, quæ est illustrißimæ familiæ ducum Saxoniæ terra auita uel patria potius antiquißima, cuius Marchiones illi sunt, quasi αὐτόχθονες quidam, Hæc igitur occasum uersus ab ijs locis, quæ incoluisse putantur Narisci ueteres, & hodie Voitlandiæ sunt, dirimitur Elistro fluuio, citra quem etsi longiore interuallo, & ad pass: circiter 20. Mill: Cycnæa iacet, illius tamen oræ in terra Misnensi, cum Nariscorum ueteri hic limes habetur & confinium, quorum uicini fuere Har-

re Harmunduri, & si ueriſimile eſt etiam eos, qui Tubanti in hiſtorijs appellantur, aliquando ibi ſedem habuiſſe. Hoc oppidum cùm tres Cycnos in inſignibus ſuis pingat, docti Cycnæam appellarunt, quod uocabulum & ad Germanicum nomen huius alludit, cuius alij alias origines comminiſcuntur. Fuit hæc Imperij quondam oppidum nobile, & Reſpub: huius potens multis eximijs ornamentis affecta ab Imperatoribus, in primis Henrico Aucupe, propter fidem & operam nauatam aduerſus externorum, Soraborum & Boemorum illa in parte, ut apparet, irruptiones, Contra quos arx hæc & munitio illis in locis fuiſſe uidetur. Noſtris autem temporibus ad priſcam laudem ſuã adiunxit hanc eximiam, quòd diſciplinæ politicæ cuſtos eſt fideliſſima, & literatæ educationis commoda procurat ciuibus ſuis, neq; enim artibus honos in hac urbe, neq; eruditioni præmia & ſubſidia deſunt, ac multis iam retro annis luculentum hoſpitium Muſis præbet Cycnæa, ut illa olorum inſignis huius uſurpatio benè ceciderit, nam has aues Apollini ſacrauit antiquitas, cuius ludus literarius inter cæteras in his terris antiquiſſimam celebritatem habet, & à diſcendi commodis & à diſciplinæ ſanctimonia & ſeueritate, in quo multi doctiſſimi uiri operam nauarunt, & docuernt in ea

Geor-

Georgius Agricola, & Iohannes Riuius, uiri clarißimi. Sed laudem & celebritatem ueterem illius non tantùm tutatus fuit, ſed etiam amplificauit atq; auxit Magiſter eius clarißimus PETRVS PLATEANVS, pietate & doctrina præſtantißimus uir, quo uiro illis temporibus hæ terræ non habuerunt magiſtrum et artificem magis induſtrium aut fœliciorem in educatione puerili, neq; inſtructiorem omnibus ijs, quibus ad hanc opus eſt. Ita hæc ciuitas multos uaria laude & dignitate præditos uiros produxit, qui in diuerſis Germaniæ locis Eccleſijs & Rebuspub: præclarè operam nauarunt & hodie nauant, in quibus eminent Gregorius Haloander, qui Iuris ciuilis libros emendatiores edidit, & Ianus Cornarius arte Medica, & utriuſq; linguæ cognitione & uſu excellens, quorum memoriam poſteritas, ſi qua futura eſt, celebrabit. In hoc igitur oppido, ut diximus, honeſtis parentibus natus fuit, & ex ludo huius prodijt hic Thymus noſter, cuius ea pietas, uirtus & doctrina fuit, ut & patria eum adminiſtrationi ſcholaſticæ in ludo literario ſuo præficeret, et cùm in urbe Goſelarienſi, tùm in ditione Generoſißimorum Comitum Stolbergenſium laudabiliter literarum ſcholis præeſſet, Nuper autem in Academiam noſtram, cuius uetus alumnus

mus est, ex Harciniæ ora reuersus, hic etiam doctrinæ studia pro sua parte adiuuit, & priuatam scholam aperuit, & ijs, qui eum audiuerunt usq; ad extremum uitæ diem, operam dedit. Cum enim ante aliquot menses quartana corriperetur, toto morbi tempore operas suas non intermisit. Iam autem cum febriles paroxismi non amplius recurrerent, & superato omni periculo conualescere speraretur, aluo astrictiore esse cepit, & heri hora tertia pomeridiana, cum κλυσμα expectaret, uomitu tentatus eiecit aliquid, & in secundo conatu huius, natura succubuit, uel concidit potius, pene subitò, ut inopinata morte decederet. Sed scriptum est: Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio est, Et ita est spectata pietas huius, cum in tota uita, tùm ultimo hoc tempore ipsius, ut dubium non sit, esse eum inter eos, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, Nam uitæ piæ exitus malus esse non potest. Fiet autem funus ei hodie hora tertia, ad quod deducendum scholasticos nostros hortamur. efferetur ex ædibus M. Sebastiani Matthæi, ijs, quæ ad Vallum sunt, quas incoluit, inter plateam nouam & angiportum Cupreum. Ad has igitur conuenientis, & de fragilitate uitæ & incerto tempore exitus ex hac nostri hoc etiam casu moniti, pietatem

tem ad Deum & homines excitari in nobis patiamur. P P. XI. Calend. Ian: Anno 1561.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ET Christus sæpè utitur similitudine sumpta ab Oeconomis, cùm proponit & commendat exemplum fidei ac diligentiæ in officijs uocationis, & Paulus Apostolus ostensurus quales sint & esse debeant Ministri Euangelij in Ecclesia, censeri habericq; uult cos ὡς ὑπηρέτας χριστοῦ καὶ οἰκονόμους μυστηρίων ἀυτοῦ, & id præstare, quod boni ac fideles præstant Oeconomi, ἵνα τις πιστὸς εὑρεθῇ, ut fidem quisq; probet suam, atq; industriam & sedulitatem Christo, qui est dux & caput Ecclesiæ, rectè docendo ac puritatem doctrinæ tuendo aduersus præstigias, & officia uocationis constanter ac firmiter propter Deum & propter communem utilitatem Ecclesiæ faciendo. Et quidem deducit ministros ad exemplum fidelium Oeconomorum, cùm inquit, τὸ λοιπὸν ζητεῖτε ἐν τοῖς οἰκονόμοις. Talem Oeconomum, qualem Paulus imitandum proponit ministris Euangelij, id est, Oeconomum diligentia, fide, industria, dexteritate

titate iudicij ac consiliorum, præstantißimum, ac Reipub. amantißimum, & simul uirum optimum atq; integerrimum fuisse uerè affirmamus Quæstorem Academiæ Vincentium Hasen. Dißipatas enim funesto bello Germanico penèq; perditas rationes Academiæ primus hic nobis hisce annis quindecim, non tantum magno studio, cura, labore atq; solicitudine, hinc inde conquisitas recollegit atq; restituit, sed & confusas explicauit, turbatas digeßit in ordinem, incertas confirmauit, & commoda atq; emolumenta publica, quibus potuit modis, adiuuit, proucxit & auxit. Nec tantùm rationes ipsi creditas fideliter administrauit, sed aliorum etiam onerum, ut gubernationis Oeconomicæ, ædificationum publicarum & procurationum similium necessariarum partem maximam sustinuit, ut uel ab his immunes nos cæteri ac liberi, uel saltem minus his occupati, uacare maiore cura & studio publicæ doctrinæ & operis scholasticis possemus. Deniq; consilia & cogitationes referebat ac dirigebat suas præcipuè eô, ut res publicas redderet meliores & auctiores uel cum periculo suo ac detrimento, Scilicet ut si hæ rectè constitutæ essent atq; instructæ, suppeteret, unde singulis consuli posset, cùm esset opus. Solebat enim dicere de publicis benè instructis semper aliquid depromi atq;

atq; conferri posse ad sananda detrimenta priuatorum: si illa laborarent, consistere priuata diu non posse. Solebat etiam multò antè prospectis calamitatibus publicis, quæ impenderent, ut famis & inopia rerum fruendarum, comparare necessaria, quibus si illa ingruissent, singulorum leuaret egestatem. Verè enim amabat hanc Scholam, cumq; conseruatam admodum cuperet, & beatam esse perpetuò ac florentem optaret, id meditabatur, inueniebat, agebat & urgebat, quod uel ad stabilitatem uel ad celebritatem ac frequentiam, uel ad decus eius atq; ornamentum conducere uideretur. Qualis uerò fuerit eius in gubernatione commissa iusticia, qualis erga nos singulos amor & quale studium atq; obseruantia: qualis erga subditos nostros affectio: quanta in elemosynarum publicarum distributione diligentia, quanta beneficentia priuata erga pauperes, quanta in nostris singulorum rebus procurandis conficiendisq; fides ac sedulitas, publicè notum est. Has uirtutes omnes, cùm in eo essent eximiæ, illustrabat tamen ac condecorabat insigni erga Deum pietate. Erat enim uerè pius & timens Deum, & ardenter inuocabat Deum assiduè in uera inuocatione & fiducia Filij Dei Iesu Christi, Domini & Saluatoris nostri, crucifixi pro nobis & resuscitati. Erat

assiduus in lectione, meditatione & auditione Verbi sacri. Hæc animi pietas præluccbat actionibus eius omnibus, & regula erat ac norma consiliorum & deliberationum, quas instituebat ac suscipiebat. Sæpè enim repetebat illud Psalmi: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Et illud Pauli ad Coloss: Omnia quæ facitis in sermone & opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Item Prouerb. illud: In omnibus uijs tuis consideres eum, & ipse diriget gressus tuos. Et quidem qualis fuerit eius uita antea, ostendit toto morbi tempore, qui fuit diuturnus, ac præcipuè in agone, qui fuit aliud nihil, nisi uehemens, nunquam intermittens, & ex imo corde profecta expressaq; ardenti Spiritus sancti motu precatio ad Filium Dei, pro læta ex his miserijs ad uitam & lætitiam æternam migratione, cùm quidem sensus omnes manerent integerrimi, uox expeditissima, animus firmissima spe ac lætitia plenus ad extremum halitum usq; cum astantium omnium admiratione, ut sensu gustuq; æternæ uitæ, in quam iamiam transiturus erat, imbutum eum ac delibutum fuisse à Spiritu sancto non sit dubium. Decessit autem ex hac uita heri, & reddidit animam Deo conditori, quam multoties ante agonem repetitis uotis illi commendarat, cùm finiisset recitationem Psalmi 50.

& testi-

& testimonium perseuerantiæ in edita confessione requirentibus capite annuisset. Sæpè ante mortem sese ad futuram migrationem præparabat commemoratione causarum, cur minus abhorreret à morte, quas Reuerendum uirum D. Philippum Melanthonem meminerat paulò ante suum ex hac uita excessum, consignasse in quadam charta. Harum ille quasdam ad dextram, quasdam ad sinistram collocarat, A dextris collocarat Desiderium clari conspectus Dei & lucis æternæ, in quam esset uenturus, ubi uisurus esset coràm Deum & Filium Dei, perspecturus illa mira arcana de Deo, de Trinitate, de consilio patefactionis diuinæ et restitutionis generis humani per & propter Filium Iesum Christum, & cogniturus causas, cur sic conditi simus, A sinistris collocarat liberationem à toto peccato, à miserijs & ærumnis huius uitæ, ab odijs Theologorum. Harum causarum cogitatione & mentione ita afficiebatur, ut cupidissimè mortem appeteret. Etsi autem gratulari uiro optimo consuetudinem Filij Dei & totius Ecclesiæ cœlestis debemus, tamen orbatos nos esse tali & amico & Oeconomo, non possumus non uehementer dolere, cumq; interitus talium uirorum, quorum opera plurimum profuit rebus publicis, plerumq; his ipsis aliquid minitetur aduersi,

oremus Filium Dei, ut ipſe clementer pœnas præſentes & imminentes leniat & auertat, ac ſeruet & protegat hos miſeros odijsq; & periculis tantis expoſitos nidulos noſtros, inq; his præcipuè lucem Doctrinæ, quæ diuino beneficio in his accenſa, in iiſdem huc uſq; clariſſimè & puriſſimè fulſit. Fiet autem funus huic Oeconomo noſtro hodie hora duodecima, quod ut Scholaſtici frequentes deducant ex ipſius ædibus, ſeq; & Eccleſiam ac Rempub: ueris gemitibus Deo commendent præcipimus. Die Enceniorum, Anno Chriſti 1561. qui eſt ab inſtituto Enceniorum feſto propter templi repurgationem factam à Iuda Macabeo, Annus 1729.

25. Decemb.

INI-

INITIVM ANNI 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IN Isaia de Natiuitate Domini nostri Iesu Christi scriptum est: Ecce dabit uobis Dominus signum, Virgo concipiet & pariet Filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Vbi signum eam nominat, non solum propterea, quòd opus est admirabilissimum omnium, quæ unquam in cœlo aut in terra facta sunt, Et non unum, sed penè innumerabilia miracula in partu Virginis, & miranda illa humiliatione Filij Dei, & copulatione naturæ diuinæ cum humana concurrunt: Sed idcò etiam sic appellat, Quia affirmat signum fore seruandæ & liberandæ Ierosolymæ & totius regni Iudaici, quod tunc duo acerrimi & potentissimi Reges Syriæ & Samariæ conabantur delere, Ierosolyma circumsessa, & interfectis uno die centum uiginti millibus hominum, & ducentis millibus in seruitutem miserrimam abductis. Testatur ergò Dominus, qui se signum hoc traditurum esse Regi & populo desperabundo promittit, propter hunc Virginis partum & decretum de eo factum, constitutum

esse & conseruari regnum illud uniuersum, nec deleri prius posse, quàm partus ille Virginis, & lætißima Emanuelis, hoc est, DEI & hominis natiuitas præcesserit, quam fieri oporteat, regno & populo isto adhuc stante & manente, Sicut & Patriarcha Iacob inquit: Non auferetur sceptrum de Iuda, nec magister de pedibus eius, donec ueniat Silob.

Hoc uerò seu signum seu testimonium dulcißimum, non isti tantùm Regi ac populo, propositum fuisse existimemus, Sed ut conciones illæ Prophetæ et Patriarchæ Iacob, doctrina sunt proprißima Euangelij: Ita ad nos et Ecclesiam uniuersam, eas transferamus, Ac intuentes animo dilectißimum Dominum nostrum IESVM Christũ, certißimè statuamus propter ipsum nos quoq; manere & seruari: Imò quicquid est in uniuerso generi humano aut tota rerum natura, id omne hac una de causa adhuc esse & subsistere non dubitemus, Quia propter Filium sibi Ecclesiam æternam DEVS colligere decreuit: Nec cœlum, terra aut generatio hæc prius desitura aut transitura sunt, quàm numerus Ecclesiæ, per & propter Filium electæ, compleatur ac consumetur.

Filium ergò DEI, & decretum de ipso & de Ecclesia per & propter ipsum factum, sciamus

mus testimonium ac documentum esse omnium certissimum & firmissimum nostræ & uitæ, & durabilitatis rerum omnium, quas in cœlo & terra cernimus. Ac in ærumnis nostris & miseriis, seu publicis seu priuatis, in confusionibus horribilibus uniuersi generis humani, in ruinis & collisionib. regnorũ et imperiorum omnium, in senecta tandem illa mundi, & totius naturæ rerum languentis, ac quodammodo fatiscentis, in qua, ceu agmine facto, omnia malorum, morborum & miseriarum genera, in Ecclesiam & in singulorum thalamos irruunt, Et squalidiora ac languidiora omnia fiunt, hac nos consolatione erigamus & confirmemus, ut in hunc Filium, ceu firmamentum ac fundamentum, uitæ, incolumitatis ac salutis nostræ, cùm corporalis, tùm æternæ, respiciamus. Ac quod optimi & sanctissimi præceptoris nostri Philippi, piæ memoriæ, uersiculi, paulò ante mortem eius ab ipso facti, monent, subinde repetamus:

Nil sum, nulla miser noua solatia, massam
Humanam nisi quòd tu quoq; Christe geris,
Tu me sustenta, fragilem tu Christe guberna,
Fac ut sim massæ surculus ipse tuæ.
Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, una
Hoc est, ne dubita, fœdere parta salus.

Etsi autem maiora & admirabiliora sunt omnia, quæ fœdus istud admirandum cogitanda & spectanda proponit, quàm ut complecti ea ac comprehendere mentium nostrarum angustia possit: Tamen sciamus, uelle Deum initia istarum rerum in hac uita nos discere, & hoc modo nos ad æternam illam scholam præparare, in qua arcana illa coràm intuebimur, discemus & celebrabimus in tota æternitate.

Cumq; antiquissimo & sanctissimo Ecclesiæ instituto, sacer haberi & solenni festo celebrari quotannis soleat, dies ille lætissimus, quo ante annos 1562. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, propter nos & proper salutem nostram de cœlo descendens, & conceptus de Spiritu sancto, ex Maria uirgine homo natus est, Iustissimum est, ut in cogitatione admirandi illius operis, aliquanto immoremur impensius, & uota ac gemitus nostros cum sanctis omnibus, & pijs Ecclesiæ ciuibus in cœlo & in terra, coniungamus, & gratias Deo pro misso & donato Filio totis pectoribus agamus, Et beneficia Filij, quæ assumptione massæ nostræ, ubertim in nos contulit, animo & fide ardente perpendamus & complectamur, Et ut Psalmus monet, Filium hunc exoseulemur. Cogitemus non leues causas esse, quare res tanta in consilio diuino decreta sit, ut Filius Dei massam nostram assumeret, & pre

pro nobis victima fieret. Hæc cũ uerè facta sint, ratiocinemur inde & magnas & tristes fuisse & esse miserias nostras, quæ aliter tolli non potuerunt: Et rursus ingentem & inenarrabilem Dei erga nos amorem esse, qui Filio non parcat, & per eum opem nobis ferat.

Excuscitet igitur nos cogitatio miseriarum & periculorum nostrorum, ut hunc Filium Dei & beneficia eius ardentius consideremus ac complectamur. Ac legentes his diebus aut audientes, quod de sanctis ac castis angelis συμφυλετοῖς nostris, Euangelia sancta narrant, agminatim eos è cœlis effusos esse, ut beneficij huius admirandi inter homines nuncij ac præcones essent, Et quam nostra causa lætitiam cõcepissent, hymno dulcissimo, quo gloriam in excelsis Deo canunt, testatam facerent: cogitemus ab his nos moneri & inuitari, ut coniuncti & associati ipsis celebrationis ac lætitiæ societate, beneficia eadem, quæ quidem nostra sunt propria, & nobis solis, non ipsis exhibita ac donata, ſonemus ac celebremus. Ipsos igitur tanquàm ἀρχηγούς, gratiarum actionis & uerbis certis ac sapientia inenarrabili conceptis, nos præeuntes uoce alacri subsequamur, attentis mentibus & linguis dicentes: Gloria in excelsis Deo, In terra pax & hominibus lætitia. Ad hæc uota cum angelis ar-

dentius facienda exuſcitent nos & horribiles ululatus & blaſphemiæ Diabolorũ, & omnium eorum, quibus tanquam organis diaboli ad turbandam Angelorum & Eccleſiæ in ipſo celebrando harmoniam, utuntur. Quales ſunt in regno Mahometico, Pontificio & hæreticorum agminibus & ſectis pene infinitis, furiæ, alaſtores & Apoſtatæ innumerabiles, qui & contumelia Deum afficiunt, Et Filio Dei nato & homini facto pro nobis & pro ſalute noſtra, furenter bellum inferunt. Ab his, ut, Deo iuuante, in futura æternitate, erimus alieniſſimi, & tunc ipſe conuiuus Dei ac Filij eius Domini noſtri Ieſu Chriſti, diabolos & organa eorum homines Epicureos & profanos, qui contumelia cum adfecerunt, ab electis Eccleſiæ ciuibus diſcernet, & cruciatibus horribilibus refutabit: Ita nunc letemur nos à ſocietate eorum alieniſſimos, Et caſtis angelis, & Eccleſiæ in cœlo & in terra celebranti hæc beneficia tanto nos libentius aggregemus.

Vtitur Filius Dei, in exprimenda potiſſima & principali admirandi fœderis huius cauſa, hac ſimilitudine, ut ſe adfirmet eſſe uitem, nos palmites, qui niſi in ipſo maneamus, uitam habituri, aut fructum ullum facturi non ſimus. Et quidem modum addit, quo ei inſeri nos & manere

manere in ipso oporteat, inquiens Iohan: 15. Si in me manseritis, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Hac dulcissima promissione ab ipso Filio imitari nos statuamus, ut in cogitatione harum rerum simus ardentiores, & inseri nos uiti isti uiuenti ac uiuificanti, & ab ipso gestari ac sustentari in tanta nostra miseria petamus. Cumq; modum insitionis hunc esse adfirmet, uerba eius seruare, hoc est, cogitare, accipere, & seruare fide & bona conscientia, obtemperemus Filio Dei, Sciamus consolationem hanc ueram & fide amplectendam esse, & firmiter repugnemus Diabolorum & hominum furoribus, qui à uerbo nos abducunt. Et ut aliqua huius seu fidei, seu reuerentiæ erga Euangelium & ministros eius, qui legatione ad nos pro Christo funguntur, testimonia extent, præcipimus scholasticis, ut non solùm his diebus præsentia sua congressus Ecclesiæ ornent, & modestia, sobrietate, inuocationis & celebrationis societate, & alijs honestis officijs, ardenter se de his rebus summis cogitare & sentire ostendant: sed etiam exempli causa, & testandi qualiscunq; erga ministerium amoris, pro consuetudine huius Ecclesiæ ad aram munuscula sua offerant, Et in præstando hoc officiolo cogitent, quantillum sit, quod singuli adferunt,

runt, cùm interea Pastor & ministri Ecclesiæ assiduos, indesinentes & pene infinitos, pro Ecclesia & ipsis labores, anno integro sustineant. Cumq; ostiatim à ciuibus idem exigatur, ipsi uirtutis causa uolentes præstent, quæ se Deo & ministerio debere intelligunt: In festo, quo nati Saluatoris memoriam Ecclesia in cœlo et in terra recolit, Anno 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Iohannes Schneideuuein I. V. Doctor & Professor.

QVem gladium Simeo apud Lucam prædicit penetraturum animam Mariæ uirginis matris Christi, is non desinit nunc etiam piorum corda scindere, quibus ægritudines afferuntur diuersis temporibus diuersæ, sed genere tamen eædem omnes omnibus quibus ueritas curæ est, pro eo uerò ut unusquisq; animo est firmiore aut teneriore, ita longius aut breuius tempus ea uulnera sustinet. Hesterna autem die sub horam matutinam sextam decessit reuerendus uir dominus Magister IOHANNES STVRIO noster, natus CVRIÆ Nariscorum, qui cùm nuper ex longi temporis

Ophthalmia

Ophthalmia (quo uno morbo ille laborare in uita solebat) conualuisset, nudiusdecimusoctauus pene subitò, ita simul & cerebro & corde afflicto esse cœpit, ut natura succumberet, & uita ei heri extingueretur, ex qua sic migrauit, ut cùm paulò ante mortem de parta ei salute per Christum, peccatorum remissione, & uita æterna à Collega admoneretur, multis audientibus respondaret se de his omnibus esse certissimum. Hunc minimè uulgari ingenio et uirtute præditum uirum fuisse, testes nobis esse possunt omnes qui eum nouerunt, Inprimis tamen & Academiæ nostræ & huic ciuitati uniuersæ spectata pietas & fides huius est, cùm in Ecclesia nostra docuerit annos continuos octo, inferiore quidem & Diaconi loco, sed ita instructus omnibus quæ in Ecclesiæ Christi doctore requiruntur, ut inter primarios locum tueri facile potuisset, & recordamur D. Phil: Melanthonis præceptoris & parentis nostri, reuerendæ memoriæ, iudicium de hoc Sturione nostro, quo dignum cum, qui præficeretur Ecclesiasticæ gubernationi, censebat. Repetamus animis nostris homilias huius, quis in his unquàm pietatem, doctrinam, cogitantiam, facundiam desiderauit? Addamus & libertatem ingenuam, Christiano doctori necessariam, neq; enim erat publicè aut priuatim ad

ullos

πλλος ἐπαρρησίας &, multò minus is, qui πολλὴν μειότερον ἢ ἐυσεβέσερον doceret, aut τῇ δυνάμει τοῦ λόγου τὴν ἁπλότητα circumdaret, quæ sunt antiqua in Ecclesia crimina. Industriæ autem in laboribus perferendis hoc etiam argumentum esse potest, quòd cùm in postremum hunc morbum incideret, non tàm de corporis doloribus ad amicos quereretur, quàm quod homiliam conceptam de uerbis Pauli, quæ sunt in 1. ad Corinth: cap. 4. de ministerio &c. & ad diem postridianam publicè explicandæ erant, hanc igitur quòd obire non posset, & constituerat, dicebat, docere Theologiæ discipulos nostros, quomodo in hoc studio uersari eos oporteret. In docendo igitur & mysteriorum communicatione omnes sensimus operam huius fidelem & salutarem, in cæteris quæ fuerunt curationis huius, quæ su[illegible], ut ueteris Ecclesiæ uerbis referamus, ἐπισκέψεις τῶν ἀδενοιῶν, παρακλήσεις τῶν λυπουμένων, βοηθείαι τῶν καταπονουμένων. In his igitur omnibus, & in omni genere officiorum & commodationum, diligentiam, fidem, efficacitatem & facilitatem huius experti permulti sunt, ex quibus qui mortui sunt, celebrabunt eũ testimonijs suis in altera uita, Superstites autẽ lachrymis suis de hoc testantur, quæ utinam

nam

nam ne requirant deinceps, fuit enim ὁ τοῦ Sturio noster, ea pietate, uirtute, constantia, integritate, fide, cui corpus & animam recte credere potuimus, quorum non est magnus numerus. Ingenium autem eius ut rectum & probum, ita ad omne disciplinæ genus idoneum erat, etiam ad mechanica illa, quorum beneficio τεχνῆ κρατοῦμεν ὧν φύσει νικώμεθα. Itaq; præter scientiam linguæ sanctæ, & Ecclesiæ doctrinam, quæ est scientia sanctorum, uniuersæ philosophiæ minimè uulgarem cognitionem sibi comparauerat, in primis autem naturæ operum utq; effectionum considerator erat & scrutator diligens, et explicator acutus, caq; re ad salutem hominum multipliciter utebatur. Sed commemorationi uirtutum huius aliæ occasiones dabuntur, & æger animus ad tales commentationes idoneus esse non potest. Cùm autem hoc tempore DECANVS etiam Collegij Philosophici in Academia nostra ille fuerit, propius nos attingit hic dolor, neq; scimus an à tempore fundationis huius in hoc munere constitutum aliquem illa sepeliuerit. Mea etiam ualetudo quæ sit, non ignoratis. Sed nos Reipub. cura afficit, quam talibus uiris, qualis fuit STVRIO noster, orbari, miserum est, & calamitosum semper, non etiam nunquàm omen complecti solet.

Sublatis

Sublatis quidem fidelibus in Ecclesia doctoribus & ministris, qui sunt χριστοῦ σῶμα, & concidit illud μακάριον τῶν ψυχῶν ἀγαλλίαμα, ὅτι ἐν τῇ σάρκεσι ἡμῶν τῇ κοινωνίᾳ τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων τῇς ψυχῇς ἐγίνετο τῶν πιστευόντων εἰς κύριον, & sequuntur mala grauissima alia.

Hortamur igitur & cæteros nostros, & Scholasticos uniuersos, ut hodie mox hora XI. ad exequias funeris ante ædes, quas incoluit M. Sturio noster, conueniant, & hoc ultimum officium deductionis suæ persoluant administro doctrinæ sacræ & mysteriorum communi, & præsidi studiorũ Philosophiæ, & coniuncto liberalissimæ communitatis societate, doctori, collegæ, necessario, amico, publicè quidem de uniuersis nobis, priuatim autem de pleriſq; nostrûm præclarè merito. Deinde & publica & priuata nostra uniuersa precibus communibus uestris commendamus, cum multiplices perturbationes impendeant Germaniæ, & non uno in loco à bellis ciuilibus sint pericula manifesta. Ecclesiam autem quanta mala affligant, ante oculos est omnium, & tamen nondum πάντων ἐπὶ πείρατα ἀεθλῶν ἥλθομεν. Inter hæc igitur tota mente precemur & imploremus Iesum Christum

stum Filium Dei, ut benigne nos custodiat, & Academiam nostram, ex qua instaurata ueritas Euangelij Christi in orbem pene terrarum propagata est, clementer ut protegat, & ministram ueritatis suæ, & custodem optimorũ studiorum, salutarium Ecclesiæ & societati hominum, esse faciat etiam deinceps, neue ab his locis, quibus lux huius primùm affulsit, quicquam tenebrarum dispergi sinat. Omnium etiam & docentium & discentium animos in ueritatis confessione & professione ut coniungat, & quæcunq; gloriæ ipsius contraria sunt, aut alijs detrimentosa esse possunt, ea reprimat & extinguat, atq; ita consilia actionesq; ac conatus omnium ad gloriam sanctissimi nominis sui, & communem Ecclesiæ & Reipublicæ utilitatem conuertat.

P P. Pridie Calend: Ianuarij.
Anno 1562.

EPITAPHIVM REVERENDI ET CLARISSIMI uiri M. Iohannis Sturionis, fidelis ministri Ecclesiæ VVitebergensis, incisum in lapide, quo sepulchrum huius tegitur in ædc primaria oppidi VVitebergensis.

VRbe Nariscorum natus quæ Curia fertur,
Hîc positus tenui Sturio dormit humo.

Ingenium, uirtus, pietas, doctrina fidesq̃;
Spectata est urbi Leucoreæq̃; scholæ.
Doctrinæ uocem sonuit bis quatuor annos,
In templo sacras iussus obire uices.
Hic fidei ad normam scripturæ sensa referre,
Et rectè potuit uerba secare Dei.
Nec pia libertas quam poscit lingua docentis
Facundisue aberat lucidus ordo sonis,
Arte potens uaria naturæq̃; abdita scrutans
Ægrotis medicam sæpè ferebat opem.
Integritas, candorq̃; animi, studiumq̃; iuuandi,
Nota fuere alijs nota fuere suis.
Deniq; cùm præses studiorum publicus esset,
Sublatum immiti funere parca tulit.
Sed merita & pietas, qua Christum hominesq̃; colebat,
Hunc terris faciunt & supereſſe polo.

Vxor & liberi
F. F.

VICEDECANVS NOMINE COLLEGII PHILOPHICI, M. Eusebius Menius Professor Vuitebergæ.

QVantus amor nostri est, quanta indulgentia Patris

Æthe-

Ætherei, cùm sponte uices miseratus acerbas
Vnigenam natum terris donarit habendum,
Qui res humanas tristi iam urgente ruina
Componat medius, per eum quò gratia facta
Constaret rursum antè Deum mortalibus ægris,
Amplius & terris irasci desinat æther.
Quandoquidem foret illa Dei indubitata uolun-
Vt cuicunq; fides in eo est, imperditus esset, (tas,
Atq; unà imperium teneat, uitáq; fruatur.
Ille ut res hominũ in melius eũ morte referret,
Eriperetq; iugo, Deus æthere missus ab alto
Mortales auras hausit de uirgine casta,
Qui natus Summi superûm cognomine fertur,
Gloriaq; ipsius manifesto in numine uisa est,
Gloria, qua sola fruitur Patre natus ab alto
Quem non principium, quem nulla extrema fa-
tigant.
Ergò ille in cunis infans sine diuite cultu,
Pro molli pluma, pro texti uelleris usu
Molle caput fultus stipula, atq; arentib. herbis,
Naturæ Deus ille, Deus de numine Patris,
Natura manifestus homo de sanguine matris,
Editus in lucem nostris habitauit in oris.
Testes aligeræ legiones per loca campi
Lætitia cumulant magna qui in saltibus illis
Pastores septis tenerum pecus includebant.
Illi, ut erant moniti, Puerũ in præsepe iacentem

Inueniunt brutum iuxta pecus, inq; uolutum
Fasciolis: neq; enim temere euenisse putandū est,
Agnoscant sed enim nō cassam corpore formam
Assumpsisse Deum, speciemq; effingere inanem,
Sed stirpem humanam, stirpiq; per omnia nostræ
Persimilem, præter labem, quæ in corpore nostro est,
Tamq; hærent ambæ inter se compagibus arctis,
Vt nunquam humanā stirpē stirps dia relinquat,
Adsumptamue semel diuino absumat ab igni.
Atq; ubi iam lucē bis quarta reduxerat Eos,
Tunc puero generis signum, de more uetusto
Imprimitur qua parte uiri sunt, & pia primum
Gutta cadens pelle incisa sacram imbuit aram,
Assumptæq; dedit carnis libamina prima
Vnus qui noxam pro nobis sanguine soluat.
INVENTI tamen hunc contrà qui spargere uoces
Haud ueriti, & sæuire animis, & tendere contrà
Luce palàm, et tenebris, qua se res cunq; dedêre.
Pars qui se Christo sunt ausi opponere apertis
Indicijs, magnoq; furore intendere litem:
Illi hominis stirpē in Christo, Numenue negarūt,
Aut homini aduersa, aut diuo documēta professi.
Pars & in obscuro pugnant, quæ maxima turba est,
Amplexa istorum penitus fundamina, quāquam
(Heu

(Heu uatum ignaræ mentes) non ulla uideri
Sensa fouere uolunt ulli contraria stirpi.
SED quia de Christi persona ex indice aperto
Cœlestis uerbi sumi censura necesse est:
Non equidem, non uana putant se fingere inani
Auspicio, at certo nixos insistere uerbo
Clamore ingeminant magno, inflatiq; feruntur
Per medios impune uiros, & lumina uulgi
Præstringunt, & uera animis solatia tollunt.
Quare agite ô iuuenes ne uos malus auferat error,
Incautisue animis uarium & mutabile semper
Commentum irrepat falsa sub imagine ueri:
Discendum quæ sit uia recta inquirere uerum,
Et quo sit scriptura modo tractãda uidendũ est.
Scilicet ad Fidei rationem tradita quæq;
Exigere, & sanctos fas est cognoscere fontes,
Ne fors impingant fidei in fundamine dicta.
Quiq; aperit dictis quid dia uolumina narrent,
Non ille in medium Fidei pugnantia sensa
Proferat, aut quicquam persuasu captus inani
Asserat, & pulcris uideatur floribus austros
Doctrinæ & liquidis immittere fontibus Apros.
At Fidei ratio, scripturæ existit in ipso
Consensu liquido, quẽ mens quæ prædita rectè est
Conferre inter se, & sensu discernere debet
Iudicij normis Verbi de lumine sumptis:

Et facile est, quoniam superant in pectore nostro
Notitiæ quæ cuncta ualent discernere mente
Cùm sacer irradiat præcordia credula Flatus.
Si nulla est homini certa & firmata facultas
Iudicij: neq; erunt super ullæ in mentibus ullis
Notitiæ, nec erunt ulli quos posse putandum est
Numinis afflatus dios distinguere uanis,
Rimariq; acie scripturæ oracula, & angues
Prudenti cautos imitari indagine mentis,
Dictorum capti diuersa ut imagine sæpè
Consulimus uerbi consensum ex ordine longo,
In dubio & petimus responsa ambage retecta.
Ergò adhibenda illis qui cœlica uerba reclu-
dunt
Cura sagax, Fidei consensum ex fontibus ipsis
Quærendi, si multa manu noctesq; diesq;
Euoluunt monumenta uirûm, secumq; uolutant
Autores operum uariorum, artisq; repostæ.
Namq; ministerij linguarum, artisq; sagacis
Expers, heu nunquam meditando extuderit illũ.
Qualia multa sacris sunt monstra inuecta libellis
Barbarie dominante locis, malus abstulit error
Omnia, & in peius doctrinæ sensa retorsit.
Nec sub mente Dei bene consentire putan-
dum est
Si qua suo pugnat discors sententia uerbo,
Et non conueniunt diuino in pectore, quæ non
Conue-

Conuenêre prius diuino accommoda uerbo.
Quæq; in mente mea, Fidei fundamine nixus,
Inter se aduersis luctari iudico formis,
Hæc pugnant damnata Deo sub crimine falsi.
Nam duo cùm pugnant inter se dicta uicissim,
Ex illis unum mendax, falsumq; repertum est.
Ergò operæpreciũ est solerti intendere mente
Omne ut commentum fugias cane peius et angue
Quodcunq; in uerbo contraria sensa relinquit.
Sed fugite ô iuuenes Corybãtum insana reperta
Hei malè qui nostro sunt tempore sacra professi
Numine contacti læuo, furijsq; superbis
Proscribunt, tanquàm sectantes scita sophorum,
Omnia qui fidei cupiunt ratione probari.
Hinc coniuratos aulis colludere fratres
Cernimus incauto figmenta obtrudere uulgo
Infandùm sua, & è tenebris iam in luce receptã
Pellere doctrinam. Sequimur tua scripta Melanthon
Optime, iudicioq; tuo paremus ouantes.
Ne quæso, ne tanta animis præsumite bella,
Nec pietatis opus magnatum inflectite ad aurã.
Sic ante Heroden nitida sub ueste puella
Exercet blandita choros, dux fœmina facti,
Cùm caput innocuum uatis ceruice reuulsum est,
Castigabat enim dictis scelera impia regis.

Sed nos ô iuuenes (quod dij prohibere uelitis)
Iudicij normam non duclam ex ore Sophorum
Sumimus: ex uerbi patefacto hæc lumine nata
est.
Verùm hac ex uerbo posita, certè unus & idem
est
Processus rationis, & instrumenta petuntur
Æque eadem, dubia quæ in re mens nostra requirit
Cùm sub iudicium reuocare negotia sueuit,
Resq; alias extra præcepta salubria uerbi.
Sed Deus est, qui nostra regit studia atq; labores,
Et Sophiæ ingenuas artes in gente piorum
Illustrans seruire iubet tibi Christe, tuisq;
Pro quibus, ut dignum est meritas persoluere grates,
Nunc memores canimus tua dona, Patremq; rogamus,
Ille tuas propter laudes, & propter honorem
Egregias animas & ueri & pacis amantes
Æternùm auxilio foueat, studijsq; secundum
Annuat euentum: Spes tu tantùm una salutis,
Tu requies miseris, decus imperiumq; Paremis
Te penes, in te uno fiducia nostra reclinat.
Cumq; per hos menses, sancto ceu more receptum est,

Profectum

Profectum in ſtudijs deceat cognoſcere uulgò:
Nunc quia defuncto ſtudiorum præſide uero
Quem non ingenij, quem non pietatis egentem
Abſtulit atra dies, mœrore ut fractus acerbo
Impendere orbi præſentia fata uideret,
Atq; altè uera pro relligione doleret:
Subſtituor uacuæ ſedi, quicunq; ſubire
Cenſuram cupiunt noſtram, uel ferre parati
Doctrinæ ſpecimen fuerint: ſua nomina nobis
Ritè ferant, meritæq; expectent præmia palmæ.

ANNO 1562.

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ VVitebergenſis.

VEtuſtiſſima Eccleſiæ monumenta oſtendunt, & primos patres agmina auditorum de doctrina uſq; ad Moiſis ætatem, habuiſſe, & poſtea collegium ad Tabernaculum inſtitutum fuiſſe, non ſolùm ut in aliqua frequentia doctrina propagaretur, Sed etiam ut diſciplinæ illuſtriora exempla in iunioribus conſpicerentur, Vnde tanquàm ex Academia prodierunt illa lumina populi, Samuel, Zadoch, Nathan & ſimiles. Deinde inſtaurandæ doctrinæ

causa excitauit DEVS Prophetas, qui & ipsi peculiares scholas habuerunt, sicut tandem & Ioannem & Christum quædam certa discipulorum agmina sequebantur. Postremò cùm & Apostoli constituissent Ecclesias, paßim ipsi quoq; tales scholas adiunxerunt. Fuerunt igitur & Alexandriæ & alibi frequentes scholæ, ac alia fuisse collegia initio in germanicis ciuitatibus non dubium est, cùm statim post Apostolos hanc quoq; nationem ad Euangelium DEVS uocauerit. Etsi autem postea infusæ paßim barbaricæ gentes non in Germania solùm, sed etiam alijs Europæ partibus magnam uastitatem fecerunt, subinde tamen pij Reges ac Principes diuinitus excitati sunt, qui & Ecclesias instaurarunt, & ijs scholas adiunxerunt, in quibus doctrina de Deo, & aliæ artes Ecclesiæ & uitæ cõmuni necessariæ traderentur, & adolescentia disciplina regeretur, ut ostẽdunt adhuc recentia Collegia à Carolo, Henrico & Othone, & alijs constituta, in quorum locum apud nos successerũt illustres Scholæ & Academiæ publicæ. Sicut & nostra Academia ex collegio Canonicorum, quod constitutum fuit ante annos ducentos duodecim à duce Saxoniæ Rodolpho, qui tempore Imperatoris Caroli Quarti in Gallia exercitus ad eius regni defensionem contra regem Anglicum

cum Eduardum duxit, tanquàm colonia quædam deducta, & ab illustrissimis Principibus Friderico Tertio, fundatore, Iohanne huius fratre, Iohanne Friderico, ac deniq; Mauricio & nunc Augusto, fratribus, Saxoniæ Electoribus omnibus regia liberalitate & munificentia extructa, dotata, & in hunc usq; diem conseruata est. DEVS uerò æternus Pater Domini nostri Iesu Christi hæc eadem tugurriola huius nostræ sareptæ adcò clementer respexit, ut primò excitatam in hac Schola lucē purioris doctrinæ Euangelij, quæ postea per uniuersam Europam latè sparsa, per huius Academiæ alumnos longissimè propagata est, & ad hunc usq; diem claram, integram & incorruptam clementer seruauerit: Huius tanti beneficij magnitudinem sæpè nos considerare utile est, ut animos ad gratitudinem Deo debitam pro tanto beneficio, excuscitemus. Consistit autem hæc, quæ Deo debetur uera gratitudo, non in ociosa & loquaci tantùm commemoratione benignitatis diuinæ, quæ uerbis etiam ad colum ab aniculis fieri potest, sed multo magis in assiduitate exercitiorum doctrinæ diuinitus patefactæ, modestia & morum uitæq; sanctimonia seu honestæ disciplinæ pia cultura, in usu crebro concessorum à Deo beneficiorum, & uita uoluntati ipsius, quantum fieri

potest,

potest, conformi uera luceat gratitudo oportet. Nam sine his duab. rebus quæcunq; instituitur ad Deũ gratiarum actio, nõ est gratitudo, sed illisio non absimilis impiæ salutationi militum in historia passionis, qui cùm nomine Christum compellarent, colaphis sanctissimum illius os uultumq; cedebant. Horum autem sceleratam impietatem, ne imitari uideamur, danda omnibus modis opera est, ut & recte discamus doctrinam cœlestem, & eam pijs moribus exprimamus, atq; ita ueram animi gratitudinem in studijs & uita ostendamus, & Deo probemus. Etsi autem & studia doctrinæ cœlestis & aliarum artium mediocriter in Academia Dei beneficio constituta sunt, & in usitata frequentia maxima & melior pars scholasticorũ, uelut apicularum industrium agmẽ, religiosè pieq; officio suo fungitur, & studiorũ professionem, pietate morũ & uitæ ornare studet. Experimur tamen magno animi dolore huic sancto semini permixtos esse fucos & crabones nonnullos, qui inconditis & improbis clamoribus ac factis noctu et sæpè interdiu piorum studia & inuocationem turbant, circumuagantur armati caligine nocturna tanquàm Orci galea tecti, ebrij, dissoluti, feroces ad uim obuijs faciendam parati, ad omne scelus instructi & facinorosi, & ut uno uerbo dicamus, in Deum pariter

pariter, quantum in ipsis est, & in homines ὑβρισμοὶ, & quidem horum aliqui natura fortasse sunt huiusmodi, nonnulli cæterorum seductione, mali utriq;, nec iam amplius in Deum ingrati, sed nefariè impij, & in bonorum consuetudine non ferendi. Quid enim, obsecro, tales furiæ agunt inter imbellia agmina docentium & discentium? Sanabilibus quidem non desunt nostræ crebræ piæq; commonefactiones & castigationes paternæ. Reliqui ciuilis magistratus seueritati coêrcendi erant, quam non effugient, nisi maturè sibi cauerint. Non enim concedet Illustrißimus Princeps Saxoniæ Elector Augustus &c. Academiam Dei beneficio doctrinæ studijs mediocriter florentem, facinorosorum grassatione impunè turbari, si qui deprehensi erunt. Vt autem nostri interim iudicij, quibus gubernatio & Iurisdictio scholasticæ ab hoc cõmissa est, censura publicè extet, Significamus duos grassatores nocturnos, qui non solùm strictis mucronibus in alios obuios & inermes impetum fecerunt, & plerosq; grauiter vulnerarunt, sed etiam pileis, tunicis & id genus uestibus spoliarunt, et accusati profugerunt, Vocati etiam in iudicium ad certum diem religione iuramenti, qui neruus est Iurisdictionis nostræ, non uenerunt. Hos igitur à nostra societate ut

ἀλάστορας,

ἀλάστορας & infames prorsus & perpetuò exclusos esse significamus, & nos à Magistratibus oppidano & alijs, petijsse, sicubi illi comprehendentur, ne desint officio suo. Horum nomina sunt N. N. N. N. Hac seueritate nos uti oportere, omnes sani intelligunt, ut quantum fieri potest, intra hos nostros studiorum doctrinæ alueolos, Deo iuuante, pacem, & honestam tranquillitatem nostro loco tueamur.

SEuerè autem rursus prohibemus nocturnas discursationes, barbaricas uociferationes, & gladiatorias dimicationes, quæ Centauros decent & Cyclopes, non eum cœtum, qui dulcem Scholasticorum titulum habet, ab honestißimo ocio discendi doctrinam de Deo, & eas artes, quibus communis hominum uita, salus & utilitas continetur.

IN hac re adolescentes obedientiam Deo, & illustrißimo Principi, Deindè Parentibus & Præceptoribus uestris, qui sunt quasi Parentes alteri, Postremò uestræ ipsorum saluti, ne scilicet morum turpitudine dedecoretis Academiam, non solum de uobis benè meritam, sed etiam Ecclesiæ Dei perpetuam & fidelem, siuè sociam siuè etiam pedissequam, his igitur omnibus officium hoc uos debere mementote. Deniq; tristißimos interitus eorum omnibus temporibus, qui

Magi-

Magistratibus, Parentibus & Præceptoribus piè monentibus sese opposuerunt, animis propositè, ut impij Cham, Absolonis, discipulorum Elisæi, Neronis & similium portentorum, quæ ab ira Dei absorpta, & in huius & futuræ uitæ hærent æternis pœnis.

Oramus autem toto pectore Filium Dei λόγον, ut ipse nos Spiritu suo sancto ad assiduitatem discendi ueram doctrinam & uitæ pietatem ac modestiam, ueramq; erga sese & erga æternum Patrem & Spiritum sanctum gratitudinem accendat, & ut Academiã & studia doctrinæ in ea, & honestam pacem clementer seruet, Ac nos omnes & singulos doceat et gubernet, ut in hac ipsius infirma Ecclesiola urbis & Academiæ nostræ aliqua fiant grata ipsi, & animabus nostris salutaria. Die Epiphaniæ, Anno 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Schneideuuein I. V. Doctor & Professor.

ET Filius Dei in imagine Samaritani Luc. 10. Et in promissione dulcissima Esaiæ cap: 61. medico & chirurgo se comparat obliganti

obligami uulnera noſtra. Et in Syracide ſcriptum eſt: Honora Medicum propter neceſsitatem, Altiſsimus enim creauit eum, Nam medicina manat ab Altiſsimo, Et à regibus munera accipit. Cogitantes igitur de arte medica, aut de his qui Chirurgicis operis uitæ hominum benefaciunt, de Filio Dei uitæ & corporum noſtrorum ἀρχιατρῷ cogitemus, Et propter ipſum cùm medicæ artis Doctores, tùm Chirurgos fideles & peritos amemus & ueneremur. Eſt autem & uir bonus & Chirurgus fide & integritate ſpectata honeſtus huius oppidi ciuis Andreas Hartung, qui in medendo plurimis benefecit multis iam annis, Et nõ ſolùm à Senatu & ciuibus huius urbis ſed à multis uicinis comitibus, nobilibus & alijs præſtantib. uiris propter peritiã eius artis, & fidem in medendo eximiam diligitur. Huius coniunx CATHARINA honeſtiſsimis parentibus in hoc oppido nata, heri poſt diuturnum & grauem morbum in inuocatione Filij Dei ex hac uita placidè deceſsit, oſtendens non dubia ſigna accenſæ in ipſa à Spiritu ſancto lætitiæ & uitæ æternæ. Ei hodie funus fiet hora duodecima. Hortamur igitur ſcholaſticos, ut ante ædes Andreæ Chirurgi in foro ad deducendum funus frequentes conueniant, & ſe cùm de arte medica & Chirurgi beneficijs, tali officio ſuo reuerenter

renter sentire ostendant. Et cogitantes de suis & Ecclesiæ ærumnosæ & laceræ periculis & uulneribus, Filium Dei ἀρχιατρόν sedentem ad dexteram æterni Patris, ueris gemitibus orent, ut misertus nostri & Ecclesiæ suæ uniuersæ, uulnera nostra, quæ sunt multa & horribilia, clementer obliget ac sanet. Gratias etiam ei totis pectoribus omnes agamus, quòd & medicationem certò promisit nobis, & clementer adest Ecclesiæ, nec adhuc infinitas uel distractiones uel confusiones fieri passus est, Sicut in Threnis dicitur: Misericordiæ Domini, quòd nõ consumpti sumus. Et ipse in Iohanne promittit: Non derelinquam uos orphanos, quod sicut in periculis præsentibus præstat, ita in posterum quoq; ut faciat, ardenter ab eo petamus. 7. Ianuarij.

Anno 1562.

IN PRÆLECTIONEM FABVLÆ EVRIPIDIS, cui nomen est Trõades.

AD diem Iouis proximum, Deo auxiliante, auspicabimur interpretationem Fabulæ Euripidis, cui titulus est Troades. Sepè uerò auditores monere soleo, ut meminerint totam Tragœdiam aliud nihil esse, quàm pictu-

 ram

cturam quandam miſeriarum & calamitatum humanarum, atq; cauſarum earundem. Hæ enim nunc hac nunc illa ſub imagine in his fabulis depictæ nobis proponuntur, ut nos doceant timorem Dei, & hoc triſtiſſimo pœnarum aſpectu à peccando deterreant. Sic in hac fabula, quam nunc, Deo iuuante, enarraturi ſumus, excidium florentiſſimi regni & pulcherrimæ urbis, atq; uaſtatio penè totius Aſiæ minoris commemoratur. Et poſtea diſſipatio uictoris exercitus, ac tot præſtantiſſimorum Principum miſerabiles interitus. Vincunt Græci Deo puniente adulterium, & poſtea uictoria inſolenter & ſuperbè utuntur, quare & ipſi dant pœnas, Nemeſis enim ſemper comes ſuperbiæ in rebus ſecundis, uarijs caſibus illos opprimit, Agamemnon, Teucer, Diomedes, Vlyſſes, Pyrrhus domeſtico malo, Idomeneus ſeditione, cæteri multi naufragio pereunt, Sic cùm Iliacos intra muros peccatur & extra, pœnæ etiam intra & extra urbem uagantur. Tractauit idem argumentum Virgilius noſter libro ſuæ Æneidos ſecundo. Et non tantùm operæprecium, ſed iucundum eſt uidere, quomodo præcipua lumina ſua Virgilius ex hac fabula Euripidæa mutuatus ſit. Id quod noſtrum erit inter enarrandum indicare, Deum precor, ut nobis docentibus, & uobis diſcentibus Spiritu

Spiritu ſancto ſuo clementer adſit, ut labor noſter ſit fructuoſus in Domino, per Chriſtum Filium ſuum Redemptorem noſtrum, Amen.

3. Id: Ianuarij,

Vitus VVinſemius
ſenior.

EPITAPHIVM CLARISSIMO POETÆ, IOHANNI Stigelio, amico ueteri & cariſſimo ſcriptum.

Quiſquis ad hunc tumulum uenies, ſubſiſte uiator,
Hic Muſæ Vatem compoſuêre ſuum.
Stigelium Vatem, quo dulcia plectra mouente
Obſtupuit poſita Delius ipſe Lyra.
Naturæ nam dona ſuæ prouexit ab arte,
Vt par VERGILIO, ſic tibi NASO fuit.
Dicere ſi liceat, forſan quoq; maior utroq;,
Pro Phœbo in cuius carmine Chriſtus erat.
Carminis hinc ſpirans cum maieſtate nitorem,
Fundebat grandi uerba ligata ſono.
Ingenio ſimilis quæſita eſt gloria paucis,
Illius in plauſus, docta theatra ſonant.
Illi ceu primo, florens data laurea, Vatum
Eſt manibus, Cæſar CAROLE QVINTE tuis.

Laudibus eximijs & (præter carminis uſum)
Præditus ingenij, conſilijq́; fuit.
Et grauis, & iuſtus, nec caſtis moribus orbus,
In Chriſti laudes ambitioſus erat.
Ergò licet parua corpus claudatur in urna,
Alta tamen uiuax fama per aſtra uolat.
Salue care Deo Vates, cui grata canebas,
Cui plenum Aönio flumine pectus erat.
Tu nunc Lotichio iunctus, doctoq́; Sabino,
Quos rapuit ſpacio Parca ſeuera breui.
Quosq́; pater Vatũ præceſſit morte Philippus,
Cui gaudes cœlo proximus eſſe comes.
Ergò omnis curæ expertes, uitæq́; laboris,
Fingitis æterno carmina grata Deo.
Illic liuor abeſt omnis, rabiesq́; malorum,
Non ſupereſt iuſtis poſt ſua fata labor.

Georgius Cracouius
I. V. Doctor F.

EPITAPHIVM,
QVOD IPSE STIGELIVS ſibi fecit ante annos aliquot.

HIc ego STIGELIVS iaceo, quis curat, ut omnis,
Negligat hoc mundus, ſcit tamen ipſe Deus.

TEM-

TEMPVS OBITVS EIVSDEM ÆNIGMATE notatum.

MAndibula quot letho animas Manoëius heros
Succenſus nigra pectora bile dedit,
Quot clypeo Aiacis taurorum terga ferunur
Artificis docta iuncta fuiſſe manu,
Alcides uenit quot in alta laboribus aſtra,
Nymphas fata fuit Iuno quot eſſe ſibi,
Amnibus acceptis pelago quot iungitur Iſter,
Argolici Colchos quot petiere duces,
Corpora quot conſtant elementis noſtra, quot annis
Æuo præuertit Mathuſalemus Adam,
Eructaſſe ferunt Cacum quot faucibus æſtus,
Cœli quot cuſtos prouidus ora gerit,
Ducit quot partes fulgens Phaëtontis in ortu,
Vellere quæ Phryxum per mare uexit ouis,
Somni quot portas diuinus finxit Homerus,
Ad Cremeram Fabios quot cecidiſſe ferunt,
Addita quot cœlo claris nitet Hydra fauillis,
Vindice quam uidit Lerna perire Pyra,
Poſt hominem factum mirando fœdere VERBVM,
Summo quod pariter cum Patre numen habet.

Annis tot notas ſua per veſtigia metas
Attigit, altiuago qui uehit axe diem:
Reddidit ut patrio uitæ ſpiracula cœlo
STIGELIVS *liber carcere terra tuo.*
Vates quo propior longinquis alter ab annis
Æterno Andino non fuit, eſt, & erit.

IOS. A PINV.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Iohannes Schneideuuein.

MVltas habet cauſas Eccleſia hæc uniuerſa & Academia noſtra doloris, & ægritudinum multiplicium, & magnas quidem ab ijs rebus, quæ acciderunt, Sed haud ſcio, an metus multò maiores ab ijs quæ impendent. Nondum alter annus completus eſt, ex quo lumen & decus Eccleſiæ, & cuſtodem & propagatorem ueritatis cœleſtis & humanæ fideliſſimum, principem rei ſcholaſticæ noſtræ, & patronum, parentem, præceptorem communem PHILIPPVM MELANTHONEM amiſimus, uel potius in illam alteram uitam præmiſimus, Cuius memoria ſit in benedictione, ut priſci illi in Eccleſia locuti ſunt, Et hoc tamen non totius biennij tempore, quæ difficultates

cultates afferantur rebus communibus, quæ Ecclesiam lacerent certamina, & quod fieri necesse est, Respublicas simul affligant & conturbent, ante oculos est, Eorum autem, qui explicare negocia sciunt, quotidiè fit minor numerus, alij morte nobis auferuntur, superstites autem curis, solicitudine, laboribus, morbis, senecta consumuntur, Ipsi etiam Præceptori nostro, quæ gratia & quæ fides uiuo & mortuo præstita sit, & adhuc præstetur, obscurum esse non potest. Ad hæc accedunt à bellis ciuilibus pericula, & cùm tempestas mensium iam aliquot, tùm alia multa signa pestilentem aëris constitutionem minantur, quæ paulò post secutura sit. Inter hæc alij securi helluantur & tumultuantur, alij pericula etiam augent, & quantum in ipsis est, mala accelerant, partim incogitantia, partim peruersitate, malicia, perfidia, & multis modis alijs. Sed inter hæc etiam mors obrepit, quod si cogitaretur, minus esset horum malorum in nostris cœtibus, & huius tamen commentatio esse debet uniuersa uita nostra. Cùm enim non simus ad hanc uitam conditi, nimirùm ne ab altera aberremus, in eo omne studium nostrum occupari par est. Nulla uerò efficacior commonefactio huius rei esse potest, quàm quæ à conspectu mortuorum nostrorum affertur, & funerũ exequiæ, non tàm

mortuis quàm superstitibus instituuntur. Talis autem iam iterum nobis affertur ex cœtu nostro, nam hac nocte euocatus est ex hac uita honestus iuuenis MARTINVS HERTZOG Ermeslebiensis, quod oppidum ad Harciniam est, ubi Cheruscorum & Longobardorum uetcrum sedes fuisse putatur, Cuius pater præfectus ibi iurisdictioni uir optimus & prudentißimus ex filijs suis hunc studijs nostris destinauit, quem à multis annis in his liberaliter, & in nostra Academia annos iam fermè duos aluit, qui & ita in his uersatus est, ut tàm patri suo quàm intelligentibus omnibus optimam de se spem faceret. Hic igitur in cursu tali suo iam concidit, ut hæc frustratio sit miserabilis. Fiet autem funus ei hodie hora tertia, quod efferetur ex ædibus uiduæ honestæ, quæ sunt è regione Iohannis Schadeuualds, ante quas ut scholastici ad hoc deducendum conueniant, eos hortamur: De ijs autem, de quibus oportet commonefacti uniuersi nos piè & prudenter ambulemus, & à Deo utiles & salutares Ecclesiæ & Reipublicæ uiros petamus, ἡμέτερον γὰρ αὐτῆσαι, τὸ κυρίου δ' ἀναδῆξαι.

P P. 14. Calend. Feb: Anno 1562.

AVDI-

AVDITORIBVS DOCTRINÆ DE Anima.

OVidius glorioſiſimè celebrat eos, qui primùm cœli & ſtellarum motus obſeruare, & ſcientia comprehendere, & ea quæ in his apparent, id eſt, τὰ φαινόμενα, uia & ratione explicare potuerunt, quos Græci honeſtiſſimis nominibus ἀστροθεάμονας, αἰθερολόγους & aſtronomos atq; aſtrologos appellarunt. Hos igitur & felices animas eſſe pronunciat, & ſublimia pectora, & pulcherrimorum uerſuum elogio ornat, qui in medio ſunt & noti omnibus. Sed non minorem laudem, mea quidem ſententia, merentur ij, qui inſpectis & conſideratis corporis noſtri partibus, quomodo anima uirtutes in nobis ſuas miniſterio harum exerceat, docere primùm aggreſi ſunt, in qua re haud ſcio an & & obſcuritas & difficultas ſit aliquanto maior, quod ita adhereſcat ratio, ut nonnunquàm coniecturis uti neceſſe habeat. Etſi profectò aſtronomia etiam cum γραμμικὰς ἀποδείξεις ad cœlum tranſfert, deſinit eſſe τῶν ἀϋλων εἰδῶν θεωρία, & ἀκριβείαν illam, quæ mathematum eſt, non præſtat amplius, uel potius præſtare non poteſt, cuius rei cauſæ multæ ſunt,

Ideoq; inter ea, quæ propriè mathemata appellantur numerari non potest, & cauet sibi hac in parte Aristoteles, qui inter φυσικώτερα τῶν μαθηματικῶν, hãc recenset, quod nõ animaduertẽtes aliqui et sibi & alijs mathematicã ἀκρίβειαν in hac promiserunt, & ut hãc præstarent, nescio quid non commenti sunt, de quibus suo loco ad auditores nostros disseruimus. Doctrina autem de uirtutibus animæ, quas potentias in scholis nominant, anatomicis fundamentis niti uidetur uniuersa, & cognitione partium corporis, quæ sunt organa animæ, cùm sit anima corporis eius quod à natura ad certas functiones instructum est, (nam ea quæ sine organis, &, ut Plato loquitur, δι' αὑτῆς anima facit ad Physicen non pertinet) Ex situ igitur figura & cæteris, quæ in his offeruntur et apparent, τὰ χρείαν deprehẽdimus, ut anatomes errata in hanc de anima doctrinam redundare necesse sit, Nam quarum partium natura non perspecta est, de harum officio & functionis modo, qualis θεωρία esse potest? Ex his iam æstimare licet unicuiq;, quàm necessaria sit de anima & uirtutibus huius quærenti anatomicorum doctrina, quam & hac de causa hactenus diligentius & prolixius atq; exquisitius explicauimus, quàm faciendum fuisse uider[i]

uideri ijs potuit, qui de hac doctrinæ methodo nõ cogitant. Absolutis autem anatomicis, nunc deinceps de potentijs, id est, uirtutibus animæ doctrinã aggrediemur, quæ secunda pars est libelli de anima nostri. In quo & de anima scientia nostra uniuersa consumitur, nam quod de natura huius dicere possumus perexiguum est, sed quid præstet ea corpori, & quomodo uirtutes suas in corpore perficiat, in eo solo θεωρία φυσικὴ operam nauat, ut sæpè docuimus, in quibus disputationibus etsi alius aliud requirit, tantum tamen in his est, ut & medicina fundamentum habeat, & multæ grauissimæ controuersiæ inde explicari utiliter possint.

Cùm autem nostro tempore Anatomica doctrina summorum uirorum opera ad perfectionem eam, cuius capax est natura humana perducta esse uideatur, de animæ etiam functionibus exquisitius disputari, & ueterum de his doctrina illustrari & augeri potest. In quo fidem & diligentiam nostram auditoribus præstabimus.

Esromus Rudingerus
Pabepergensis.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

FVerunt uicinæ gentes & inter se ὁμογλωττοὶ ad pontum Euxinum & Tyram ac Boryſthenem fluuios Tyrigethæ & Myſi, de quibus multa Strabo. Hæ gentes in illa fatali migratione gentium, quæ incidit in tempora Conſtantini Magni, & ſucceſſorum, inde progreſſæ uerſus occidentem, in his etiam regionibus uicina loca ad Salam & Albim flumina occuparunt. Vbi antiquitus Hermundurorum, Nariſcorum & Cattorum ſedes fuerunt. Sed Myſos oppreſſerunt Sorabi à Sarmatis orti, quibus uiciſſim uirtute Henrici Aucupis & Ottonis Magni attritis domitisq;, rurſus ſeſe extulit nomen & celebritas gentis Myſorum. Vtraq; inſignibus ornatur laudibus in ueterum hiſtorijs. Herodotus Getas δικαιοτάτους καὶ ἀνδρειοτάτους Θρακῶν: Homerus Myſos δικαιοτάτους ἀνθρώπων nominat. Hanc laudem utraq; gens non ſolùm ſapientia & iuſticia in gubernatione publica, & omnibus humanitatis officijs priuatim præclarè eſt tutata, ſed cumulauit etiam ſtudio ueræ ſinceræq; religionis & honeſtarum artium & diſciplinarum. Quapropter ornauit

DEVS

DEVS gentem utramq; peculiaribus beneficijs, Tyrigethas terra uberc & frugum feraci, Myſos uenis metallicis. Hæ primum aperuerunt ſeſe imperante Friderico Barbaroſſa ad oppidum Myſiæ Fribergam, quod tunc condi habitariq; ceptum, & fuiſſe delectatum Friderico humanitate gentis, & amœnitate regionis, argumento ſunt extructa ab eo monumenta, inter quæ præcipuum eſt monaſterium Aldebergenſe, ubi adhuc ſpectantur ſtatuæ eius & filij Henrici Sexti. VRBs Friberga ubertate uenarum metallicarum locupletata multum ex eo tempore creuit, & præter hæc excellit alijs etiam ornamentis, Eccleſijs, ſcholis, legibus & iudicijs honeſtis, ac præcipuè humanitate eximia ciuium doctrina & uirtute excultorum. In ea urbe ex honeſtiſſima familia natus eſt THOMAS REICHEL, cuius pater præturam ibi gerit magna cum laude iuſticiæ & moderationis, hic cùm intellexiſſet ingenium filij ad diſcendas artes liberas idoneum eſſe, erudiendum eum tradidit, & uiro doctiſſimo & formatori bonorum ingeniorum optimo & feliciſſimo Georgio Fabricio, qui harum terrarum ſingulare eſt ornamentum. Ex huius ſchola miſſus ad Academiam noſtram, eam totos annos quinq; in diſcendo adhibuit curam & diligentiam, ut ſi

uita

uita ſuppeditaſſet, in uirum præſtantem & patriæ ciuem utilem fuiſſet euaſurus. Sed deceſſit is heri ex hac uita ſub horam nonam febrili æſtu conſumptus, cùm quidem aliquotics fidei ſuæ confeſsionem repetiuiſſet, & commemoratione inſigniorum ſacræ doctrinæ ſententiarum ſeſe uelut certiſsimo & ſaluberrimo uiatico præparaſset atq; inſtruxiſſet ad lætam emigrationem ex his ærumnis ad conſuetudinem cœleſtis Eccleſiæ & conſpectum Filij Dei, quæ res parentibus luctum & mœſticiam leniat, hoc præſertim perturbatiſsimo & turbulentiſsimo rerum ſtatu, qui niſi DEVS benignè & clementer auerterit, uidetur πανολεθρίαν rebus bonis, & infinitam barbariem allaturus eſſe. Fiet autem funus huic Thomæ hora 12. Quapropter mandamus ſcholaſticis noſtris, ut conueniant ante ædes Franciſci Beutlers, & funus proſequantur ac deducant cum pijs precibus, quibus Eccleſiam & ſeſe Filio Dei commendent, & petant mitigationem præſentium & impendentium calamitatum.

13. Calend. Februarij.

RE-

ANNO 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Schneideuucin, I. V. Doctor & Professor &c.

INter flagitia atq; scelera ea, per quæ grassatur in infideles ira Dei, ebrietas est & crapula atq; ἀκαθαρσία, & uetat Apostolus ἀισχρότητα καὶ μωρολογὸν ἐυτραπελίαν, ut imponatur Christianis cura uirtutis, laudis, honestatis καὶ σεμνότητος, à quibus omnia fieri debent decenter & pulchrè. De quibus hoc tempore breuiter admonendos scholasticos nostros putauimus, quo more iam & consuetudine introducta, omni leuitati in omni genere studetur, &, ut Clazomenijs quondam Spartiatarum decreto, ἀσχημονεῖν conceditur publicè omnibus, & laus est eius maxima, qui cæteros in hac re uincit, itaq; hoc quæritur impiorum commentationibus, & omni conatu agitur, ut à grauissima persona Christiani hominis uitam & mores suos quàm longissime abducant. Hæc turpitudo introducta est à profanissimis hominibus, quibus quod exemplo ueteris Ecclesiæ aliquot ante Pascha Hebdomadibus species saltem pietatis (nam res corrupta fuit superstitionibus) & frugalitatis alicuius, præstanda esset, prius crapula se obruere,

obruere, & omni impuritate atq; leuitate exercenda defatigare uoluerunt, ut hoc modo abstinentiæ ſecuturæ neceſsitatem conſolarentur. Sicut autē τῆς τεσσαρακοστῆς νηστείας exemplum (quæ tamen Baſilij ætate fuit ſeptem Hebdomadū) à pietate Eccleſiæ ueteris introductum eſt, Ita ne turpitudinis quam ante hanc exercerent exempla deeſſent, tranſtulerunt huc quæ ab Idolatris ueteribus ſuggerente Satana ſub hoc tempus factitata fuere. In quo noſtra turpitudo maior eſt, qui profanitatis tantùm exemplum retinemus quod imitemur. De quibus omnibus quoties iam & quàm piè, grauiter, eruditè, copioſè etiam uehementer & ſcuerè, cùm aliàs tùm in publicis edictis, quæ ſingulis annis hoc tempore proponi ſolent, diſputatum eſt, neq; quicquam commonefactionum neceſſariarum omiſſum. Sed quid profectum ſit illis omnibus, meminimus, ut quid de noſtro hoc edicto futurum ſit, facile poßimus diuinare. Itaq; cùm turpitudo rei omnium honeſtorum cupiditatem incitet, ut contra hanc dicant & faciant quæ poſſunt, reprimit tamen eandem & retardat operæ talis τὸ ἄκαρπον, Sicut agricolæ ſtudium remittit in agro ſterili colendo. Et tamen ſi unquam ullum, hoc tempus profectò tale eſt, in quo periculorum ſaltem multiplicium reſpectus atq; conſi-

deratio,

deratio, quæ, publicis & priuatis rebus & patriæ communi Germaniæ nostræ impendent, ad moderationem animos reducere deberet. Sed ne exquisitæ & uehementis commonefactionis operam perdamus, disputantes ad aures eorum, qui non audiunt, breuiter & simpliciter moneo & hortor, & iubeo atq; edico, & quoniam cô res redijt, ut precibus etiam utendum sit, per salutem suam uniuersos scholasticæ iurisdictioni nostræ subiectos obtestor, Ne qui personati noctu aut interdiu in publico uagentur. Neue arma legibus nostris prohibita quisquam gestet, hoc enim per se est intolerandum, & fieri aliter non potest, quam ut hæc res & ab Ecclesia & Republica atq; Academia nostra admodum abalienet animos honestorum hospitum, qui hæc uident, & aliorum omnium, qui fando audiunt. Nos etiam uniuersos quantopere cruciet petulantia atq; contumacia improborum, experimur. Et quid tamen faciamus amplius non habemus. Cum enim imperia nostra paterna sint, hortationes, obtestationes, increpationes, obiurgationes usurpamus, quibus si minus proficitur, carcerem assumimus, qui nostris moribus pœna est: postea ad duriores relegationis seueritate utimur. Illos autem, quorum immedicabilis est prauitas & facinorosa uita, communitate nostra

tum infamia excludimus, quod est ultimum supplicium nostrum, nam arma & carnifices nostræ gubernationi non adiunxit antiquitas. Hæc igitur cùm facimus, quid possumus amplius? Quod si aliqui nimis triste et seuerum nostrum edictum existimant, & indulgendum adolescentiæ nostræ nonnihil censent hoc tempore in ea re, quam ut licitam & concessam usurpant in alijs communitatibus alij, Nos etiam non ita consentimus, ut iuuenes nos aliquando fuisse simus obliti, Sed hi contenti sint ijs, quæ honestus paterfamilias priuatim suis conuictoribus permittit, hæc magna indulgentia est, publicam disciplinam & quietem ne uiolent, neue conturbent, & obtrectatoribus nostris maledicendi materiam ne suppeditent, per se etiam illis cum personato ore obuersationibus publicis, ad omnem turpitudinem iuuentus ueluti armatur, ut res sit periculorum multiplicium plenissima, Atq; si omnino exempla Idolatrarum Ethnica quæruntur, cur non Hilaria potius quam lupercalia aut Bachanalia placent? cùm Christianorum esse quædam possint Hilaria, Bachanalia esse non possint. Sed non constituimus argumentando ad nostros agere in præsentia, cùm toties hoc frustra tentatum sit.

ILLIS igitur contemptoribus edictorum nostrorum, & Bacharum in morem, ut Plautus loquitur,

loquitur, Bacchantibus, personatis & non personatis, ebriosis clamatoribus & grassatoribus nocturnis, qui cum armis uaguntur, his, inquam, minuersis primum hoc prædicimus uenturum tempus, quo hæc misera uoluptas & lætitia horum in tristitiam conuertatur ab eo, qui aliquando populo suo prædixit per Prophetam, σφόδρα τὰς ἐρρωμένας ἀνθρώπων εἰς νένωσε, & per se quidem prima hæc impietatis pœna est, in impuram & facinorosam uitam demergi. Deinde quoniam neq; Dei neq; hominum respectu tanguntur, horribili iudicio Dei eos tradimus & permittimus. Nostram autem animaduersionem, ita sicut res postulabit, Deo iuuante, strenue eis præstabimus. LEGEM de armis non gestandis opt. & sapientiss. Princeps Dux Fridericus Elector laudatissimæ memoriæ &c. ipse & tulit & sua manu iis uerbis, quibus in editis statutis nostris hanc legitis, conscripsit. Sed secundum uetus dictum, οὐδεὶς ὄφελος πόλεως ἥτις μὴ νέους ἔχει τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει. Cumq; nostras poenas contemnere illud genus improbum & audax iampridem incipiat, Illustrissimi Principis nostri consilium & auxilium implorare deinceps cogemur, & huius cognitioni atq; sententiæ subijcere eos, quos in pacis publicæ & disciplinæ violatione uigilia publica aut nostra in-

quisitio deprehenderit, ut tandem finis fiat tumultuationum, atq; grassationum intolerabilium. Quid autem peculiariter de bombardarum usu fieri uelit Illustriss. Princeps noster, de nouo edicto huius, quod hodie in foribus curiæ hic nostræ publicè primum proponitur, cognoscere uniuersos iubemus. Interea fulmen uocis Prophetice terreat animos nostros, quod execratur unumquemq; qui in opere Domini negligenter uersatur ἐπικατάρατος πᾶς ὁ ποιῶν τὰ ἔργα τοῦ κυρίου ἀμελῶς. Sunt autem profecto inter ea quæ Deus fieri uult & postulat, atq; hoc modo inter opera Domini etiam hæc, cohercere petulantiam & ferociam tum multuatricem, & suo quemq; loco officium facere.

P. P. 6. Id. Februarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS Iohannes Schneidewein.

Q Veritur alicubi Gregorius Theologus de contemptu in quo sit, & quod abiiciatur μετὰ τῶν χειραμάξων τὰ ἀπίκορα καὶ τὸ μηδενὸς ἄξια. Eoq; se loco haberi scribit, quo fulcra illa lignea sine, super quibus testudinum Cameræ & formices extruuntur.

tur: quæ sunt ei ἀφελοῦς ἐπιτηδεύματα? Vbi enim fornix coagmentatus iam constat & cohæret, tolluntur illa, et absoluuntur, nimirum quod præstiterint hoc, cuius causa admota fuerunt, & extructione absoluta, nihil ab his expecturi possit amplius. Sed nostris temporibus magis hoc fit, ut doctores Ecclesiæ Christi, & administri huius, atq; familiæ horum non habeantur honorificentissimè, Mortuorum memoria minus colitur, neq; superstites admodum ab ingrato illo & impio genere curantur, quod non tantùm erga uiuentes inofficiosum est, sed tanquam hyenæ mortuos etiam lacerat. Hæc cuius rei argumenta sint, & quales pœnæ huiusmodi impietatem manere solent, omnes intelligunt. Nos uerò ut ostendamus etiam erga familias piorum studium atq; affectionem nostram, hortamur scholasticos nostros, ut hodie hora quarta deducant funus CHRISTOPHORI LERCHENFELDERI Noribergensis, qui patrem habet Reuerendum uirum D. Georgium Lerchenfelder, Diaconum in Ecclesia celeberrimæ Reipublicæ Noribergensis. Huius filius Christophorus nuper in hanc scholam uenit, & famulitij oblati conditione usus, in morbum incidit, de quo si maturius significasset, fortassis conseruari potuisset, sed sic etiam factum est, quod potuit. Audimus puerum

fuisse ingenioſum, qui cum & clariſsimæ Reipublicæ ciuis fuerit, & patrem habeat Eccleſiæ Chriſti miniſtrum, & ſtudia noſtra cum magna ſpe ſit ingreſſus, libenter ei officium deductionis veſtræ præſtabitis, quòd & eiuſmodi eſt, ut non ſolum mortuis honorificum ſit; ſed uiuentibus etiam commentationes pias & ſalutares ſuppeditet. Efferetur autem ex valetudinario Academiæ in quod à nobis receptus fuit. Ibi igitur ut indicato tempore conueniatis, iterum uos hortamur.

P P. 6. Calend. Martij.

PRODECAN: COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVITEBERGENSI M. Euſebius Menius

AVdiuimus hactenus in priuata examinatione eos, qui hoc tempore teſtimonium publicum profectus ſui in ſtudijs Philoſophiæ & bonarum artium petunt à Collegio noſtro. Cum autem multis de cauſis publicè etiam de ſtudijs petitorum illorum cognoſci utile ſit, Nunc deinceps ueteri inſtituto Academiæ noſtræ ad publicum examen eos producemus, quod hodie, Deo uolente, hora prima, inchoabimus.

Et hor-

Et hortamur igitur, & oramus uniuersos, quibus dignitatem præcipuam ingenij cultura & doctrinæ studia conciliarunt, Doctores atq; Magistros, ut loco noto his diebus conueniant, & ad explorandum quid profecerint candidati nostri, de studijs pictatis & optimarum artium cum his conferant, & hoc modo publico honori Academiæ & Collegij nostri inseruiant, cùm per se hæc res professionem studiorum humanitatis in primis deceat, & collationum talium fructus sit multiplex. Fruamur igitur liberaliter liberali ocio, quod propicius DEVS hactenus studi, nostris concedit, & conferamus de rebus optimis & pulcherrimis dum licet. Cætera omnis causa non libet addere, & in quibus periculis uersemur, sua sponte omnes intelligunt. Etsi autem multæ sunt causæ, quibus boni et intelligentes mouentur, ut ad publicas examinationes nostras libenter ueniant, in præsentia tamen aliquid etiam memoriæ piæ D. Magistri Iohannis Sturionis nostri à uestra humanitate tributum iri confido. Erga quem ea fuit affectio uestra, ut si uiuus ille nos ad hanc rem conuocasset, ipsius etiam respectu cupidè omnes conuenissemus. Cùm autem nunc demortui loco hoc agamus, Vicarium pro illo munus gerentes, etiam sic nos ei gratificari cogitabitis. Is au-

tem uir fuit Sturio noſter, ea pietate, uirtute, doctrina præditus, ita etiam de Eccleſia noſtra, atq; adeò publicè & priuatim de nobis meritus, ut memoriam mortui & hoc modo, & quibuscunq; aliis pium & fas eſt, colere debeamus. Demus igitur hoc officium memoriæ ipſius, Inprimis autem & communibus ſtudijs & Academiæ noſtræ, in qua pietatis atq; ſtudiorum cauſa congregati, & in ſocietate ſumus honeſtiſſima, & unuſquiſq; quæ ad hanc conſeruandam ornandamq; faciunt, à ſe conferre atq; præſtare ſtudioſiſſimè debet.

Propoſitum prid: Id: Februarij.

PRODECAN: COLLEGII PHILOSOPHICI IN Academia Vuitebergenſi M. Euſebius Menius.

QVemadmodum ſi Sol non eſſet, ab ea luce, quam ſtellæ ſuppeditant, tenebræ non tollerentur, ſed in nocte uita degenda eſſet, ut Heracletus dixiſſe ſcribitur: Ita ſi homo mentem & rationem non haberet, ab eo, quod ſenſuum uirtus præſtat, uita huius à beſtiarum uita nihil diſcriminaretur. Docet autem ſacra hiſtoria lucem eſſe peculiare opus Dei, non Solis:

Solis; nam & lux fuit, & diei & noctis discrimina fuerunt, & terra stirpium genus produxit, antequam Sol esset, ut neq; terra nascentium, neq; lucis autor hic esse aut dici posit, quippe qui quarta primum die, & post illa omnia quæ commemorauimus, à Deo creatus fuit, sed ὄχημα hunc seu uehiculum creatæ ante cum lucis esse uoluit, ut sit non φῶς sed φωστὴρ & administer præcipuus omnium, quæ à lumine cœlesti eo, quod est πρωτογενὲς φῶς, terris conferuntur, sicut ij, quos Apostolus φωστῆρας appellat, non sunt lumen mundi, quod est Filius Dei solus, illuminans omnes qui recipiunt, neq; oculos ad hoc claudunt. Hominem autem sic condidit DEVS, ut à cæteris animantibus eum discriminaret præstantia eximia, cui uitam, non ut illis à natura corporea dedit, sed halitu diuino & incorporeo inhalauit, atq; cum hoc imaginem sui, quæ est mentis, intelligentiæ, iusticiæ, ueritatis, & earum uirtutum, quæ sunt expressæ lege diuina, hæc enim continetur pictura imaginis, ad quam sumus conditi. Sed qua re præstat naturæ nostra cæteris animantibus, eam imprimis excoli à nobis oportet, præsertim cùm deformata hæc sit & detorta miserabiliter peccato. Venit autẽ Filius Dei, ut destruat opera Diaboli & instauret naturam lapsam. Ad quam rem utitur præ-

ronio Euangelij, cuius ſapientia naturæ ignota ab humana ſapientia longißime recedit, Ideoq; Apoſtolus hoc præconium gentibus ſtultitiam uideri ſcribit. Seruire tamen huic & potest & debet, quicquid est ex priſtinis uiribus naturæ noſtræ reliquum, & uirtus ſeu præſtantia humana uniuerſa, Vt hac etiam de cauſa ſcientiæ cognitionisq; liberalis facultate ſtudioſißimè ſe inſtruere unuſquiſq; debeat. Et doctrina atq; eruditione Spiritus ſanctus in Eccleſia ad pietatis atq; ueritatis Chriſtianæ explicationem & patrocinium uſus ſemper fuit, & his poſtremis temporibus imprimis utitur. Cumq; res breuiter explicari nequeat, certamina ſaltem, quæ noſtra ætate in Eccleſia commouentur ab ijs, qui uel non benè inſtituti ſunt, uel eruditione abutuntur, hæc, inquam, facile docere cogitantes poſſunt, ſine his doctrinæ adiumentis aduerſus ſemidoctos illos, & Sophiſtas, nihil profici, quorum aliqui de natura hominis lapſi ſic diſputant, ut peccatum non ſæpe ip. ſed naturam nouam faciant, & ad Manichæum dogma de duobus principijs, uel de induſtria tendant, uel imprudentes delabantur, nihil enim refert. Alij ſcepticam quandam ἀδιαφορίαν inter honeſtum & turpe introducentes, Chriſtiani hominis arbitrio permittunt, ut legi Dei obedientiæ

conatus

conatus præstet aut non præstet, Cum quidem Scèptici aliquantò liberalius agant, qui in bonis & malis usum uitæ communis sequuntur, ne sint, ut ipsi loquuntur, ἀνενέργητοι. Alij naturarum in Christo discrimina & proprietates confundunt. Alij inuitis & nolentibus atq; etiam repugnantibus conferri salutem & Spiritum sanctum disputant. Alij Stoica deliria, Alij alios errores spargunt. Hæc & similia, quemadmodum in ingenijs impeditis aut callidis facile, sæpè etiam sua sponte nascuntur, Ita sine doctrinæ adminiculis refutari non possunt. Et extitit tamen aliquando in hoc oppido Enthusiastarum genus, qui docere ausi fuerunt, Ne quis in liberali ocio bonis artibus & literis operam daret, Neue alunde scientiam aut cognitionem quæreret, quàm à benignitate Dei, cui adiumentis humanis nihil esset opus. Neq; enim causam esse, cur colere aut uenerari aliquis uellet Deum, si non eodem beneficio, quod datum esset patribus & sanctis uiris prisco seculo, nos etiam dignaretur: atq; adeò par cum Deo commercium colloquiumq; precibus nostris flagitandum esse, & urgentibus tribui. Hos Lutherus exagitans, cœlestes Prophetas cognominare solitus fuit, & editis scriptis deliria horum refutauit. Effecerunt tamen hoc illi, ut de Philosophiæ studijs aliquantisper

quantisper minus sentiretur honorifice, & pauciſsimi publica teſtimonia profectus in his ſui peterent. Sed ſucceſsit his hoc tempore progenies, ut Horatij uerbis utamur, uicioſior, uel iulianica potius ſoboles, qui perſuadere auditoribus ſuis laborant, quo quiſq; ſit à doctrina & eruditione imparatior, eo magis eſſe ad docendum in Eccleſia Chriſti idoneum. Et eruditionem ex diſputationibus & ſcholis Chriſtianorum exterminandam eſſe. Hoc genus odium ſuum erga Philoſophiam & doctrinæ ſtudia oſtendit, uel effudit potius, in præcipuo aſſertore & patrono horum Philippo Melanthone, quem hoſtiliter perſequens, iniurijs, & calumnijs ſuis ita exercuit, ut idem cum ipſo fieret, quod de ſe Moſes ſcribit, ut eſſet afflictiſsimus omnium hominum, quæ uerba cum decimanona ante mortem ſuam die à conuictoribus ex capite 12. lib: 4. recitari audiret Reuerendus uir M. Sturio noſter, (cuius loco Decani munus in præſentia gerimus) lachrymas profudit, cũ natura eſſet ἀτεγκτότερος, coſq; ſermones de his habuit, ut facile intelligeretur, ærumnis atq; afflictionibus piorum in ſtudio ueritatis uehementer eum affici, & ipſius etiam in hoc genere ſolicitudines atq; curas non eſſe mediocres. Etſi autem non deſinit hoc erudele & barbarum genus ſanctiſsimè mortuo

Præ-

præceptori nostro maledicere, & doctrinæ studijs atq; Academiæ nostræ, in qua ille hæc instauravit & constituit, obtrectare. Conseruat tamen DEVS *memoriam honoratam uiri optimi, & tam in nostra Academia quam in alijs, literarum studijs successus largitur, ut sint aliqui qui hæc utiliter discant & doceant, Pro quo beneficio gratias ei agimus, & gratulamur Academiæ nostræ & Philosophiæ studijs, ita hæc apud nos florere, ut non desint, quibus præcipuè honores in his rectè conferri possint. Decretus est autem hoc tempore à Collegio nostro hic honor triginta quatuor bonis & doctis uiris & iuuenibus, quorum nomina infra scripta sunt, ut Magistri optimarum artium & Philosophiæ publicè renuncientur, quæ renunciatio fiet ad diem perendinum, qui est 13 Calend. Martij. Ad hanc igitur festiuitatem scholasticam hortamur uniuersos, qui studiorum causa apud nos uersantur, ut frequentes conueniant, atq; hoc officio ornent publicos congressus nostros, & imprimis communia studia bonarum literarum atq; artium, quæ religioni & ciuili societati hominum utiliter inseruiunt.*

P. P. 15. Calend. Martij.

RE-

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ VVitebergensis.

PRecamur æternũ et clementissimum Deum Patrem Dominiq; & redemptoris nostri Iesu Christi, ut & nobis & discipulis atq; auditoribus nostris Spiritu suo sancto clementer adsit, & nos efficiat vasa atq; organa gratiæ ac misericordiæ suæ, ut tàm docentium quàm discentium labor in hac schola salutaris & fructuosus sit in ipso, per Iesum Christum redemptorem nostrũ, Amen. Deinde speramus illis, qui ex auditoribus & discipulis nostris honesti ingenui & rectè educati sunt, fidem, diligentiam, atq; in operis scholasticis assiduitatem, deniq; paternum animum nostrum & pietatem notam esse, ut hac commonefactione illis non sit opus. Quòd verò ad cæteros attinet, qui fortasse huc confluunt, minus illa humanitatis officia vel intelligentes, vel curantes, propter eos necesse duximus hæc significanda esse. Scimus & agnoscimus, ut est apud Aristotelem, ciuitatem non constare ex medico & medico, Verùm ex medico & agricola, sic & scholam non tantùm ex opulentioribus, sed multò magis ex pauperibus & egentioribus constare, ex his enim & Ecclesiarum ministros

uistros & scholarum gubernatores colligi oportet, ne Respublica Dei & Ecclesia Christi (quod Deus per Christum clementer prohibeat) uasta fiat, propter quam solam hæc societas humana diuinitus conseruatur, atq; ubi illa defecerit aut deficere inciperit, ut et hæc deficiat, necesse erit. Propterea igitur, ut tenuiorib. qui discendi causa huc ueniunt, aliqua sumptuum leuatio fieret, pientissimi Principes nostri sancto pioq; consilio uictum his & mensam in Collegio constituerunt, eo sumptu, quo nõ tãtùm illi quibus mediocres sunt facultates, sed & egentiores non destituerentur. Et nos summa uoluntate ac studio neq; paruo etiam sumptu nostro hactenus, ut hæc Oeconomia & mensa pauperum in Collegio conseruaretur, cuixè operam dedimus, enitemur atq; operam dabimus, ut & in posterum conseruetur. Sed comperimus hoc primùm diuino, deinde illustriß: Principum beneficio nimis impiè & ingratè abuti quosdam, qui ex peregrinis locis huc aduolant, sicut fuci ad aluearia, non tàm ut honestas artes discant aut pietatem colant, quàm ut uentrem expleant & furentur. Hi ad mensam Collegij, quam Illustriß: Principes profugium pauperum & piorum scholasticorum, qui Ecclesiæ Christi, pijsq; scholis seruituri sunt, uoluerunt esse, tanquàm porci ruunt, uo-

rant ibi quod possunt, nec eo contenti furantur & auferunt quod possunt, si nihil aliud ad manum est, saltem panem de mensa furantur, furaturi & si quid aliud possent, minimè huius antiqui symboli memores: Salem & mensam non esse uiolandam, Deniq; omninò ab omni humanitate & honestate alieni, patrisfamilias & hospiti insuper illudentes, atq; etiam uim, si prohibere conetur, minitantes. Et pro uictu ne teruntium quidem soluentes, sed ubi satis uisum fuit manisisse, hospite non salutato aufugientes, atq; de malitia sua in sinu tanquàm re benè gesta gaudentes. Cum talibus hominibus quid agas? an hæc digna sunt officia omninò homine, non iam dicam scholastico, multò minus Christiano? Quis uel apud Lestrigonas, uel Scythas unquam talia, quod quidem memoriæ proditum sit, impunè perpetrauit? Hoc igitur sciant illa καθάρματα, quòd neq; illustrissimus Princeps diutius ista feret, nec nos ferre deceat. Proinde hoc edicto nostro publicè denunciamus omnibus ac singulis scholasticis, qui uel nunc cibum in Collegio hic capiunt, uel hoc in loco posthac petituri sunt:

I. Primùm, Vt singulis hebdomadis die Sexto ante prandium prænumerent in hebdomadam sequentem singuli quantum pro mensa in unam hebdo-

hebdomadam præberi ſolet, uel certo ſponſore caueant Oeconomo, aut à menſa in Collegio prorſus abſtineant.

2. Secundò, Vt nemo ad menſam in Collegio accedat, niſi nomen ſuum apud Magnificum dominum Rectorem prius ſit profeſſus, atq; illius ſuæ inſcriptionis teſtimonium ſcriptum & ſigillo Academiæ obſignatum afferat, & oſtendat Oeconomo uel eius inſpectori. Et ſi qui nunc non ſunt inſcripti, intra triduum ſe inſcribi curent, & teſtimonii oſtendant, aut à menſa arceantur.

3. Tertiò, Quicunq; Oeconomo uel iam aliquid debent, uel in poſterum menſæ cauſa debebunt, hi ſciant ſe omnes & ſingulos eſſe arreſtatos re & corpore, donec illi ſatisfecerint, Ne quis eorum hinc diſcedat, ſub ea pœna, qua periuri puniri ſolent, & ſi quis ex uinculo arreſti hinc diſceſſerit, hunc denunciamus de facto periurum & excluſum eſſe, & nominatim hic publicè hoc ſignificabimus, ac literis miſſis indicabimus idem magiſtratibus in patria ipſius, ut talium perfidia multis non ſine ipſorum infamia nota fiat, et cæteri horum exemplo moti diſcant ſanctius fidem colere.

4. Quartò, Quicunq; panem uel aliud quidquam de menſa furabitur, ille cum ignominia à

mensa pariter & ex Collegio expelli debet. Talis enim fur non modò scholasticorum, uerùm omninò Christianorum, Imò ne quidem hominum consortio dignus est.

Item, Quicunq; talem furem uel iuuat uel defendit, ille unà cum fure à mensa pellatur. Nam qui uim aliquam facere conabuntur, eos maiore pœna coercebimus. Qui immodestè clamant, tumultuantur, lædunt uel frangunt aliquid, Quiq; Oeconomo aut eius inspectori se opponunt, obstrepunt, aut molesti sunt, hi à mensa & ex Collegio non sine ignominia expelli debent.

Mandamus etiam, ut post sumptum cibum statim omnes ad suum quisq; locum abeant, neq; ibi maneant potantes aut uociferantes, qui contrà fecerint, hi ut hospitio in carcere excipiantur curabimus, & à mensa pariter ac Collegio tales arcebimus. Disciplinæ enim, modestiæ, & uerecundiæ hic locus dicatus est, non helluationibus aut bacchationibus. Deniq; mandamus, ut singuli, qui hac mensa uel iam utuntur uel posthac usuri sunt, honestè & reuerenter se gerant, cùm erga Oeconomum hospitem suum, tùm & erga eius inspectorem. Nam plusquàm Barbarica inhumanitas est, hospiti & nutricio, de cuius manu cibum capias, illudere aut molestum esse.

Digni

Digni tales forent, qui non cum hominibus, uerùm unà cum Gryllo ex hara porcorum cibum peterent. Imò ne canes quidem nisi cùm in rabiem efferati sunt, eos, qui ipsis cibum præbent, mordere aut uiolare solent. Et nos enitemur, ut in tales ingratos cuculos talia exempla edantur, quibus & ipsi summa sua cum infamia noti fiant, & cæteri à simili petulantia atq; ingratitudine absterreantur. Honestis autem & modestis scholasticis non deerimus benignitate nostra, consilio, ope & auxilio, quibus & paternum animum nostrum notum esse speramus.

Hæc publicè hîc necessario significanda duximus, ut sciant hi, quos honestatis & uirtutis respectus fortasse minus mouet, aut inflectit, nobis contra istam plusquàm Barbaricam inhumanitatem, neq; consilium, nec si opus sit, uires defuturas esse. Deum precamur, ut opera Satanæ inter nos destruat atq; é medio nostrum auferat, nosq; omnes efficiat uasa misericordiæ, & gratiæ suæ ad honorem æterni nominis sui in Christo, & per Christum redemptorem nostrum,

Amen.

Datæ 15. Calend: Martij.

IN PRÆLECTIONEM LIBELLI DE DIMENsione terræ.

MAgnum historiæ lumen est locorum, quibus res quæq; gestæ sunt, Consideratio, ut non solùm mens rerum procul absentium cogitatione sit occupata: Verùm etiam oculi uelut in rem præsentem defigantur, terræ totius, ac regionum situm, interualla, oppida, flumina, montes, ualla collustrent. Ex quo fit, ut quæ neglectis his, frigida ociosáq; lectio futura esset, his adhibitis, maiorem suauitatem & admirationem sit allatura. Semper itaq; una cum cæteris artibus philosophicis etiam Geographiæ studium omnibus ætatibus cultum atq; expetitum fuit.

Herodotus introducit Aristagoram Milesium demonstrantem Cleomeni ex tabula æreâ situm & loca Asiæ, Et in Argonautico carmine narrat quispiam se totius terræ situm & metas, locorumq; interualla ex inspectis tabulis in templis & arcibus Ægyptiorum didicisse. Talis cùm fuerit aureæ illius ætatis sapientia & generosa quædam curiositas, non pudeat nos, qui in studijs literarum uersamur, sapientis antiquitatis insistere uestigijs, & ab ea acceptam doctrinam

doctrinam, cuius & utilitas in communi uita euidens est, & uoluptas singularis, assiduo studio cognoscere, & ueterum exemplo ad posteros propagare.

Cumq; nunc iussus sim à præceptoribus principia GEOGRAPHIÆ, quæ in libello de terræ dimensione traduntur, adolescentibus proponere, adhortor studiosos, ut hanc dignam liberalibus ingenijs Matheseos partem, quæ circulos cœlestes ad terræ globum applicat, & locorum intercapedines numeris inuestigat auidè, studioseq; cognoscant. Ordiar autem, iuuante Deo, sequenti septimana. Simul & hoc publicè significandum duxi, me rogatum ab aliquibus, priuatim traditurum initia illius Physicæ doctrinæ, quæ membra et partes humani corporis recenset & explicat, & monstraturum præcipuorum uiscerum sectiones, ut in ἀνατομῇ fieri solet, Idq; diebus Mercurij & Saturni. Auspicabor autem 18. Februarij hora 3. pomeridiana.

Bartholomeus Schonborn.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Schneideuucin, I. V. Doctor & Professor &c.

EST in Silesia Ottomannorum perantiqua familia, & sapientia, uirtute, opibus ac meritis admodum celebris, quorum cùm aliqui in pluribus ac diuersis urbibus habitarint, præcipui tamen sedem sibi delegerunt in Metropoli gentis Silesiacæ, cui traiectus Sclauorum ad Viadrum nomen dedit, propter eius urbis non tàm celebritatem, opulentiam atq; oportunitatem, quàm alia ueriora ornamenta Legum, disciplinæ, iudiciorum, iusticiæ, pietatis, & salutaris ac tranquillæ gubernationis. ἐν τᾷδε χαίρ' εὐνομίᾳ ναίει. κασιγνήταί τε, βάθρον πόλιωμ, ἀσφαλὲς δίκαι τε καὶ ὁμότροποι εἰράνα, ταὶ μίαι ἀνδράσι πλότου, χρύσεαι παῖδες εὐδόλω θέμιτος, ἐθέλοντι δ' ἄλεξαρ ὕβριμ κόρω μιτέρα θρασίμυθον, ut de Corintho cecinit Pindarus. Vt autem Corinthijs postea ex prædicatione Pauli Apostoli accessit ad hæc fugacia bona aliud longè excellentius, ut perducti ad ueram DEI agnitionem fierent membra Ecclesiæ Christi, & efficerentur participes æternorum bonorum, quæ morte sua promeruit & peperit

Filius

filius Dei: Ita ministerium repurgatæ à Luthero doctrinæ urbi Vratislauiæ, quæ illam inter primas cupidissimè & constantissimè amplexa est, priores dotes alijs longè maioribus cumulauit. Vix enim alia est, quæ Ecclesias & scholas rectius constitutas & magis florentes habeat. In ea urbe nati sunt fratres tres ex Ottomannorum familia, NICOLAVS, SEBASTIANVS & CHRISTOPHORVS, maioribus & parentibus ijs, quorum fuerunt merita in patria eximia. NICOLAVS antecelluit autoritate in Senatu Vratislauiensi, quam ei prudentia, integritas, fides & industria in administratione Reipub: conciliauit, ætas auxit. Attigit enim annum ætatis nonagesimum quintum, relictis filijs decem, inter quos natu maximus annum ætatis excesserat quinquagesimum, cùm pater mortuus est, et multis filiabus. SEBASTIANVS cùm primotum honorum & munerum in militia ordines ac gradus uiri sico successu percurrisset, uirtute militari promeruit ea insignia & ornamenta, quæ uiris nobilibus à summis Monarchis in testimonium uirtutis ac rerum gestarum decerni conferriq; solent, ut Equites Aurati sint & uocentur, quæ antiquitus dignitas in ordine militari fuit tanta, ut ne regibus quidem usurpare eam, nisi uirtute ac-

te acquisuissent, concessum fuerit. Tertius CHRISTOPHORVS captus amœnitate, opulentia & felicitate ex pulcherrimis ornamentis plurimis terræ Mysorum, sedem rerum suarum collocauit in urbe metallica, cui nomen à Sancta ANNA inditum est, tunc cùm illæ cœpta est extrui & coli, atq; ex uenarum metallicarum ubertate locupletari & ornari, augeriq; & amplificari magno præcipuarum familiarum ex diuersis regionibus concursu, circiter annum Christi 1494. conditore GEORGIO Saxoniæ Principe. Hic Christophorus ex coniuge nata in honestißima & amplißima familia geneis Mysorum Vom Elterlein, inter cæteros suscepit filium Matthæum Ottomannum, præclaræ indolis & eximiæ spei adolescentem, qui si uita suppeditasset, cum maioribus uirtute certaturus fuisset: Is decessit heri ex hac uita, sub noctis horam nonam, superatus ui & ardore πυρετῶ σὺν τικῶδι καὶ διακαεῖ, qua correptus fuit ante dies quatuordecim, & cõtinuò sine ulla intermißione ustulatus accedente profluuio colliquati corporis & erumpentibus summa cute lenticulis. Erat in hoc adolescente natura & doctrinæ capax, & ad uirtutem incitata. Erant & harum uirtutum initia, quas Filius Dei uoce Euangelij & Spiritu sancto accendit, quæ

quidem

quidem & ardenti in inuocatione Dei, & in moribus caſtis & placidis in tota uita, & nunc maximè in agone fulſerunt. Sæpe repetiuit toto morbi tempore dulciſſimas promiſſiones diuinas, & nominatim hanc: Quotquot receperunt eum, his dedit poteſtatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine eius. Item, Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam gloriæ. Cumq; omnem humanam opem deſperatam eſſe ſenſit, nihil aliud ſe expetere oſtendit, quàm conſpectum & conſuetudinem Filij Dei & beatorum in Eccleſia cœleſti. Vltima eius paulò ante extremum halitum uox fuit, ſe certò ſcire ſibi paratam eſſe ſedem in cœlo à Filio Dei, & manibus compoſitis ac ſurſum erectis eò ferri animum ſuum plena ſpe & fiducia ab omni alia cogitatione liberum affirmauit. Miſcuit & uota crebra pro incolumitate uiduæ matris, pro fratribus & ſororibus, pro patria, pro Eccleſia, & ut lucẽtem fidei ſcintillulam in corde ſuo Spiritus ſanctus augeret atq; confirmaret, ardenti gemitu petiuit, ſæpè repetito dicto: Confirma hoc quod operatus es in me. Talis cùm fuerit, non dubitemus eum aſcitum & receptum eſſe in ſocietatem illius agminis, qui ſunt adoptione filij Dei propter Chriſtum, & huius cohæredes, quibus ipſe Filius facit poteſtatem adeundi & ca-

peſſendi

peſſendi hæreditatem uitæ æternæ, quam hic Matthæus ſibi uera et firma fide certò deſpõdit. Etſi igitur dolendum eſt, Rempublicam & Eccleſiam tali ingenio orbatam eſſe, tamen ipſi gratulanda eſt hæc talis migratio in meliorem & patriam & Academiam, ubi qualis futura ſit lux & lætitia, ſeſe ardentibus in corde Spiritus ſancti motibus, iam hìc ceu præguſtaſſe declarauit illo ingenti & faſtidio præſentis, & deſiderio alterius uitæ. Hæc cogitatio etiam honeſtiſſimæ & caſtiſſimæ matri ipſius, de qua & ipſe ſolicitus fuit, & nos in dolore ſumus, mœſticiam & orbitatem leniat, quòd filium non amiſerit, ſed ex fragili & calamitoſa uita præmiſerit in aliam refertam & cumulatam nunquam interituris bonis, & quòd paulò poſt eundem apud Filium Dei in complexu ſui dulciſſimi atq; cariſſimi mariti rurſus ſit exoſculatura, qua ſpe & ipſe repreſſit dolores, quos attulerunt ei commotæ erga matrem σοργαὶ, & matrem uoluit deſiderium ſui lenire. Efferetur autem funus hodie hora tertia, ex ædibus quæ tertiæ ſunt à domo nobilis uiri Melchioris Faſolti. Id ut ſcholaſtici deducant frequentes, & ſeſe atq; Eccleſiam hoc mœſtiſſimo & perturbatiſſimo tempore commendent Filio DEI, hortamur ac præcipimus. Tertio Nonas Martij.

RE-

ANNO 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Schneideuuein, I. V. Doctor & Professor.

SOlet Deus, cùm in genere humano concionnes pœnitentiæ & cœlestium pœnarum comminationes nihil proficium, antequam decretas nobis ac destinatas nostro merito pœnas infligat, cœlitus ipse concionari, cùm alijs iustæ iræ suæ testimonijs, tùm magna uarietate prodigiorum, quæ aut noua & inusitata specie nascuntur & existunt in diuersis naturæ partibus, aut fiunt Natura ceu mota atq; impulsa extra leges suas & ordinem, terribili mutatione. Sunt enim prodigia talia certissima argumenta, atrocis ac minacis iræ Dei aduersus peccata generis humani, quæ ideò proponuntur, ut si quos nec monita salutaris doctrinæ flectunt, nec terret seueritas comminationum diuinarum uoce ministri denunciata, hos conspectus sensuq; iræ Dei in prodigijs expreßè percellat ac frangat, inq; cogitationes singulares atq; expectationes conijciat, correptos præsagijs tristium euentuum, aut sensu iam impendentium. Quòd si his quoq; aut nihil aut leuiter afficiuntur hominum mentes, tùm demum procellarum instar

tuo

uno impetu pœnæ irruunt, & in magnam partem generis humani inundant. Idcircò pœnas Deus immensa misericordia ac bonitate differt, & pœnitentiæ conciones dissimilibus modis repetit atq; ingeminat, ut sit ad resipiscendum spatium, & aliqui conuertantur. Sed nostri animi ebrij uoluptatibus & perpetuæ tranquillitatis spe securi, consuetudine uitæ delicatæ & efferæ ita occalluerunt, ut quouis adamante duriora nec concionum minis emolliantur, nec ullis in natura quantumuis tetris iræ diuinæ argumentis pertundantur. Inuertitur ordo temporum. Veri cessit hyems. Ipsa uicissim in ueris locum succedit, nullo tamen stabili aëris temperamento. Mutantur cum cœlo ingenia etiam & mores hominum. Exasperantur & efferantur qui miteſcere debebant, & in molitiones admirabiles atq; insidiosas, in contentiones, rixas, bella expromit atq; effundit sese uis omnis ingenij & industriæ humanæ, ut pericula famis & pestilentiæ non attingam. Sed & alia in alijs naturæ partibus præter consuetum Naturæ cursum, ordinem, tenorem progressumq; eueniunt, quæ formidabilia sunt, tum ipsa, qua sese inferũt, seuicia uel nouitate, tùm multò magis indicio non procul imminentium, sed iam penè prementium & urgentium ceruices nostras calamitatum.

Quid

Quid putamus enim portendere flatus illos prodigiosos, qui proxima die Mercurij annum nobis aperuerunt, accessu Solis ad punctum uernæ intersectionis? Nunquàm impunè & sine aliquæ insigni clade generis humani, quæ deinceps secuta est, ita tumultuatos esse uentos, exempla docent, non uetera tantùm, sed & recentia nostri seculi, ut uel occulto sensu, irritatæ peccatis nostris iræ diuinæ, illi incitare sese aduersum nos atq; infremere, uel commoueri perturbariq; præsensione nostrarum miseriarum uideantur: Quarum si magnitudinem nos prospiceremus, exanimaremur. Etsi autem per sese in his satis mali inest, tamen portendunt alia maiora. Vix autem conquieuerant flatus cum proxima die Veneris, quæ fuit tertia Idus Martij, aliud in cœlo ostentum post Solis occasum tetrum admodum & terribile, cùm aspectu ipso, tùm minaci significatu, à Septentrione sese extulit.

VIdimus ab hora octaua noctis, usq; ad auroram per totam noctem φάσμα stupendum, quod in horas penè singulas sese uariabat. Primò totum Horizontem Borealem ab ortu Solis ad occasum cingebat satis humili corona circulus dimidius, supra lucido colore lacteſcens, infra obscurior, qui radios mucronum instar una parte exertos, & tenui uibratu micantes dirigebat

uersus

uersus cœli culmen, à quo tunc non procul aberat Luna δίχότομος in Gemimorum asterismo, quam præcedebant ordine Saturnus, Mars & Iupiter inclinati ad occasum. Hoc sese Hemicyclium paulatim attollebat ac diffundebat quoquo uersus, donec cœli fastigio circa undecimam noctis, uelut centro circumfusum integri circuli figura, omnia desuper specie fulgida compleret, solo uertice medio excepto, in quo centrum erat, profundæ cuiusdam uoraginis hiatu obscurius. Id centrum tùm illa octaui orbis pars occuparat, in qua est πλόκαμος seu coma Berenices, inter asterismos Leonis, Virginis & Boötis, quo loco ante annos quatuor conspeximus Cometen gladij effigie, quem Greci ξιφίαν nominant.

Findebatur autem mox circulus in partes tres, quarum una recedebat in Septentrionem, quæ obscurior erat. Altera à culmine demittebat sese in Austrum, quæ rarior erat ac tenuior. Tertia ab utraq; distabat longius ad ortum Solstitialem, atri cruoris tetro densoq;, & tamen subrutilo liuore formidabilis. Post diuulsionem hanc & discessum circuli, primùm duæ inter se partes concursu mutuo collidebantur, quæ à Meridie & Septentrione uelut contra se stabant, instructæ ad conflictum oblongis radiorum lanceis. Magno agmine procedere uidebatur

pars

pars Septentrionis. In hanc ferebatur Austrina pars, crebrò quidem uibratis, sed tamen irritis ictibus. Nam & traiectu quodam insiliebat & cedebat repulsa, & sese rursus incitabat nouo insultu, ac luctabatur, donec aduersæ partis impetu uelut obtrita euanesceret. Neutra quidquam habebat ὑπεκκαύματος simile præter motum, qui erat qualis esse solet τῶν διαττόντων seu traiectionum ignitarum. Sed specie partim ῥαδδοῖς partim χρώματα ἄμορφα nullo ordine dispersa repræsentabat utraq; His ita conflictantibus inter se superueniebat pars tertia, quam constitisse dixi ad exortū Solstitialem. Ea irruens in utramq; cùm uicta mox euanuisset, uictrici ita miscebatur initio, ut toti manifestè implicaretur, quasi inter se ambæ conglomerarentur, & ut ex cruentis partibus distinctim emicarent candidæ. Sed cito absumebantur à cruentis candidæ, ita, ut tota uersus Orientem, Occidentem ac Septentrionem plaga, quod inprimis erat horribile uisu, ceu perfunderetur cruore, qui paulatim collectus rursus, cùm sese ceu recepisset in eum angulum, de quo prodierat, denuò coma Berenices ad prædictos asterismos, cingebatur candenti circulo, cuius centrum, ut antea βοθρυοῦ aut χάσματος instar biabat, ambitus radios mucronum similes emit-

tebat quoquo uersus. Durabat hic conflictus horas duas integras & amplius. Postea rupto & dilabente circulo ficbant nouæ successiones, & concursus exoriebantur noui quasi uelitationes quædam, irruentibus ab omni parte in sese mutuò, cum quodam quasi insultu, mucronatis nubeculis & refugientibus. Id certamen aurorã diei illucescentis tandem dirimebat. Hæc uiderunt multi nostrûm, quæ si coniecturas nobis explicare nostras licet, ὃν μαντεῖα ἄλλα πρά-γματι χωρίοις, significare uidentur tentatas hactenus pacificationes, ac malè sartam concordiam, nouosq; dogmatum ac bellorum conflictus, quibus cudentur iam in Synodo Tridentina fomites ac prætextus. Hos Barbarorum gentium irruptiones diriment, quæ nisi Deus prohibuerit, oppressis utrisq; has terras nostro complebunt sanguine. Neq; hæc bella reddent pacem & tranquillitatem orbi terrarum, sed in seditiones desinent, quibus concutietur & lacerabitur orbis terrarum, donec eas aurora gloriosi aduentus Filij Dei, qui est lux æterna, dissipabit ac sopiet, sicut hæc sua nocte Filius Dei prædixit. Præsidet Italiæ Leonis asterismus, Germaniæ Boötes. Has gentes committent inter se certamina de religione & principatu. Sed utrasq;, dum inter se colluctantur, aut Turcæ, aut

aut ab ortu Solstitiali effusi Mossynœci opprimunt. Erat omninò usu terribile ostentum, neq; id sine ingenti consternatione animi & pauore spectare quisquam nostrûm potuit. Quare non cogitetis, ex uago & fortuito concursu nubium lumine cœlesti tinctarum id prouenisse, aut illa etiam, quæ alibi & alio tempore euenerunt prodigia, temerè accidisse, & ἄσημα esse. Sed ostenta esse cogitetis diuinitus obiecta, ut quòd uox docentium sonat in Ecclesia, & assiduè inculcat, hoc ceu adumbrent ac depingant, & in oculos ingerant, quibus quæ percipiuntur, ferè animos feriunt, & commouent uehementius, quàm hausta auribus.

Proponi ergò talia existimetis, ut de peccatis & ingratitudine nostra, de ira Dei, de pœnis structis in perniciem nostram, nisi redeamus ad pœnitentiam, nos commonefaciant. Periclitamur non de incertis & perituris huius uitæ bonis, sed de rebus maximis, de luce ueræ doctrinæ, de fundamento salutis nostræ, de uera inuocatione, de legibus, iusticia, disciplina, pace, libertate. Doctrinæ ergò cœlesti interitum, Imperijs uastitatem portendi his prodigijs cogitetis, quæ struunt ac moliuntur Diaboli & horum organa. Quare nõ contẽnatis Epicureo more hæc futurarum calamitatum præmia & præuncia signa,

ſed DEVM ardentibus uotis aſſiduè precemini, ut quas denunciat nobis pœnas, eas propter Filium Ieſum Chriſtum crucifixum pro nobis et reſuſcitatum clementer tollat aut leniat, & uitam ac mores componatis ad ſanctam & Deo placentem moderationem. Reprimet iuſtam iram ſuam Deus, uictus precibus piorum, ſicut promiſit: Non effundam uniuerſam iram meam. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

Pridie Idus Martij.

COMMENDATIO DESCRIPTIONIS SILESIACÆ REGIONIS.

CErtiſſimum eſt antiquitatem de orbis terrarum deſcriptione, de locorum interuallis, de regionum deſignatione, quæ eſt κοσμογραφία, complectens γεωγραφικὰς καὶ χορογραφικὰς πραγματείας, ſtudioſè inquiſiuiſſe, eamq; illuſtraſſe ac propagaſſe. Dulciſſima narratio eſt in Argonautico carmine, ubi Heroũ exercitus fugiens, Colchicam claſſem deliberat quo dirigat curſum, ut ſecuturos hoſtes fallat. Ibi narrat quiſpiam, uelut eruditior, non recta uia ad Helleſpontum accedendum eſſe, quã antea uenerant,

uenerant, sed longè suprà esse ostium Istri, id quod nauigare tutum sit, & alibi ex Istro uiam esse ad mare Adriaticũ. Ait se totius terræ situm & metas, Oceani ambitum, spacia maris infusi in terram, fluminum fontes & cursus, regionum interualla, & urbium insignium loca, Præterea cœli & stellarum figuras uidisse pictas in tabulis, quas ueteres Ægyptij circumuecti ultimas terræ metas artificiosè pingi, & in templis & firmißimis arcibus collocari curauerint. Etsi autem ut in poëmate narratio fabulosa est, hoc tamen uerißimum est, Ægyptios nauibus terræ situm diligenter explorasse. Aphricam à Sesostri rege uersus Austrũ, Europam à Thule uersus Septentrionem circumnauigatam esse, & hunc Thulen Insulam, ad Boream illum promõtorium bonæ spei ad Austrum metas terræ habitatæ constituisse tradunt. Fuerunt autem huius sapientiæ præcipua studia, nõ solùm in Ægypto, sed etiam in Chaldæa, & Phœnicum urbibus, ubi semina sparserant & ante diluuium uiri sapientißimi, & postea filij Nohæ, & ex Ægypto in Græciam inuecta sunt. Herodotus introducit Aristagoram Milesium demonstrantem Cleomeni de ærea tabula situm & loca Asiæ. Neq; est liberalibus ingenijs uoluptas maior, quàm contemplatio talium operum, per quæ animis & oculis peregrinari,

grinari, atq; terras & maria obire conceditur, aut legentibus & cognoscentibus historias naturæ rerum, Ecclesiæ, regnorum & Rerumpub: utilitas maior magisq; necessaria, quam αὐτοψία quasi & præsens inspectio locorũ, in quibus res præcipuè gestæ, imperia cõstituta, Ecclesia collecta, patefactiones de rebus maximis editæ sunt. Magna igitur debetur gratia ijs, qui regionum situs, interualla, distinctiones & metas diligenter tabulis Chorographicis exprimunt. Descripsit autẽ Silesiam accuratè & eleganter amicus noster Martinus Helingius, uir doctrina & uirtute præstans, qui Vratislauiæ studia adolescentiæ format & regit. Eius descriptionis, quam suo sumptu excudi curauit, misit huc aliquot Exempla, ut inter scholasticos diuendantur. Cùm itaq; & dignam contemplatione & necessariam historiarum lectioni esse censeam, & ea diligentia absolutam esse animaduerterim, ut desiderari in ea nihil possit, Commendo eam scholasticis, & hortor, ut eam sibi comparent, cùm precium non sit magnum. Inuenient Exempla apud Franciscum Firling, in ædibus Burchardi Matthæi prope meas ædes.

Idibus Martijs, quæ fatales fuerunt
Iulio Cæsari.

Caspar Peucerus.

DE

DE CRVCE ET SACRIFICIO FILII DEI Iesu Christi.

QVæ manus ista uirûm, quid uult exorta repentè
Seditio hæc, unde armorũ nouus ingruit horror?
Ne uerò, ne tanta animis præsumite bella
Iudæi: uenict tempus properantibus annis
Romanæ cùm fortè aquilæ per inane sagaces
Certatim huc tendent pennis ad putre cadauer,
Prædam insectantes rostro, rapientq; per auras:
Et Titus heu quantas acies, stragemq; ciebit,
Et Solymas armato obsidet milite portas,
Tunc certare armis, & pellere ab urbe licebit,
Nunc finite, & pacis studijs traducite tempus.
Tótne unum telis petitis caput? heu furor ingẽs,
Quẽ præmitis denso fremitu, & crudelib. armis,
Rex ille est uester, uideo agnoscoq; decoros
Supra hominem uultus, mellitaq; labra docentis,
Vt mũdum ad leges iterũ & noua iura uocaret,
Dat sese in medium, dirutaq; fœdera quondam
Sanciuit iam lege noua, factisq; probauit
Se Diûm genus esse: Sed ô quibus uerbera dorso
Inflixit, capitiq; rubos, quis dulcia labra,
Queis Patris inspirat dilecta per oscula flãmam
Fœdauit pugnis, nec crimen dextra refugit
Attonita, in cineremq; rubi fluxere, solutaq;

In partes crepuere undantia uerbere lora?
Ferte citi hinc, auferte manus, nihil iſte nec auſus
Nec uoluit, Deus ille Deus, ne tendite uincla.
Nec dum etiam conuerſi animi, compreſſus & ingens
Impetus? indulgent ſceleri cæciq; furore
Ecce trahunt Chriſtum manibus poſt terga reuinctum,
Heu ſcelere exceptum magno inſidijsq; ſuorum
Ad loca ſupplicij, telisq; frequentibus inſtant
Innocuo, qui ſe regem credentibus ultrò
Obtulerat, preſſos animis ſaluare paratus.
Eſt urbe egreſſis ſedes, addicta malorum
Supplicijs, campiq; ingentes oſſibus albent,
Qualia in effoſis conſpexerat oſſa ſepulcris
Ezechiel animata iterum cum ſanguine uiuo.
Planicies inculta quidem, nihilominus olim
Relligione patrum multos ſeruata per annos,
Namq; ſita in montis Moriæ radicibus hæſit,
Qua regione ſoli dum ſacra parabat Abramus,
Suppoſitum ferijt nati pro cæde bidentem.
Iam tum fata loci Patres longè antè ſagaci
Concepere animo, & caſus ſenſere futuros
Valle ſub hac olim decorati mortis honore.
Verus ubi Ezechiel patefactis oſſa ſepulcris
Secum deſuctas iterum conciret ad auras.
Sed Satanas loca ſacra Patrum quæ manibus eſſent Turpibus

Turpibus exuuijs, deformi & strage ferarum
Fecerat infesta, atq; oculis inuisa tuentum,
Vt contra loca fœda fimo, quà uiscera ab aluo
Arrius effudit tristi mœrore soluta,
Proluuie immunda gaudens turpissimus Orci
Spiritus, insigni diuum decorauit honore.
Has ubi contigerant sedes, ecce acria præbent
Pocula noctem illam lassato uerbere multo,
Pocula quæ gelida prius infecere cicuta,
Qualia miscebant lethi iam sorte cadendis.
Bacchica nempe quibus cõmisit germina tereti,
Pro dulci latice, & pro succo nobilis uuæ
Infelix tristes profert labrusca racemos.
At sapor indicium fecit manifestus, & ore
Tristia gustantis sensu perfudit amaror.
Abstinuit potu genitor, gustuq; refugit,
Ne temere abrumpat sibi debita tempora uitæ.
Continuò ad cœlum magna ui robora tollunt
Transuersa, & media elapsa iam parte diei,
Quo fatalem agnum mactabant rite parentes,
Sublimè exponunt inter media agmina fœtum
Insontem, & falso damnatum crimine mortis,
Et ferrum in palmas adigunt, uestigiaq; ima,
Vt quondam Dauid fatorum arcana reliquit.
Et qui se medium dedit inter nosq; Patremq;,
Ille inter sontes medius, sed liber ab omni
Crimine, cœlum inter medius terramq; pependit.

Sic ergò in tignis (ærei serpentis ad instar
In quem uersa olim patres quando ora tenebant
Certa salus rediit Serpentum morsibus ictis)
Distentus membra, & fœdi de more piacli
Abiectus, sancta impositus sit Flamen in ara,
Perfectis & ritè sacris semel hostia factus
Obtulerat uerum corpus, pleneq; peregit
Absoluitq; semel sacra non repetenda deinceps,
Nam nec adhuc terris corpus uelut ante moratur,
Quo sacrum peragi possit, rursumq; litari
Quin etiam ardentesq; preces quæis rumpere nubes,
Et penetrare polos solitus, sacrataq; uota
Æternum ad Patrem nostro pro nomine facta
Stans ara in media fudit, Patriq; sacrauit.
His se, quando homini nihil hic dare maius habebat,
His sua dona suo pariter cum sanguine parta
Applicuit nobis, quibus hæc libamina prosint.
Prosequere hos uenia Pater, & placabilis esto,
Da te, oro facilem genitor, qui mentis inanes
Haud facimus nouere suum, dominumq; decori
His probris mersere, mori nunc deniq; cogunt,
Nec cernunt quàm sim multo sublimis honore,
Et cœli quàm diues opũ, quàm gratiæ abũdans.
Nec tantùm his pacem exposco, sed sonibus oro

Da.

Deueniæ esse locum, quotquot post tristia duri
Facta Cain, ad metã orbis dehinc usq; supremane
Præcipites sese scelere implicuere nefando,
Meq; his immersere malis crudelibus ausis:
Sic ait, & uatûm prædicta implebat Iesus.
Vos autem huc miseri mortales flectite uultus,
Cardine in hoc nostræ fidei summa omnis, & omne
Vertitur arbitrium: nam Christum uoce fatenur
Afflictũ, & uitã per cuncta extrema trahentem
Sustinuisse mori pro mundi immanibus ausis
Pontius imperium Solymæ ut Pilatus habebat:
Hæc olim ut proaui præsaga uoce locuti
Ante aras sacris iugulantes ritibus agnos,
Atq; omnis Vatûm chorus, & bissena uirum uis,
Credentumq; greges omnes hæc ardua facta
Euulgant fama, dictisq; in sæcula habebunt
Materiem, donec supremum aduenerit orbi
Qualis erat tunc, cùm Christus discederet orbe.
Hinc Christum ingeminant templorum ingentia tecta
Icta sono, Christumq; iterant uocalia labra,
Nec præter Christũ quod Paulus scirct habebat,
Nec magc spem trahere, & duris solatia rebus
Concipere audemus miseri, et rerũ omniũ egẽtes
Quam si pectoribus Christi obuersatur imago
Sanguineum exudans laticem, suppostaq; ligno,

Vulsa

Vulsa comas, laniata genas, & quinq; petitum
Perfossumq; locis corpus: Videri ut furor ardens
In scelus, hic omnes irarum effudit habenas,
Nec proprio abstinuit nato Deus, impia post-
quàm
Ausa hominum excipiens humeris & portat & aufert,
Qui nullam admisit labem, labem eluit omnem
Sanguine, cumq; ipsi tantorum causa malorum
Essemus, tamen ille suis ueniam hostibus orat.
O tantum potuisse pati, ueniam insuper hosti
Orasse, & donis mala compensasse beatis?
Hei nulli exemplũ superabile, quod tamen omnes
Vsq; sequi mandat pietas, & mutuus ardor.
Magnum opus & mirum est, hominum mortalia membra
Assumsisse Deum, magnum & mirabile rursus
Morte triumphata iucundas surgere ad auras:
At medium pendere sub altis etheris oris
Palmas atq; pedes terebratum, uteriq; latebras
Sanguinis undantem riuo, uelut Ostrea rubris
Tincta notis, Cypriõe anguis formatus ab ære:
Illa salus demum est miseris, ea imago meum eor
Perrellit, reficitq; animum, incenditq; medullas:
Nec mors horrenda in specie si obiecerit olim
Monstrum animo, audebitq; minax concurrere telis,

Aut

Aut mecum imparibus Satanas se miscuit armis,
Prætexens culpas, & semet in omnia uertet,
Quùmq; animum turbatus ero (fataliter angor
Omne nefas sequitur) tamen haud mihi tantus anhelam
Deijciat mentem pauor, ut ui uictus, & expes
Indignantem animã trisli cũ murmure fundam,
Nec de uulneribus monitus, sub pectore læto
Exiliam, cijciamq; procul quodcunq; molestũ est.
Nec mihi tum ueniat uitæ tàm dira cupido,
Vt tali admonitu mortem admisisse recusem.
Ergò agite, & propiùs nunc sistite ad ora uidendum,
Transfixũ clauis, & sparsum sanguine Christũ,
Tum leue erit fraudes hominũ cõmentaq; uana
Iusticiæ propriæ ueris conuellere dictis,
Deniq; certa sequi solatia rebus in arctis,
Inq; auidæ mortis conflictu, deniq; habere
Fundamentum ingens quo uota innixa quiescãt.
Omnes quotquot erãt producti in luminis auras
Æternum flammis Erebi sententia iusti
Proscripsit uulgata Dei, quia crimine auito
Concepti, natiq; Dei feruente sub ira
Non iussa exequimur quæcunq; in lege notata,
Atq; in mente Dei stant fixa, immotaq; semper,
Et nostra in ratione manent non passa lituram.
Nec quisquam genere à nostro tàm tristia uota
Auferre,

Auferre, atq; aliò noſtram traducere culpam
Auſus erat, quando reiecti protinus omnes
Iram, iudiciumq; Dei, pœnasq; futuras
Inciderant, ſed enim noſtri miſeratus ab alto
Progeniem, magnoq; animum labefactus amore,
Demiſit genitor, quæ ſanguine ſacra pararet
Grata Deo, patriasq; iras extingueret ultrò,
Contractumq; nefas, & quod nos fecimus ipſi,
In ſeſe lueret, pœnamq; exoluerct omnem.
Vtq; aliena reum tunc Chriſtum culpa peregit,
Sic aliena Deo gratos nos gratia reddit.
Cernite ut amplexurus amans pia brachia pandat?
His nos in partem meritorum ſponte ſuorum
Attrahit, & ne ſint nobis fera crimina fraudi
Iuſticiam obtendit propriam, & tegit abdita Chriſtus.
Cernite deinde patens crudeli uulnere pectus,
Vnde uolũtatem, & blandũ agnoſcamus amorẽ.
Quin nutu capitis uocat ad ſua munera gentes,
Atq; ſuo cœlum tranſcribit ſanguine habendum,
Si non reijciant auerſa mente ſalutem.
Vt pueri infirmo qui corpore ferre medẽtum
Neſciuere hauſtus, ſed ut ipſæ pocula ſumunt
Acria nutrices, hauſto mox lacte redundat
Deriuata ſalus infantum in languida membra
Haud aliter non fellis acrẽ tantum ebibit hauſtũ

Tormenta

Tormenta in ligno perpessus, sed uice nostra
Multa indigna ferēs mortem gustauit amaram;
In nos ut translata salus uertatur, & in nos
Transfluat effectus meritorum impunè suorum,
Et largè recreet cupida qui mente, fideq;
Vberibus uerbi lactis deducimus haustus.

Iohan: Maior Ioach. D.

Die quo recolitur memoria Christi crucifixi:

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Schneideuucin, I. V. Doctor & Professor, Lecturis S. D.

EXpectata dies uenit, pulcramq; serena
Auroram Phaëtontis equi cum luce ministrant,
Post tantas uentorum iras, & tristia monstra
Visa polo uarijs clades præludere formis,
Postq; tot exhaustos nostra in statione labores,
Dum premit hunc ærumna domi, fors aspera cordi est
Huic foris, & rerum impendens manifesta ruina,
Quocunq; aspicias: & sic redit actus in orbem

Humanus

Humanus labor, & cladi subit altera clades,
Et meritò, quid enim dextri sperare licebit
Confusa in rerum forma, tantisq; periclis?
Verũ omnis dolor hinc, atq; omnis cura facessat,
Plus emendando gaudent quàm multa dolendo
Numina: si posthac uitam melioribus ausis
Ingredimur, duris succedent prospera rebus:
Et lux illa quidem tot gaudia cordibus affert,
Omnis ut ærumnæ uacua, atq; expertia curæ
Dulces lætitia iactent ad sidera uoces,
Quam satus ipse Deo decoratã insignibus ausis
Illustrem fama longè super æthera uexit,
Vt non lingua ausit laudes æquare canendo.
Tempore namq; illo rubræ de semine terræ
Factus homo est, quando diuinæ particulam auræ
Inflauit pater, & dominari in cætera iussit:
Et DEVS in puræ conceptus uirginis aluo est,
Flatus obumbrabat cùm numinis: Ignis & alto
Æthere compulsus picea caligine fontes
Inuoluit Sodomas, & flammas inter anhelas
Expedijt Lothus gressum, uimq; exijt omnem.
Et gens Isacidum sicco pede transijt æquor
Purpureum, sæui fugiens iura dura Tyranni,
Et ducente Dei nato data fata secuta est
Per fissas Iordanis aquas, cùm magna uirûm uis
Barbaricum comitata ducem, subucrsa procellis

In medijs

In medijs latices epotauêre marinos,
Atq; atro luxêre igni freta cærula, & altè
Intonuit cœlum, tremuitq; exterrita tellus.
Quiq; olim tres ante dies pro crimine mundi
Hostia conciderat signatus patribus Agnus,
Luce sub hac iterum Lethæis uictor ab umbris
Vi propria ad superas tumulo sese extulit auras,
Iusticiæ spolia ampla ferens mortalibus ægris,
(Humanum tanti fuerat genus) arduus ex quo
Sub pedib. pressit lethum, absumpsitq; triumpho,
Disiectæq; Erebi moles cum uectibus æreis
Obnixæ crepuere, & centum uinctus ahenis
Post tergum nodis sedet atri spiritus Orci
Asper, acerba fremens, sparsoq; infecta cerebro
Vincla tuens, implet diris ululatibus umbras.
Sed uincla incluſit uinclis, Christusq; per auras
Spectatum sublimè tulit, defunctaq; uita
Corpora Sanctorum ruptis excita sepulcris
Restituit secum iucunda ad lumina uitæ,
Promeritus nobis rediuiuum carnis honorem,
Persimilemq; ipsi formam, rapidumq; uigorem,
Et claros artus, securaq; membra laborum.
Nam caro peccati massa ut concepta sub aluo est
Inq; auras producta agitat nunc duriter æuum:
In terram redigi demum, in cineremq; necesse est
Dissolui mandante Deo, quia labis inhæret

Plurimum adhuc animis, ſtimulatq; cupido ſu-
perſtes
Et prius in foueis abſconſi corpora ſomno
Steruere oportet humi, donec de corpore putri,
Et cinere informi, tãdem noua corpora Chriſtus
Efficiet, puri radijs certantia Phœbi,
Vt qui de cinerum maſsis uitra lucida conflant:
Atq; nouis iterum exuuijs, nitidisq; iuuenta
Veſtiet oſſa hominum, uiridis quæ graminis in-
ſtar
Pulcrum oſtentabunt florem, longèq; nitebunt.
Et qui compoſiti letho in tellure quiẽrunt,
Ollis ſomnum ingens rumpet canor, oſſaq; & artus.
Permixti inter ſe ſua quiq; ad membra redibunt,
Et nutu citius ſupera ad conuexa leuati,
Translatis olim ad ſuperos in corpore uiuo
Obuia perpetuò iungent commercia cœlo.
Pro quibus, ut dignum eſt hodie perſolucre
grates,
Credentûm gens omnis, & agmina flammea cœli
Dulciſonas ſõluunt Chriſti in preconia linguas,
Huncq; diem ſaluere iubent, lætumq; per orbem
Apparere pijs iterumq; iterumq; precantur,
Et cantũ ingeminant chordis, et uoce ſequuntur,
Victor iò, bellator iò, dux ætheris alti,
Sis bonus ô felixq; tuis, tete arbiter Orci,

Te

Te Stygij tremuere lacus, tu uincta leuabas
Agmina, & immisso trepidabant lumine manes.
Tartareum ipse manu serpentem in uincla trahebas
Dux quanquam gregis, atq; inuictus uiribus esset.
Tu patrum manes Erebo deducere adortus,
Tu mortis truncasti aciem qua fecerat ictus,
Nec uim tela ferunt ultrà, nec amara sapore est
Amplius, in dulcem uertisti namq; soporem.
Nec canis inferno porrectus corpore in antro
Latratũ exercet, nec morsibus appetit umbras.
Venisti tandem multùm exoptate Redemptor,
Tempore quem tanto patres procul expectabant
Languentes desiderio sub nocte profunda,
Vtecum è sicco transferres gurgite ad auras
Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas,
Respiciens clausos tenebris, & carcere cœco.
Et sic uoce canunt: responsant ardua cœli
Conuexa, & cantu longè lateq; resultant.
Ergò agite ô homines sacris præsentibus acti
Fermento lustrate animos, sint nescia fellis
Pectora, sincerum quæ religionis amorem
Amplexa, in puris traducant moribus æuum.
Este pij, placidiq;, fidemq; ostendite factis
Egregia qui nunc uitam excoluistis in arte,

Gaudia testantes sacra quòd Christus in ara
In mortem nostra pro libertate cadebat,
Quisq; ministerio sua debita munera ad ARAM
Offerat, & digno uenerctur honore ministros.

Vuitenbergæ in Paschate, Anno
à prima Paschate 3371. Anno
à condito mundo, & edita pri-
ma promissione 5525.

RECTOR ACADE

MIÆ VVITEBERGENSIS,

Iohannes Schneideuuein, I.V. Do-
ctor & Professor.

INgentes sunt miseriæ generis humani, q
propter peccatum terra quam calcam
maledicta, & cœlum quod suspicimus im
ritui subiectum & natura uniuersa, ut sic dica
retrò sublapsa, & potestas facta est grassan
in nos & nostra omnia Diabolo: Hominis a
tem natura & animo & corpore multiplici
atq; miserabiliter debilitata in mortem se præ
pitauit, διὰ γὰρ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος
εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, & communes calam
tates omnibus, & peculiares utriq; sexui imm
sæ sunt. Muliebris autem sexus cùm sit credi
ad pariendum, huic peculiari operi illius pœn
pecc

peccati cruciatus & dolores addidit. Sicut tamen ex omnibus tàm corporis quàm animæ, & huius temporis & æternis malis liberantur uniuersi, qui credunt in Filium Dei Iesum Christum σωτῆρα nostrum, Ita huius etiam sexus culpa & miseriæ peculiares saluti ipsius minimè obstant, si ita ut à Deo creatus est, & suo loco, atq; in uocatione sua, ut loquuntur, donum salutis accipit, neq; impietate & sceleribus refutat, ut sint mulieres uel homines uel matres piæ. Hoc est, quod Paulus scribit Timotheo, σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ μετὰ σωφροσύνης. Saluabitur tamen sexus muliebris pariendo liberos si perstiterit in fide, caritate, sanctimonia & castitate. Cuius doctrinæ admonet nos perluctuosum funus honestißimæ matronæ CATHARINÆ SABINÆ MEIENBVRGIÆ, quæ hesterna nocte post diē à partu decimum in Colicis & alijs cruciatibus dolore extincta est, cùm esset corpore integro atq; eximio, & florens omni muliebri decore paulò antè inchoasset ætatis annum 24. & in coniugio annum quartum nondum compleuisset. Ita autem mortua est, ut pietatem erga Deum & homines suam multis rebus ostenderet. Repetebat sententiam Paulinam: Siue uiuimus siue morimur Domini

ſumus, Et ad circũſtantes profitebatur, etiãſi dolorib. impedita loqui multũ non poſſet, ſe tamen intus orare corde ſuo, neq; dubitare, q, eſſet futura in gremio Filij Dei cum patre, matre, auo et auia & ſuis cæteris, & cõſolata maritum ſpe reſurrectionis: ad quẽ in amore ſummo omnes mortis ſibi inſtãtis præſenſiões, quos lõgo tẽpore habuit et ad alios de his teſtata fuit, accuratißimè diſſimulauit: cõmendans etiã huic & Socrui filiolũ, uitã clauſit eiuſmodi fine, qualem unuſquiſq; pius ſibi optet. Scitis hãc Georgij Sabini uiri Clariſſ: filiã fuiſſe, & neptẽ dñi Philip: Melanth: &c. quẽ auũ maternũ habuit, Sed patrẽ & auũ ſuperiore anno, & uno quidẽ utrũq;, amiſit: auiã maternã anno ante hunc 5. matrem 15. Vidit et alia ſuorũ funera, quæ iam ipſius morte cumulãtur, ut optima et honeſtißima familia intra paucos annos hoc funus ex domeſticis ducat ſextum aut ſeptimũ. Sicut mirificè fieri animaduertitur & de cauſis occultis, ut unũ in una gẽte funus, ſequãtur gentilia & familiaria plura alia. Auus quidem & auia materna cùm eſſent, ut omnes ſcimus, ſuorum amantißimi, peculiari tamen & eximia erga hanc neptem affectione fuere, auus imprimis, Itaq; & in domo Philippi Melanthonis hæc educata, & ex hac nunquã dimiſſa fuit, qui ita hanc dilexit, ut æſtimare uix poßimus, cum quanto dolore mortem huius laturus eſſet ſi uiueret, & talem mortem, qua pronepos ei à nepte puerpera relinqueretur.

Et

ET oramus igitur & hortamur noſtros uniuerſos, ut ad ſepulturam, quæ fiet hodie hora 12. funus optimæ & primariæ Fœminæ frequentes deducant, etiam propter eum, quem nos coluimus & dileximus, qui hanc dilexit unicè, ut diximus. Cũ propter D. Philippi merita publica erga Rempublicã & Eccleſiam, & priuata erga plurimos noſtrũ, familiæ & poſteritati huius quid debeamus, unicuiq; ſtatuere in promptu ſit.

Cumq; delegerit ſibi hanc domũ coniugij Ornatiſſ: uir, optimo loco natus, & optimi patris optimus filius, dominus Michaelus Maienburgius, hoc officio noſtro dolorem ipſius & propinquitatis uniuerſæ conſolemur, cùm inter maximas in terra calamitates ſit cõiunctionis inter pios coniuges per mortem diremptio. Quod reſtat hoc etiam hortamur uniuerſos, ut conſideratione tàm cõmunis quàm ſuæ unuſquiſq; miſeriæ, & alienarum reſpectu, quæ ante oculos noſtros uerſantur nimis multæ, & multiplicibus atq; portentoſis cõminationib. de pœnis quæ impendent cõtumaciæ profanorum hominũ. Horum igitur omnium cogitatione & reſpectu, ſuam quiſq; uitam Deo & hominib. probare ſtudeat, ἐπαγγελλόμενοι θεοσέβειαν διʼ ἔργων ἀγαθῶν, ſicut Apoſtolus monet, ut & mentes noſtræ cognitione ueritatis ſint illuſtres, et uita honeſtate atq; ſanctitate ſplendida. Ita n. filij lucis & diei erimus, quales nos eſſe debere idem alibi præcipit. P P. 7 Cal: Aprilis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Iohannes Schneideuuein D.

VT Rebuſpublicis ita priuatis rationibus in gubernatione quacunq; detrimentoſæ ſunt crebræ mutationes eorum, qui aliquam publicorum & neceſſariorum onerum partem ex utilitate communi ſuſtinent atq; adminiſtrant. Sed publica damna quòd ad multos pertinent, & à multis ſentiuntur, conſpectiora ſunt. Idcircò Salomon inter peccatorum pœnas recenſet ſubitos & crebros principum interitus, cùm inquit: Propter delicta terræ citò alij poſt alios fiunt principes. Et ſæpè prædicitur propter peccata populi non dari ſalutares principes, ut Eſa. 3. Cap: Auferet Dominus bellatorem, & iudicem & Prophetam. Vtrarumq; mutationum exempla uidimus, & ſenſimus incommoda in noſtra qualicunq; gubernatione ſcholaſtica, quæ non longo interuallo & gubernatoribus ſapientiſſimis, & Prophetis ſanctiſſimis orbata eſt, de qua mutatione, quæ in Eccleſiam redundarint mala, quæ pœnæ impendeant, ſi quis non conſiderat, amens eſt. Sed ſanari hæc ætate poſſent ac diuturnitate temporis, ſi noua non indies & grauiora accederent noſtra

nostra culpa, plura enim ex his ἐλάττα magis ἢ ἐπίσπαστα, quàm αὐτόματα sunt, Vt accersere rebus bonis interitum studiosè uideamur. Priuata uerò nostra non minus & hos ipsos gubernatores ac Prophetas quàm publica desiderant, & præter hos alios etiam, qui quod communibus rebus fideliter inseruierunt, & prudenter consuluerunt obitu suo hæc commoda nobis interuerterunt. Vix quadrimestre spacium exactum est, cùm Quæstorem Academiæ VINCENTIVM HASSE, hominem fidelissimum & diligentissimum sepeliuimus. Illi cùm successorem decreuissemus uectigalium in hac præfectura exactorem VALENTINVM HANISCH honestum & grauem in hac urbe ciuẽ, & propter integritatem omnibus carũ. Huius etiam nobis operam præmatura mors eripuit. Decessit enim is ex hac uita heri post primam pomeridianam defectu collapsarum uirium extinctus in uera Dei agnitione & inuocatione. Huic funus fiet hodie hora tertia, quod ut scholastici prosequãtur frequentes, hortamur.

Cogitemus autem in his funerum spectaculis de miseriis nostris. Non simus aut tàm cæci, ut non consideremus calamitates publicas, aut tàm ferrei, ut nec alienis nec nostris pœnis emendemur, sicut reperiuntur multi, quorum aliqui

efferantur & fiunt rabiosiores in pœnis, aliqui repressi, aliquantisper, mox relabuntur in eadem scelera. Iudæi post tristissimas calamitates, & admirãdas liberationes Maccabæis fratribus interfectis petulantissimè lacerarunt doctrinã dissidijs sectarum Pharisaicæ & Saduceæ. Lacerarunt & regnum ciuilibus bellis. In ea historia nostræ Germaniæ imaginem contemplemur. Emendata doctrina nulli redeunt ad priores errores, & postea prorsus fiunt athei. Multi nouis erroribus lucem ueræ doctrinæ obruunt & seditiones mouent, atq; hæc omnia ἐπισκιάζουσι ὀνόματι χάλυβος. Vt Basilius inquit: Multi Doctores omissa inquisitione doctrinæ tradunt grata uulgo. Vulgus delectatur licentia, & laxat frenos cupiditatibus. Coguntur Synodi arbitrio paucorum, in quibus & fiunt decreta mirabilia, & planè hoc euenit, quod de sui tẽporis Synodis Basilius ait: ὅτι μὴν κατηγορούμενοι καταδικάζονται ἀκρίτως, οὐδὲ κατηγοροῦντες πιστεύονται ἀνεξετάστως. Itaq; pœnas maiores attrahimus. Seruabit tamen DEVS aliquas ueræ Ecclesiæ reliquias. Huius si uolumus membra esse, seriò conuertamur ad Deum, & petamus nos conuerti, regi & confirmari à Filio Dei, Amen.

4. Non: Aprilis

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VNica & firmißima eſt in ærumnoſæ huius uitæ fluctibus ac tempeſtatibus conſolatio pijs mentibus propoſita, quòd Filius Dei λόγος ἡυὶὸς εἰκὼν ὁμοούσιος æterni Patris, mirando atq; inenarrabili fœdere ſibi carnis humanæ maſſam copulauit, eoq; fœdere, ut pignore certißimo, teſtatus eſt, uere ſe hanc ſuam creaturam diligere, curare & reſpicere, nec uelle, ut in perpetuum exitium auulſa à Deo creatore ruat, ſed ut ſurculus trunco uegeto inſitus uiuificatur, ita noſtra natura fide inſerta ipſius maſſæ, ſuſtentetur ac uiuificetur. Vt enim corpus humanum deſtitutum ab anima, mox diſſoluitur: ita tota humana natura penitus interiiſſet, niſi eam Filius Dei complexus eſſet. Hac conſolatione toto morbi tempore, & in agone præcipuè ſe ſuſtentauit atq; erexit honeſtus, eruditus ac pius Iuuenis IOHANNES CREMERVS Vuaſſertrudingenſis, qui cùm natura eſſet languidior, & tenelli corporis conſtitutionem nimia atq; intempeſtiua aſſiduitate ac lucubrationibus uehementer afflixiſſet, febre correptus eſt ardente, cuius æſtu conſumptus, animam hac

hac nocte creatori ſuo placidiſſimè inter aſſidua uota & preces reddidit, aſſiduè repetens dictum Prophetæ: In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra. Etſi autem hæc illi migratio ad cœleſtẽ illam atq; perfectiſſimã Academiam, in qua iam nõ exiguos & turbidos ſapientiæ diuinæ riuulos bibit, quales in hoc ſqualido domicilio percipimus, ſed ipſos fontes ſapientiæ diuinæ largiter pura mente haurit, gratulanda eſt: Eccleſiam tamen dolemus, eiuſmodi ingenijs, quorum uſus eſſe potuiſſet ad propagationem doctrinarum, orbari. Erat omnino huius iuuenis ingenium excitatum, acre & doctrinæ cupidiſſimum, uita ſobria, mores caſti, placidi, ſedati, & in omni actione decentes, pictatemq; animi ſui uera & ardenti inuocatione Filij Dei, cùm in tota uita, tùm uerò in hoc poſtremo actu teſtatus eſt. Talis cùm fuerit, non dubitamus eum ex numero eorum eſſe, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Fiet autem ei funus hodie hora 4. poſt concionem, ad quod deducendum, ut frequentes conueniant ſcholaſtici, non procul à templo Parochiali, eos hortamur, atq; ibi cùm de communibus generis humani miſerijs & de cauſis mortis, tùm de ſuis etiam periculis cogitent. Meminerint etiam præcepti Apoſtolici, habendum eſſe honorem corpori, & par-

parcendum esse ualetudini, non solum temperantia & sobrietate, uerùm etiam moderatione omnium actionum & studiorum.

Datæ Vuitebergæ 12. Calend: Aprilis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Iohannes Schneideuuein, I. V. Doctor & Professor &c.

CVm in prima coniugij institutione dicitur: Erunt duo in carne una, quam uocem deinceps Christus repetit & declarat, Paulus exaggerat, illo inferente. ERGO non duo erunt, sed una caro. Hoc addente, NEMO unquàm carnem suam odio habuit. His ergò expressum est utrunq;, & qualis sit nexus atq; copulatio coniugum, & quanta sit uis ueri & mutui amoris inter pios ac legitimos coniuges. Non sunt autem leges coniugij Tyrannica uincula, ut Ethnici furenter imaginati sunt, aut motus amoris mutui inordinatæ ac uagæ flammæ, quæ simulatione induantur ac ponantur. Sed est coniugium ordo sapientiæ diuinæ in ipsa mente Dei immotus, & magno consilio propter multas causas generi humano traditus, inter quas causas illam esse non dubium est, ut discrimen sit illustrius inter Deum & immũdos spiritus. Et incendia

tendia legitimi amoris in cordibus inter eos, quos Deus coniunctos esse uult, sæpissimè mirifica & occulta commotione animorum erga se mutuò sine ulla præcedente προφάσει excitantur diuinitus. Vt enim στοργαὶ parentum erga liberos, & horum erga illos uicissim, conditæ sunt in natura hominum diuinitus, ad eum modum, ut propagentur generatione in sobolem, & cognati sanguinis propinquitate, insitoq; naturæ sensu perpetuò alantur. Ita cogitemus ueras στοργὰς coniugum non ex permixtione mutua spirituum tantùm oriri, sed incendi diuinitus, hisq; corda ita affici, interq; sese ita deuinciri, ut animus unius ceu in pectus alterius demigret, & fiat quasi coalitus duorum in unum, quo corpora etiam inter se connectuntur uno eodemq; animo in duobus diuersis habitante. Sunt enim coniugia fatalia sine omni dubio. Vt autem, cùm fit animæ separatio, non accidit destructio corpori sine ingenti dolore, etiamsi animus gustu lætitiæ ac uitæ æternæ delibutus, sit ad migrandum paratissimus, ita cùm fit diuulsio coniugum, animus illius qui relinquitur, quasi mutilatus dimidia sui parte, & ex dulcis habitaculi gratissima sede extrusus, ingentem dolorem de exilij, orbitatis & mutilationis sensu percipit. Hic dolor tantò est sæuior, quantò coniunctio fuit ardentior, &

firmior

firmior ob naturarum similitudinem, aut aliarum rerum conuenientiam. In tales dolores cùm incidunt amici, iustissimum est nos calamitatibus eorum affici, & dare operam, ut quibus fieri potest, officijs mœsticiam illis diluamus ac leniamus.

Amisit autem coniugem suam die huius mensis decima Vir Clariß: Doctor VITVS ORTEL Iunior, ornatam dotibus omnibus & uirtutibus honestæ matronæ conuenientibus, & extinctam in ipso primæ iuuentæ flore, anno post nuptias quarto, quam scitis natam fuisse patre præstantißimo, cuius & in gubernatione politica prudentiam, fidem atq; industriam hæ regiones perspexerunt, cùm præcipua gubernationis consilia rexit apud tres Electores Saxoniæ, & in defensione ueræ religionis animositatem atq; constantiam conspexerunt ordines Imperij, cùm recitauit Augustæ confessionem nostrarum Ecclesiarum coram CAROLO V. Imperatore. SALOMON inquit, ὃς εὗρε γυναῖκα ἀγαθὴν εὗρε χάριτας, ἔλαβε δὲ παρὰ κυρίου ἱλαρότητα. Tales gratias attulerat Doctori Vito coniunx Euphrosyne, quæ & nomine & reipsa fuit Ευφροσύνη, plena σεμνότητος grauitate quadã matronali tẽperatæ, Maritũ & dilexit ardenter & coluit unicè omnib. officijs.

Ad

Ad Soceri Doctoris Viti senioris uoluntatem & nutus ita sese composuit, ut in hac senecta mœsticiam ei ac ærumnas publicas suauitate morum ac sermonum & omni ueræ reuerentiæ cultu plurimum lenierit. Huius collo, cùm uoce deficiente proloqui nihil amplius posset, tremulis manibus circumuoluta, & aliquandiu immorata in cani capitis uenerando cõplexu, osculo ad extremum affectionem suam, quam uerbis exprimere nequiuit, testata, lachrymantem dimisit. Parentibus obsequentissima fuit omni tempore, à quibus etiam piè religioseq; fuit educata, & ad omne uirtutis genus edocta atq; assuefacta, Deum uerè timuit & ardenter inuocauit in agnitione & fiducia Iesu Christi saluatoris nostri, cui sese & animam suam assidua precatione commendauit, Non dubium est itaq; translatam esse in cœtum eorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Talem cùm Filius coniugem, Pater nurum amiserit, uterq; in grauissimo est & acerbissimo luctu. Efferentur autem exuuiæ ad sepulturam usitatis funerum ritibus hodie hora duodecima. His cærcmonijs ut scholastici adsint frequentes præcipimus, tum ut declarent hoc officij genere gratitudinem quam debent utriq;, & imprimis Domino D. patri propter innumera eius erga hanc

scholam

Scholam & singulos merita, tum ut Parentibus utrisq; mœrorem ac luctum, in quo sunt, alleuent, ostensa societate doloris, qua cum uelut transferatur in alium doloris pars, minui illum ægro necesse est.

Pridie Iduum Aprilis.

EPITAPHIVM HONESTISS: & PIENTISSIMÆ Matronæ, Clariss: uiri D. Viti Ortelij, I. V. Doctoris Coniugis &c.

CVi Pontanus erat genitor, quo Saxonis ora
Non tulit eloquio, consilijsq; parem:
Cui Vitus thalami consors, qui nomine patrem,
Facunda & socerum doctus in arte refert:
Hîc iacet Euphrosyne, cui cum re nomen habenti
Frons hilaris mixta cum grauitate fuit.
Sæpè uiri curas, defessaq; pectora agendo,
Moribus, & gratis lenijt officijs.
Virtutum rectrix externo in munere uitæ
Intus erat sacro Flamine mota fides.
Hinc pudor, & probitas, tacitæq; modestia linguæ,
Coniugis & cari non simulatus amor.
Ingenui mores, nec ficti tempore gestus,
Et sine labe fides, & sine lite thorus.

Hæc inopum sortem larga stipe sæpe leuauit,
Vicinosq; sua iuuit & auxit ope.
Verba Dei complexa fide, sibi munere Patris
Iusticiam Christi credidit esse datam.
Illius & meritis partis in sanguine fuso
Nixa fide, gratis dona salutis habet.
Et nunc læticia fruitur, uitaq; perenni,
Et caro exoptat mollia fata uiro.
Corpus humo dormit: uiuit Mens æthere: Fama
Ore uiri: & memori pectore Imago manet.

VICERECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

DVlcissima uox est in lectione Euangelij hodierni, quod inquit Dominus: Ego sum Pastor bonus, et cognosco oues meas, & cognoscor à meis, sicut nouit me Pater, et ego cognosco Patrem, & animam meam pro ouibus pono. Se adfirmat non solum doctorem esse, sed ministrum externæ uocis, quales fuerunt & sunt Patres, Prophetæ, Apostoli, & omnes ab ipso missi doctores, sed esse summum Ecclesiæ caput, perficiens omnia in omnibus, dans remissionem peccatorum, iusticiam, Spiritum sanctum, lucem, læticiam & uitam æternam, & in hac uita subinde

inde respiciens, seruans, protegens & saluans suas ouiculas, seq; his coniunctum esse nexu tam arcto, æterno & indissolubili, quali cum Patre in tota æternitate unum est. Nam sic postea uerba hæc declarat inquiens: Ego ouibus meis do uitam æternam, & non peribunt in æternum, Nemo rapiet oues meas de manibus meis, Pater meus, qui dedit mihi, maior est omnibus, Et nemo potest eas rapere de manu Patris mei. Ego enim & Pater unum sumus. Nihil potest dici aut cogitari maius, aut ad consolationem magis efficax. Ac nisi pectora hominum tam fœde & miserabiliter depranata essent, præ gaudio dissilire ea oporteret, quoties has promissiones audiunt, legunt aut cogitant. Sed proh dolor segnius & frigidius eas omnes cogitamus, quàm par est. Sunt tamen sæpè monendi pij, & assidua repetitione excitandi, ut aliquo modo dictorum talium dulcedinem in ueris doloribus degustare discant. Vsus uerò eorum præcipuus & efficacissimus est in cogitatione mortis & periculorum tristium, quibus momentis omnibus expositi sunt homines uniuersi, & electi ac sancti Ecclesiæ ciues potissimum, qui cum uel ærumnis tristibus, uel morte ipsa opprimuntur, sentiunt quantis ceu fluctibus ac procellis dubitationum spectaculis illis & euentibus contrarijs concutiantur, Hi dicta illa

meminerint, & cogitent aßiduè, Ego oues meas cognoſco, Ego uitam æternam do eis, Nemo rapiet eas de manibus meis. Pertinent autem non ad illos ſolos, qui cogitare hæc poſſunt, ſed ad infantulos quoq;, quorum ſumma eſt imbecillitas & infirmitas. Hi ſunt oiculæ illæ Chriſto cariſſimæ, quos manibus ſuis complexos, & ipſi ut uiti inſertos fouet, geſtat, ſeruat et ſaluat in tota æternitate, ſicut alibi inquit: Non eſt uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis. Item: Talium eſt regnum cœlorum. Hac ergò ſe conſolatione erigat & ſuſtentet uir Clariſſimus & Academiæ noſtræ Rector Magnificus, Doctor Iohannes Schneideuuein, Profeſſor publicus &c. cui conflictanti cum diuturno & difficili morbo, heri noua calamitas accidit, amiſit enim filiolum natu minimum MARTINVM, quem coniunx honeſtiſſima ante ſeptimanas octodecim feliciter ei peperit. Etſi autem ſcimus eum pro ſua pietate ſæpè & miſerias generis humani conſiderare, & diuinis ſe promiſſionibus erigere & confirmare: Tamen æſtimare facile poſſumus eum ut patrem φιλοσοφώτατον, cum honeſtiſſima cõiuge, cum propter caſum hunc, tum morbi diuturnitatem, & uehementiam, quam nouus illa ærumna cumulat in dolore acerbiſſimo, eſſe. Quare has ei conſolationes diuinas iterum proponimus,

ponimus, ut certò statuat non se amisisse, sed ad scholam & Academiam æternam præmisisse filiolum Martinum, quem complexu suo gestet, foueat ac saluet Dominus noster IESVS Christus in tota æternitate. Iustissimum est autem, ut nostri doloris ac συμπαθείας significatio aliqua erga ipsum optimè de nobis omnibus & de Schola nostra meritum, extet. Quare uos hortamur, ut & propter merita ipsius & reuerentiam Magistratus, quem summa cum laude gerit & sustinet, hodie hora quarta ad deducendum funus filioli frequentes ante ædes eius conueniatis. Et Deum pro uniuersa Ecclesia, & uobis ipsis inuocetis, & simul seriò petatis, ut huic optimo uiro & dolorem leniat, & morbum difficillimum, & cæteras ærumnas eius mitiget. Datæ 12. Aprilis, quo die etiam defuncti filioli susceptricis Baptismi exuuiæ terræ conditæ ac sepultæ sunt.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERgensis.

CLarissimus uir D. Philippus Melanthon præceptor & parens noster, cuius memoriam quibus uerbis celebremus, non reperimus:

rimus: Cùm in commentatione mortis assidua uersaretur, & sicut Christianum hominem facere par est, quotidie felicem ex hac uita exitum à Deo precibus suis peteret, id quod & uersiculis testabatur, quos amicis recitare solebat huiusmodi:

Sic ego quotidie de lecto surgo precando,
Vt mens ad mortem sit duce læta Deo.

Hic igitur in pijs de morte commentationibus suis, non multis diebus ante suam ex hac uita migrationem colligere atq; consignare causas cœperat, cur minus ab hac abhorrere aliquis deberet, quarum aliquot ab ijs rebus duxerat, quæ in illa altera & immortali uita sunt, easq; causas à dextris appellauerat, quasdam uerò ab ijs, quæ in hac terrena & caduca uita nobis accidunt, quas causarum nomine, quæ à sinistris essent, inscripserat. Has uniuersas cum & propter memoriam tanti uiri, & propter institutionem utilem à plerisq; expeti, à multis exceptum iri non dubitemus, ipsius etiam uerbis, & non nostris, eu hoc loco exponemus. Vidimus igitur chartam, in qua manu sua summus ille uir sic scripserat: CAVSÆ, cur minus abhorreas à morte. A DEXTRIS, Venies in lucem, ubi cernes Deum, Filium Dei. Disces illa mira arcana. Item, rectè cognosces causas, cur sic cõditi simus.

A Si-

A SINISTRIS, Discedes à peccatis, erumnis, odijs Theologorum. Hæc uerba sunt illius. Etsi autem facile hæc uniuscuiusq; meditationibus & notationibus pijs augeri possunt, ad felicitatem tamen illius alterius uitæ piorum, & miseriam communem præsentis, reducuntur omnia. De priore autem humana sapientia certò statuere nihil potest. De altero multum quidem: nam omnes omnium sapientum de contemnenda morte rationes hinc potißimum ducuntur: Sed quæ tamen, cùm de æternæ illius uitæ felicitate sibi certi policeri nihil posßit, consolationem firmam præstare cuiquam nequeant. Etiam præcipuam huius uitæ miseriam minus & uidet & curat Philosophia, quæ est illa à peccatis & patre huius Diabolo, perpetua tentatio, cui dum se opponunt sancti, in militia perpetua uersantur, quæ laborioßam uitam reddit & difficilem atq; periculoßam. Cum autem & Oeconomum nostrum fidelißimum nudius quintus sepeliuerimus, & hodiernum illud funus scholastici nostri cumuletur hoc altero, & omnia sint plena periculorum & miseriarum, & maiores impendere non sit dubium, In tam incerta uita nostra tales commentationes in omnium animis excitari & intendi oportet. Decessit autem uiri & ciuis optimi & honestißi-

mi Ambrosij Reuteri, Academiæ nostræ Scribæ publici filia, uirgo optima & honestißima, BENIGNA REVTERINA, cuius ea fuit pietas, ut freta Christo grauißimas tentationes perferret, & ope huius superaret, atq; certißima cum spe coniunctionis cum Christo in altera uita æternæ suæ, ex hac uita migraret. Ei funus fiet hodie hora tertia, quod & ipsum ut scholastici nostri frequentes prosequantur, & causas se habere intelligunt, & nos eos ut faciant, hortamur.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IN urbe Tridentina, ubi ἐκκλησιάζουσι λύκοι συναγελαζόμενοι, die mensis Februarij uicesima sexta secundo conuenit Synedrion Satellitum Pontificis Romani, qui eò Synodi causa magno numero confluxerunt. In eo auditi sunt frequenti senatu Oratores Regum aliquot orbis Christiani, & decreta facta ac promulgata sunt de præstanda illis fide publica, qui rationes mutatæ ex uerbo Dei doctrinæ cõtra statuta Pontificum demonstrare uolent, & prorogatæ sunt

sunt collationes sententiarum de controuersiis in mensem Maium, ut sit spacium accedere uolentibus. Prodijt in scenam & Rethor Venetus Antonius Cacus Archiepiscopus Petracensis, qui concione rabiosa in Ecclesias nostras inuectus, satis ostendit, quo spiritu & collecti sint, & agantur, illo nimirum, qui mendax est & homicida. Tragicè exclamitat immensa flagitia & sacrilegia ex nefanda Lutherana hæresi orta esse, cuius extirpandæ causa conuenerint, & objicit nobis direptas Ecclesiæ facultates, deuastata monasteria, proiectam atq; profligatam Pontificum autoritatem, constupratas sacras uirgines, exturbatas templis statuas, conculcata Sacramenta, Ecclesiasticos Canones crematos, reuocatas hæreses uetustas, diuina Christianaq; dogmata conuulsa, & Monarchas orbis Christiani incitat ad stabiliendam armis & sæuicia suppliciorum impietatem Ecclesiæ Romanæ πλέων ἐστὶ ὀνομάτων λέγειν ἢ τοῖς ὀνόμασι κλέπτων καὶ μεταφέρων τὰ πράγματα. Terribiles omninò & diræ sunt uoces. Sed cur non ingenuè & apertè queritur, quod res est, omissis uerborum præstigijs, incisos esse per Lutheranos ueruos tyrannidis Pontificiæ, labefactatam potentiam, excussas impias & Tyrannicas eorundem leges, erepta præsidia luxui & superbiæ

ſuperbiæ Romanæ ac uitæ ocioſorum hominum molli, delicatæ, & tacitè flagitioſæ, diſturbatas latebras mendaciorum & idolatriæ, & eiectos inde conſcientiarum carnifices, ſuperſtitionis barbaricæ Architectos & Aniſtites, omnis doctrinæ liberalioris iuratos hoſtes, abolitum impurum cœlibatum uotaq; ſoluta, quæ ſine ſcelere & impietate præſtari nequeunt, repurgatum & uindicatum uerum uſum Sacramentorum, exploſam idolatriam, reſtitutam ueram DEI inuocationem, repudiata traditionum humanarum obſeruatione, reuocatam autoritatem præceptionum diuinarum, dogmata ad analogiam fidei & normam ſcripturæ ſacræ euoluta & extricata ex commentorum Pontificiorũ labyrinthis, & alia? Hæc ſe noſtri & feciſſe fatebuntur, & rectè feciſſe conuincent. O execrandam impudentiam & peruicaciam obſtinatam improbiſſimorum hominum, quos nec in tanta doctrinæ luce, toties conuictos, profligatos, penè iugulatos, redire ad uomitus priores falſa & irrita ſpe ſtatus priſtini ex diſſidijs noſtris, nec idolatrias, errores, abuſus, falſa decreta Pontificum, libidines, parricidia ſuo impio & mendaci prætextu uerbi ſacri, & tyrannidem immanem nomine ac titulo Eccleſiæ ἐπισκόπων, nec Monarchas impelle-

re

re & inflammare pudet, ut demonstratam & euictam ueritatem ferro, cædibus, supplicijs persequi ac delere conemur. Hæc scilicet proœmia & hi prologi illius præclari Synedrij ostendunt, qualia sint sequutura ψηφίσματα, & qualis sit futura deliberationum susceptarum catastrophe.

Opponimus igitur præstigijs Sycophantæ illius hæc uera & immota fundamenta doctrinæ traditæ uoce diuina, Non esse Ecclesiam apud illos, qui mordicus retinent ac pertinaciter defendunt Idola, errores, leges, & constitutiones manifestè pugnantes cum fundamento expresso in Lege DEI & Euangelio, & sunt ex professo hostes ueræ Ecclesiæ, partim Epicurei & ἄθεοι, partim idolatræ, quales sunt aduersarij nostri. Sola enim Ecclesia omnibus temporibus habuit integram & incorruptam doctrinam Legis & Euangelij. Hæc illustris & conspicua nota distinxit eam ab omnibus alijs gentibus.

Doctrinam utramq; aduersarij penè extinxerunt. Nam contra Legis diuinæ præcepta quæ non constituerunt? Falsa, impia, & blasphema dogmata, idolatriam multiplicem, commenticia numina: homines mortuos, ethnica opinione relatos inter Deos, statuas & ima-

& imagines sanctorum, consecratum panem, opposuerunt primo Præcepto prohibenti ne fingamus aliena numina, Cultibus sine uerbo & mandato DEI institutis, autoritate & temeritate priuata, ut inuocatione hominum mortuorum, adoratione statuarum, ἀρτολατρείᾳ, uotis Monasticis applicatione operum humanorum pro alijs, item magicis consecrationibus panis in Sacramento Cœnæ, uel aquæ, olei, salis, & aliarum creaturarum, statuerunt contrarium Præcepto secundo, prohibenti abusum nominis diuini, & exigenti cultus mandatos diuinitus & inuocationem ueram. Superstitiosa deprauatione Baptismi, mutilatione & horribili prophanatione Cœnæ Dominicæ, obseruatiõe superstitiosa commentitiorum & inanium operum, ut discriminis iborum, dierum festorum, uestium, ordinis sacri, supplicationum, iciuniorum & similum, euerterunt uim & autoritatem Præcepti tertij, quod alligat nos ad ritus & cœremonias diuinitus traditas, cùm ab alijs conditis humana autoritate expresso interdicto auocemur: Fruſtrà colunt me mandatis hominum.

Contempta autoritate quarti Præcepti, turbarunt & peruerterunt gradus ac distinctionem officiorum ac personarum in genere humano institutam diuinitus. Confuderunt enim horribi-

horribili & pernicioſa audacia cum poteſtate politica Eccleſiaſticam, adeò, ut non ſolùm liberarint ſeſe Pontifices ab ea ſubiectione, qua fuerunt obligati Monarchis, ſed etiam uendicarint ſibi potentiam ſupremam, & uſurparint ius ſtatuendi & abrogandi quæ uellent. Eripuerunt enim Eccleſiæ uniuerſæ poteſtatem legitimam clauium, & hanc finxerunt peculiariter Romano Pontifici tributam eſſe, ut ſit Dominus & Iudex omnium Eccleſiarum, Paſtorum, Epiſcoporum, Regum, denique orbis terrarum in negocijs tam Eccleſiaſticis quàm politicis. Annexuerũt ad claues licentiam condendi traditiones humanas, inſtituendi nouos cultus diuinos: Extorſerunt Regibus terrenas ditiones excommunicationis telo, & hoc ſceleratè abuſi ſunt ad quæſtum & incrementa dominationis, & ſimilia tyrannidis inſtrumenta.

Hanc Tyrannidem & huius neruos, ſuperſtitiones atq; idolatriam, ſupplicijs, parricidijs ac bellis iniuſtis confirmarunt contra Præceptum quintum. Sacerdotibus nil moti reuerentia Præcepti ſexti prohibuerunt coniugia, & introduxerunt in mundum atq; accumularunt impuritatem horribilẽ, de qua prohibitione Paulus inquit, quòd ſit doctrina dæmoniorum. Vult enim Deus caſtitate præcipuè diſcerni ab omnibus

bus obſcœnis & immundis ſpiritibus, & omni tempore confuſiones libidinum ac uagæ fœdæq; commixtiones Idolatriam ſunt comitatæ. Rapuerunt & occuparunt quo iure quaue iniuria regna mundi & ditiones terrenas, friſtrà aduerſante Præcepto ſeptimo. Corruperunt doctrinam Eccleſiæ uniuerſam Sophiſtica petulanti, & nunc etiam pergunt abſurdis erroribus, abuſibus, ſuperſtitionibus ſuperiorum temporum, & ritibus ac decretis impijs affingere molliores interpretationes Sycophanticè, ut tectè ſtabiliant impietatem uicioſis ritibus conſeruatis, octauo Præcepto ueritatem exigente.

Negant peccatum eſſe & accuſari in Lege DEI concupiſcentiam, quæ eſt ἔκτροπα omnium uirium in homine, reclamantibus poſtremis Decalogi præceptis. Audacter affirmant, hominem poſſe ſuis uiribus Legi Dei ſatisfacere, quod Pelagianum eſt, & fingunt alia opera non mandata diuinitus, ut Monaſtica, quæ longè ſupra diuinitus mandata opera extollunt. Confuderunt doctrinam Legis & Euangelij, & beneficia Filij Dei propria in Euangelio propoſita, Item uerum cultum Filij Dei, qui ſolus eſt Mediator noſter, delcuerunt, & tranſtulerunt honorem ac meritum Filij in ſanctos, in commenti-

cia

tia opera Monachorum, in nundinas Indulgentiarum, uincula satisfactionum, terriculamenta Purgatorij sui quæstus causa. Corruperunt doctrinam de Pœnitentia, sublata fide, quòd dubitationem præcipiunt contra Euangelij doctrinam, clamantem: Qui non credit, mendacem facit Deum, & alligata pœnitentia ad enumerationem omnium peccatorum in secreta confessione, ad satisfactionem indictam arbitrio sacerdotis, ad pœnas Purgatorij. Inuocationem, quæ est portus & præsidium afflictæ conscientiæ unicum excusserunt pijs, præcipientes, inuocandum esse cum trepidatione & hæsitanter.

Hæc & similia alia commenta Pontificum, Monachorum, Scholasticorum, & aliorum, affirmamus pugnare cum expressa doctrina Legis & Euangelij, & ea execramur toto pectore.

Execramur & illos, qui hos manifestos furores in tanta luce ueritatis defendere Sycophantia, parricidijs, & alijs artificijs pergunt, & tamen Ecclesiæ titulum in ore perpetuò habent & impudenter iactitant, sicut facit ille declamator Synodi. Tales cohercendi erant, sicut Baldus Iurisconsultus pronunciauit c. 1. ex: de rescriptis: Quando agitur de correctione Pontificis, primò utendum est uerbis,

secundò

secundò herbis, tertio lapidibus. Et ubi non sufficit uirtutis ingenium, ualeat armorum praesidiũ & tutela. Sed nos implorantes Monarchas, καλὸν μὲν τιτάνας. Quare Deus tandem illos ulciscetur.

De consensu, quem toties obijciunt, respondemus, quod sui temporis Hæreticis consuetudinem alligantibus oppositit Basilius: οὐ νομίζομεν δίκαιον εἶναι τῶν παρ' ἑαυτοῖς ἐπικρατοῦσαν συνήθειαν νόμον καὶ κανόνα τοῦ ὀρθοῦ ποιεῖσθαι λόγου, ἀλλ' παρ' ὅτι ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα σύμφωνα τοῖς θείοις λόγοις, ἐπιτρέπειν τοῖς ἔξω πάντως τῆς ἀληθείας ὑπάρχουσι. Quidquid autem agmen illud Pontificium sanxerit, & mouerit, nos consoletur, quod cùm retineamus fundamentum Christi, Prophetarum & Apostolorum incorruptum, simus membra uerae Ecclesiae, etsi, ut factum est omni tempore, in nostris etiam Ecclesiis multi sunt mali, arrogantia deprauati, ut Propheta inquit, qui petulanter turbant consensum, qui fuit, & ueteratorie conuellunt ac distorquent, quae sunt rectè tradita. Confidamus etiam, si in his uestigijs ueritatis permanserimus, Filium Dei nobis certò affuturum & nos protecturum esse.

Cùm autem deceat nos de hoc tanto beneficio, de reddita scilicet luce doctrinae Deo gratias

tim agere aßiduè, decreuimus ad diem Solis proximam celebrare memoriam funeris optimi Patris & Præceptoris noſtri PHILIPPI MELANTHONIS, qui eo die mortuus eſt, Oratione publica, quam recitaturus eſt amicus, collega & frater noſter cariſsimus, Doctor Iohannes Maior. Ad eam pronunciationem ſcholaſtici ut conueniant frequentes, & coniunctis nobiſcum precibus ac uotis DEO commendent Eccleſiam ſuam, ac petant, ut quam nobis per Lutherum, Philippum, & alios horum πρασάτας ac συνέρρους reſtituit doctrinam, hanc contra Sophiſticen & ſæuitiam Diaboli & organorum eius tueatur ac conſeruet.

Dic 14 Aprilis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERHENSIS

Iohannes Schneideuuein, I. V. Doctor & Profeſſor.

EVripedes conſiderans infinitam molem ærumnarum, quas ſuſtinet hæc infirma natura, inter tantas generis humani miſerias, rectè dixiſſe iudicatur, τοιάυτα τῶν ἀνθρώπων ὐδενὶ ξυν τάυτῳ μένει, talia ſunt humana, ut

na, ut nihil in eodem maneat. Experientia enim quotidiana edocti fateri cogimur, magnam esse rerum humanarum infirmitatem & inconstantiam, & multos homini cuenire tristissimos casus, quorum ne cogitatio quidem unquam in mentem uenerit antea, sicut & sapienter Boëtius dixit: Constat æterna, positumq; lege est, ut constet genitum nihil. Etsi autem Ethnici omnibus temporibus harum ingentium miseriarum causas inquisiuerunt, tamen sola Ecclesia, quam Deus libris Propheticis & Apostolicis erudiuit, nõ modò causas omnium ærumnarum scit, sed & remedia præscribit, & modum, quo ab his malis liberamur, ostendit, simulq; portum prospicit, quo tandem ex hac ærumnarum ualle enauigantes, simus peruenturi. Quare omnes pij cogitatione ac spe secuturæ uitæ, patienter ferunt calamitates generi humano propter peccatum impositas, & simul Dei auxilium implorant, sperantes aut liberationem aut malorum mitigationem, simul & hoc ex diuina patefactione statuentes, quòd restet finalis liberatio, quæ nobis allatura est gloriam perpetuam, ineffabilem lætitiam in æterna consuetudine cum Deo, & Domino Iesu Christo Redemptore & liberatore nostro. Hac cogitatione & spe, quam communem cum omnibus pijs habet, erexit se toto morbi tem-

bi tempore uirgo honesta & sponsa pudica ANNA MASS, nata ex honesta familia patre Matthia, huius oppidi Senatore, cuius uirtutem & industriam in gubernatione ante paucos annos Respub: Vuitebergensis experta probauit, propter quam & principibus uiris charus fuit, inprimis Christierno Regi Daniæ, laudatissimæ memoriæ, qui huius uirginis parentem propter ingenium & industriam in regnum Daniæ euocauit, ut summis artificibus in splendidioris ædificij extructione, & arcis munitione consilio præiret. Apud hunc Regem in peregrinatione mortuus est Matthias Mass, qui superstitem reliquit inter cæteros liberos Annam, quæ à matre in optima disciplina educata, & magna cura ad Religionis et pietatis studium adsuefacta, mores suos cum laude castitatis, uerecundiæ & sedulitatis ita rexit, ut egregium testimonium illarum uirtutum apud omnes, quibus cum uixit, reliquerit. Desponsata fuit ornatissimo et doctissimo uiro M. Iohanni Bokelio Antuuerpiensi, cuius eruditio & probati mores, multis in hac Academia perspecti & noti sunt. Hic sponsus, cum ab Illustriss: Principe Luneburgensi & & Brunsuuicensi Vuilhelmo uocatus esset, ut ei cura & inspectio ualetuamis principum ditionis

Luneburgiacæ committeretur, in Galliam ante ſemeſtre profectus eſt, ut ſtudium artis Medicæ feliciter hic inchoatum continuaret. Interea autem abſente ſponſo, uirgo honeſta in morbũ incidit, quo cùm corporis uires proſtratæ eſſent, heſterno die circa horam tertiam matutinam in inuocatione Filij Dei, cui ſe, ut uero ſponſo Eccleſiæ commendauit, placidiſſima morte extincta eſt. Fiet autem ei funus hodie hora duodecima, quare petimus, ut auditores noſtri omnes conueniant ante ædes matris ad templum parrochiale, & teſtentur ſe uirtutem & pietatem in hoc ſexu magnifacere, & luctu M. Iohannis Bokelij, quem ex hoc acerbiſſimo caſu accipiet, adfici. Præterea in hoc ipſo congreſſu, ſimul preces coniungamus, ut inter nos Deus Euãgelij lucem, quam hac poſtrema ætate mundi accendit, clementer conſeruet, & reprimat Diabolos, eorumq; organa, quæ uel obſcurare uel prorſus tollere doctrinam conantur.

Datæ 7. Calend: Maij, quo die Iudæi exiſtimant mortuum eſſe IOSVAM filium Nun ſucceſſorem Moſi, qui populum ex deſerto trans Iordanem in terram promiſſam duxit, & ibi rebus maximis, bello & pace geſtis annis quadraginta, placidè obijt anno ætatis decimo ſupra centeſimum.

RE-

ANNO 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

REdijt dies Calendarum Maij, quo die Academiæ nostræ solenne est decernere cœtui scholastico Magistratum, qui rebus communibus per semestre præsit. Mandamus ergò scholasticis nostris seuerè, ut cras hora septima conueniant uniuersi in templo arci adiuncto, non solùm propter renunciationem Rectoris noui, sed etiam ut audiant & cognoscant leges, quæ mandato & autoritate Illustrissimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris, pacis publicæ ac disciplinæ causa ueteribus additæ, eodem loco, & tempore recitabuntur. Debet enim nosse unusquisq; & leges & magistratum suæ Reipublicæ. Tulimus hactenus non sine grauí scandalo publico, & priuato dolore nostro ingenti, incommoda quædam ex disciplinæ laxatione nata, quæ cùm augescant indies, atq; ingrauescant, adeò, ut ruinam & interitum moribus honestis ac rectis studijs, confusionem perpetuam benè ordinatis rebus minitari, & barbariem Cyclopicam pro humanitate, quæ literatorum propria esse debebat, inuehere uideantur: Coëgerunt nos de his quædam ad Illu-

ſtriſs: Principem Electorem, Dominum noſtrum clementiſsimũ referre. De his Cel: illius quæ ſtatuerit ac ſanxerit, et qua illa ſeueritate obſeruari ac fieri uelit, ut uincula diſciplinæ publicis mutationibus laxata, arctius paulò aſtringantur, & partim auertantur, partim emendentur, quæ occaſiones hactenus præbuerunt ſcholaſticis exorbitandi ac degenerandi, ea, quæ decet fieri, ſubiectione ac reuerentia, ut cognoſcatis, præcipimus. Spectata eſt in harum legum conſtitutione præcipuè διόρθωσις noſtræ politiæ, & utilitas ueſtra. Eo maiore et ſtudio amplecti has & colere atq; obſequi debetis. Quod ſi quem nec diuina neq; optimi Principis mouet autoritas, nec reſpectus afficit honeſtatis publicæ, aut ſui commodi ratio, is ſe ſciat & Deum uindicem & principem contemptæ autoritatis ſuæ ultorem habiturum eſſe. Dura uox Pauli eſt: Neceſſe eſt obedire, non ſolùm propter iram, ſed & propter conſcientiam. Conſcientia fit rea coram Deo, cùm petulanter & contumaciter uiolantur honeſta Magiſtratuum edicta. Sotadis Comici eſt: νόμος ἐσὶ θεὸς τοῦτ' ἀεὶ πάντοτε τίμα. Nam honeſtæ leges, quæ ſunt e fontibus diuinæ ſapientiæ deriuatæ, obligant autoritate diuina, & coli præſtariq; debent propter Deum, ſicut primum Decalogi præceptum

cæte

cetera comprehendit, & includit uniuersa, & obediemiam omnem refert ac dirigit ad Deum, legum autorem & exequutorem. Neq; nos deerimus officio nostro. Coniungant etiam scholastici preces & uota sua nobiscum, ut alueolos hos nostros DEVS clementer protegat, seruet lucem doctrinæ suæ, & impediat, elidat ac pessundet machinationes, quas in perniciem Ecclesiæ ueræ, agmen Pontificium in Synodo Tridentina magno conatu fabricat.

Pridie Calend: Maij.

ANNO 1562.

RECTORATVS

PIETATE ET VIRTVTE VIRI præstantissimi & Clarissimi D. IOHANNIS HERMANNI Nordlingensis, Artium & Medicinæ Doctoris & Professoris in Academia VVitenbergensi, per semestre, quod fuit à festo sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi Anni 1562. usq; ad festum S. Euangelistæ Lucæ eiusdem Anni uertentis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Iohannes Hermannus, Medicinæ Doctor & Professor.

PROpheta Dauid Psalmo 68: qui continet insignem descriptionem triumphi CHRISTI ascendentis in cœlum, inter reliquas picturas elegantiores, Ecclesiam multis uictorijs celebrem confert cum honesta Matrona, quam speciem in domo nominat. Nullum enim ornamentum familiæ, & domus potest esse maius & pulchrius, quàm honesta Materfamilias, quæ non auro, non preciosis uestibus, sed uirtutibus huic sexui conuenientibus sese exornat, uera erga

erga Deum pietate, iusta & requisita erga maritum obedientia, decore pudicitiæ, modestia, sedulitate φιλοσοργίας temperantia, & quæ sit similis, ut Simonides ait, apiculæ, hoc est, maneat domi suæ, & rem familiarem curet. Hoc enim modo Plutarchus mundum matronalem describit: κόσμος γὰρ ἐσὶν ὡς ἔλεγε κράτης τὸ κοσμοῦν, κοσμεῖ δὲ, τὸ κοσμιώτεραν γυναῖκα ποιοῦν, ποιεῖ δὲ τάνιημ οὐ χρυσὸς, οὐδὲ σμάραγδος, οὔτε κόκκος, ἀλλ' ὅσα σεμνότητος ἐυταξίας, αἰδοῦς ἔμφασιν περιτίθησιν. Talis matrona fuit coniunx honesti uiri Iohannis Fausti MARTHA, omni matronali decore exornata, cuius pietatem, castitatem, & in Oeconomiæ administratione, & liberorum educatione sedulitatem & fidem commendant multi, qui per annos aliquot conuictores Fausti fuerunt. Hæc febri aliquandiu laborauit ardenti, quà cùm corporis uires essent prostratæ, hesterno die placidè obdormiuit. Erexit se hesterni Euangelij concione, in qua Spiritus sanctus credentibus promittitur Paracletus seu aduocatus, qui non tantùm ministerio & miraculis in conseruatione Ecclesiæ, sed reuera etiam adest personaliter in cordibus sanctorum, motibus in corde docens & confirmans nos. Decessit igitur piè

in ardenti inuocatione & fiducia Filij Dei, subinde repetens hoc dictum: Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Fit autem huic Marthæ funus hodie hora duodecima. Quare hortamur scholasticos, ut ante eius ædes, quæ sunt in platea consulum, cõueniant, & pia precatione nos ipsos singuli, & totam Ecclesiam Deo commendemus. Si unquàm antea, nũc maximè precibus opus est, propter summa pericula, quæ imminent. Diabolus enim cùm uideat se mendacio & sophistica nos expugnare non posse, aperta ui, & parricidijs reguum suum stabilire conatur. Deum igitur ardentibus uotis precemur, ut Tyrannorum consilia, quæ diriguntur ad exercendam sæuitiam, impediat, & reprimat, sicut hactenus clementer impediuit, & repressit hypocritas, falsos doctores, & Matheologos Sophistas.

Die 11. Maij.

THEOLOGIÆ STVDIOSIS.

Salute per eum, qui est salus, uita & redemptio nostra.

Corripe me Domine, uerumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum rediges me.

Effun-

Effunde indignationem tuam ſuper gentes, quæ non cognouerunt te, ſuper regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt &c.

HAnc precationem hoc tempore cum Propheta ſæpè ac quotidiè omnes pios ardenti pectore repetere maximè decet, quo uidemus, propter horribilia peccata plurima, aduerſus nos accenſam iram Dei, & iam uagari pœnas. Graſſatur iã in multis Germaniæ locis horrenda lues, quæ magnã hominũ multitudinẽ ex hac uita rapuit, & uidetur breui iſta graſſatio luis occupatura plurima alia loca. Annonæ quãta difficultas ſit, cũm ſingulis annis hominũ malitia et auaricia creſcat, magno cũ dolore & detrimento noſtro, omnes experimur. Nec deſunt ſeminaria ingentiũ motuum, & bellorum in Germania et multis alijs locis. Videmus uicinum olim florentiſſimum Galliæ regnũ horrẽdo et miſerabili inteſtino bello ardere et cõflagrare, Nec eſt, q̃ pacẽ & tranquillitatem aliquamdiu diuturnam à Turcis & Moſcouitis, etiamſi factæ fuerint induciæ, ſperemus. Experiũtur ſinguli ſuas æriũnas, & miſerias domeſticas & priuatas, quæ ſimul cum peccatis quotidiè cumulantur & augentur. In his tantis malis publicis & priuatis: tamen quidam adeò duri & ferrei ſunt, ut hæc non ſentiant, contemnãt & rideant, qui ut Paulus inquit: ἀπηλγηκότες ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ, εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. Nos

Nos uerò, qui ſumus membra ſancti corporis Domini noſtri IESV *Chriſti, decet ſentire & intelligere noſtras miſerias & calamitates, quibus iuſtè à Deo plectimur, agere pœnitentiam, conuerti ad Deum, offerre nos ad pœnam commeritam, ſed tamen petere eius mitigationem, ut arguat, ſed non in furore corripiat, ſed non in ira, ſicuti Pharaonem, Senacherib, & alios impios arguit & corripuit.*

Vt igitur ad pœnitentiam, inuocationem Dei, & petitionem mitigationis pœnarum, quibus premimur, & niſi conuerſi ad Deum fuerimus, maioribus prememur, nos mutuò exuſcitemus & accendamus, decreui, iuuante Deo, ſeptem Pſalmos pœnitentiales (ut uocant) ordine enarrare, quorum primus eſt: Domine ne in furore tuo arguas me, Neq; in ira tua corripias me. Cuius enarrationem hodie hora tertia loco ſolito ordiemur.

Georgius Maior S. Theologiæ Doctor & Profeſſor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERgenſis.

NVnc puris animis opus, & nunc pectore fido
Tantùm indulgendũ ſacris, moreſq; nouãdi.

Non

Non bene conueniunt, nec in una ſede morantur
Conſcia mens, flatusq; ſacer, procul eſte prophani
Qui retrò in crimen ruitis, uitæq; prioris
Turpe iter ingreßi conceptam in pectore labem
Membrorum officio claras profertis in auras.
Frena decet membris imponere, uincere motus,
Spiritus excutitur dominante cupidine carnis.
Ne quæſo, ne flatum illum præcordibus ultrò
Exigite, inq; pijs habitantem, triſtibus auſis
Perturbate feri, uindex malefacta rependit
Et benefacta Deus, neq; enim illo eſt iuſtior alter:
Atq; hac luce olim, (lux quinquageſima faſtis
Fertur ab Ægypti egreſſu, dehinc tẽpore ab illo
Quo nece deſtructa Chriſtus prodiuit in auras:)
Chaoniæ in faciem collectus & ora uolucris,
Linguarumq; ignem uibrãtum in imagine uiſus
Spiritus ille Dei, noua lex, in credula corda
Biſſex ſacrorum procerum diffuſus ab alto eſt,
Cum ſubitò ingenti ſe finderet æther hiatu,
Et tremefacta nouo mugiret terra tumultu,
Inſuetusq; ignis penetralia lucc repleret,
Atq; ille ut rapidis uentorum uectus in alis
Cum tonitru irrueret, turbãq; inuaderet omnem
Inſiſtens linguis uerba in uariantia fiſſis.
Non ſecus atq; olim quando eſſent ordine lapſi
Quinq; decemq; dies, Ægypti ex orbe reuerſis
Antiquam genitor magno cum murmure cœli

Propo-

Proposuit legem tabulis & marmore scriptam!
Ergò agite & tantos festi celebremus honores,
Sermonem inter nos sanctis de rebus habentes,
Et nostræ partem fidei, de numine Flatus
Officioq; sacri, dictis firmate sacratis,
Et uatum reuocate animis prædicta priorum
Qui uim præsensere Dei, longeq; remotos
Concepere animo casus arcana locuti,
Et queis scire dedit Deus, atq; aperire futura.
Sic patris & Nati patrium agnoscetis amorem,
Et gratis animis donum hoc insigne feretis
Quõd miseros, tantaq; oppressos sorte laborum
Templa sui flatus fecit, tantoq; potiri
Thesauro dedit, ille hominũ seruator & auctor.
O si nunc nostris se ille osibus implicet ignis
Plurimus, & sancto superum succendat amore,
Lustratamq; igni mentem ad superа ardua tollat
Vltra auras, Solisq; uias, ubi trina potestas
Lucis inaccessæ radijs circum ora coruscat.
O si lux ea mi nebulas præcordibus atras
Differat, & larga paßim sese explicet aura
Vt me ab humo releuare queam, & nos dißita supra,
Rimari ingenio, atq; oculis deprendere ceram
Igneus unde uigor, quo fonte amor ille redundet,
Viuus, & indefessus, & inscrutabilis ardor.

Hoc

Hoc ſine nil altum mens cogitat, inſtruit ille
Ingenium flatus ſacer, eucntusq; miniſtrat.
Hunc & Zacharias Flatum longè antè canebat
Promiſiſſe pijs qui miſſus ab æthere ſummo eſt
Æterno de Patre ſatus, æternus & idem
Orator Patris, qui mutua uerba locutus
Cũ ſanctis prouuorum atauis, unctusq; ſacerdos
Spargens ſanguine, & alta docens præcepta parentis.
Pro nobis & ſacra parans, & ſedula uota
Quãdo Dei atq; hominũ medium ſe feruidus offert,
Nosq; oleo, cœleſti oleo ui flaminis ungẽs,
Quem præter luſtrare igni, & maculã abluere
Et flatũ cõferre ſacrũ, & cœleſtia dona (omnem
Partiri in numerum non fas mortalibus ullis.
Ille eſt pollicitus nobis quondam affore tempus
Quo flatum effundet proprij de numine flatus,
Non reprobũ factis, & nõ Satanæ inſtar habentem,
Spiritibus cœli ſimilemúe, boniúe creati,
Sed ſanctum, flatumq; Dei, nec more creatum
Principij & finis, cum Nato & Patre creantem
Omnia, cui compar ſubſtantia, & æqua poteſtas
Vtriuum Patris ac Nati Spiramen, amorq;
Mutuus, & uiuæ deitatis tertius ordo,
Atq; aliud munus diſtinctum à munere Chriſti
Qui gerit in terris, aliusq; leuator ab illo,
Qui curis confecta, & conſcia pectora lenit,
Altera qui triplici perſona emiſſa ſenatu eſt.

Hunc

Hunc igitur ſatus ille Deo ſe effundere flatum
Teſtatur dictis, non tantùm ut copia aquarum
Exit in immenſum, uicinaq; refficit arua:
Nec propter ueteris tantùm fatalia Aronis
Vnguina, quæ diffuſa ſuper largè ora rigabant:
Sed quia ſacrato cum gurgite fuſus abundè
Spiritus hic ueteris mundat contagia culpæ
Luſtrati in Chriſti cùm nomine tingimur unda,
Atq; iterũ ſuperas in aqua generamur ad auras,
Et uerbo accipimus flatus cœleſtia dona,
Qui ponè accinctus adſtat pro gurgite ſacro
Irradians ſuper ætherio cum fomite amoris:
Vt cùm Iordanis medio ſtat Chriſtus in alueo,
Proloquitur Pater, & flatus ſuper imminet alis
Delapſus cœlo blandæ de more columbæ.
Atq; ubicunq; ſonat uox incorrupta ſalutis,
Hìc ſimul effundit cum lympha in credula corda
Flamen, & hoc patrij Chriſtus dat pignus amoris.
Saltem hìc primitijs locus eſt de flamine ſacro,
Aſt illic decimas, partemq; trahemus ab illo,
Translati ad ſuperos pura cum luce frucmur.
Nam meßis plena, & deitatis perpetuus fons
In te Chriſte manet, tu ſummus es ordine noſtro,
Et tu frena tenes mortali in gente, locoq;
Præcipuo es poſitus, totoq; es uertice ſupra,
Præq; tuis ſine menſura conſortibus unctus

Magna

Magna indulta tenes, ſoboles ceu dia Parentis,
Noſtra tuo quanquam luſtrentur flamine corda,
Atq; oleo partim perfuſi ungamur eodem.
In te tota habitat diuina eſſentia Patris,
Nobis quos Pater in ſtirpem ſuccedere paſſus,
Cedit pars aliqua, & tantum commertia dãtur.
At Patris hoc, Natiq; ſimul ſpirabile numen.
Funditur in Solymæ ciues, & tecta Dauidis,
Nempe omnes ſuper, & quacunq; in ſorte tenentur,
Nec ius hoc ſolis cedit, ne fingite quæſo,
Præpoſitis aræ, & luſtratis more ſacrorum:
Vir, iuuenisq; puer nullo diſcrimine habetur
Qui ſe lege tenent ſcripturæ, & cœlitus orant
Numinis auxilium, ſtudijsq; operantur honeſtis.
Namq; Dei domus eſt Eccleſia dedita Chriſto,
Inq; noua Solyma ſedem tenet, illa ſuperne
Venit, & inde imitum, & generis primordia ducit,
Vt uates olim Ezechiel diuusq; Ioannes
Picturæ in morem ſacra hæc arcana notarunt.
Sed qui iuſſa negat diuina admittere in aures,
Faſtiditq; animis rerum monumenta ſacrarum,
Nec ſocium ſe addit, nec ciuem in gente fatetur,
Quæ rite exequitur doctrinam, & ſacra miniſtrat,
Non Chriſti, ſanctiue capax eſt flaminis iſte.

Nunc age & expediam quem tandem effusus ad usum.
Spiritus hic nostris animis se miscеat intus.
Gratia ei nomen dedit, atq; hinc spiritus ille est
Spiritui testis nostro, fidumq; sigillum
Iusticiæ, & pacis superùm inuiolabile pignus,
Et quod nunc trahimus genus alto à sanguine diuum,
Consortes Christo facti, & diuina propago.
Solus & hic ægris doctrinam hãc mentib. adfert
Iusticiam quòd sola fides, ueniamq; reatus
Consequitur gratis si Christi à sanguine pendet.
Dat uitam, expellitq; animo quodcunq; molestum est,
Et spe mutantes huius præsentia firmat
Confestim, inq; locum collapsa repentè reponit,
Vt præsente illo uigeat fiducia nostra.
Tunc animi incipiunt cœli sentire uigorem,
Atq; uoluptates, diosq; in pectore motus,
Et primum specimen uitæ immortalis adumbrat,
Dum uiresq; nouas, occultaq; pabula mentes
Concipiunt per eum, & mox uno in amore calescunt
Doctrinæ, iunctiq; feruntur passibus æquis.
Quin & uotorum moderator & arbiter ille est
Vsq; docens ucro uenerari numina honore,

Et

Et rectos cultus, & iussa facessere sacra,
Votaq; componit nostra, & sua propria miscet
Vt pueri os tenerum mater, balbumq; figurat
Informans manibusq; manus, & uocibus ora.
Sic gemit, effunditq; simul suspiria, & ultrò
Nostro oneri subit, & nostris à partibus hæret.
Cœlesti si quando foro causa extat agenda.
Sæpè animis fracti præsenti in limine mortis
Deficimus, nec uox, gemitusúe è corde sequuntur:
Ille astat, nostramq; uicem gerit, & pia pandit
Brachia, & ingentes gemitus ad sydera tollit
Exposcens pacem superos, & numina placans.
Hæc hodie uersanda animis, figendaq; menti
Omnibus, in sacra qui mersi gurgitis unda
More Sacerdotum perfusi flamine sancto
Diuinoq; oleo, tibi nomina Christe dederunt.
Dent operam ne fortè labet mens recta fideq;,
Et sanctum expellant polluto è pectore flatum,
Cui subeat malus ille loco, qui immanibus ausis
Inpræceps homines agit, & submergit Auerno.
Cumq; ministerio uerbi sub corda piorum
Spiritus effusus terris sua munera curet:
Doctores uerbi merito adsciàtis honore
Testati gratos animos pro munere tanto,
Et dona argenti pro ut cuiq; est copia ad
ARAM

Officij memores deponite, munera parua
Pro merito ingenti, cùm Spiritus aurea dona,
Ex Arabo confecta auro cœleſtia dona
In medium uobis uocali in munere uerbi
Offerat, & cœli faciat ditione potentes.

In Pentecoſte, Anno à prima Pentecoſte 3071.

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM ACademiæ Vuitebergenſis.

DVÆ res ſunt, quibus Solon dixit contineri Reſpublicas, Præmia & pœnæ. Sicut autem in omnibus cœtibus, ita in ſcholaſticis etiam communitatibus ijs, quas Academias uocant in primis diligenter præſtandum, ut uirtus ornetur, & turpitudo ne ſit impunita, in quibus omnis liberalis doctrina colitur & exercetur, ut uerum de rebus iudicium comparetur, quòd in uita & actionibus omnibus pietas Chriſtiana ſequatur ad gloriam Dei & ſocietatis humanæ ſalutem, quibus ſeruire debet omnis ſapientia, doctrina & eruditio, Et his inſtructa pietas eximios & multiplices quaſi fructus profert rebus communibus, & nunc quidem Spiritus ſanctus Eccleſiæ Chriſti præcipua dona ſua per

per literarum culturam confert, Vt si qui doctrina abutuntur, aut facultatem & copiam comparandi hanc sibi negligunt, ex ijs, qui hoc agere & debent, & uideri uolunt, ij multò quàm dici, aut credi possit sceleratius & perfidiosius erga Deum & homines peccent. Pietas tamen expers doctrinæ in Ecclesia locum habet, doctrina expers pietatis non item, ut in pietatis & uirtutis studio magis sit laborandum, cùm huius causa doctrina & eruditio quæratur, & quæri debeat, Et quanquàm à uera doctrina uirtus non abest, bonos tamen fieri quàm doctos operosior res est. Et si alterutro carere posset nostra conditio, doctrinæ iactura minus esset intoleranda. Quod igitur apud uulgus legum minæ, hoc apud nostrum ordinem ratio & ueritas, quàm doctrinæ studia demonstrant & excolunt, obtinere debebant. Ideò & Imperatorum sapientia scholastica imperia paterna esse uoluit, neq; carnifices nostris communitatibus adiunxit, quibus ad suos uterentur. Cura autem & solicitudo quæ sit Senatus Academiæ nostræ consulendi studijs & saluti omnium, qui in hac uiuunt, res doceat, cùm publicè nota sint omnia, quam utinam in ornandis bonis, & doctrinæ publicæ studiosis consumere nobis liceret uniuersam, neq; necessitas afferretur usur-

pandi animaduersionũ atq; pœnarum tristiciam, qua nulla crux potest esse grauior bene institutis & ab humanitate non alienis. Nc tamen in hoc etiam genere iure reprehendamur, aut notari posit aliqua lentitudo nostra, magnoperè nobis est uidendum. Relegauimus autem ex Academia nostra ante biennium N.N. N. propter libidines & uitam impuram, Et parcentes familiæ nobili, priuatim eum discedere iussimus sine relegationis significatione publica. Hic superioribus diebus reuersus, neq; hoc egit, ut cum Academia reconciliaretur, neq; ita se gesit, ut leges nostras & uitam scholasticam ei curæ esse animaduerti posset, & propter quã turpitudinem relegatus antea à nobis fuit, eam demùo exercere cœpit, Stupri autem commissi cùm cum postulare uellet Senatus oppidi huius, interdictum nostrum interposuimus, ne hinc se commoueret, & à nobis, ut loquuntur, re & corpore arrestatus est. Sed contempta autoritate nostra & iuramenti religione, etiam contra fidem peculiariter datam Consuli, ex Arresto nostro clàm hinc discessit. Etsi autem libidines per se sunt cùm in omnibus alijs, tùm in nostra inprimis communitate intolerandæ, Quia tamen arrestum neruus est iurisdictionis & disciplinæ scholasticæ nostræ, etiam propter periurium, quod ille tali

discessione

discessione & contumacia sua admisit uadimonio desserto, deinceps eum Consilium nostrum in communitate nostra ferre non potest, & ex hac in præsentia hunc N. N. N. eijcimus atq; excludimus, & excluſum esse publicè significamus, ut notum fiat et testatum omnibus, membrũ hunc Academiæ nostræ amplius non esse, neq; habendum, quem & absq; hoc studiorum causa hic uersari hactenus non potuit animaduerti. Reliqua ulciscemur in eo mores ipsius, Nam & libidinibus quid minetur Deus, scimus, & periurij pœna diuina exitium est humana dedecus. Itaq; nos etiam excluſionis pœna cum adficimus, quæ est tanquàm ultimum supplicium nostrum. Eaq; erga uiolatorem disciplinæ publicæ, & quantum in ipso fuit, euersorem iurisdictionis scholasticæ nostræ, & nunc necessario utimur, ut præstemus fidem Deo atq; Vniuersitati scholasticæ, & utemur erga hoc genus deinceps, ut caueret sibi unusquisq; sciat. Oramus autem Filium Dei, ut suo Spiritu mentes omnium regat, qui est Spiritus sanctus & castus, ne similis animaduersionis necessitas nobis itebis afferatur.

P P. ferijs secundis Pentecostes, quæ fuit 15. Calend: Iunij.

ANNO 1562.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Herman Nordlingenſis,
Artis Medicæ Doctor
& Profeſſor.

VAldè uetuſtæ ſunt appellationes Norici & Rhetiæ, & ſæpè in hiſtorijs utraq; gens celebratur. Quare & olim magnam earum uirtutem, & ciuitates in his, legibus et ordine conſtitutas fuiſſe, haud dubium eſt. Nam ſine legibus & ſine ordinne, gentes nec manſuefieri, nec ad uirtutem flecti poſſe, manifeſtum eſt. Complectebatur autem Noricum antiquitus maximam partem Bauariæ inferioris, Diocœſin Salisburgenſem, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, & carniolam. Rethia uerò eas regiones comprehendebat, quæ nunc Sueuiæ nomen induerunt, à colonis per Auguſtum eò deductis, qui ex Pomerania egreſſi, Vueſtphalia occupata, uicinas circa Rhenum prouincias infeſtabant. Ac tractus erat continuus ab Alpibus Galliæ uicinis, uſq; ad Auguſtam, quam uetuſtas uocauit Rheticam. Nec annumerabantur hæ gentes Germaniæ, propriè ita dictæ, ſed diſtincti populi erant. Sed harum appellationum ueſtigia, ut in alijs quoq; gentib. accidit, nunc uix in extrema

ma ora hæserunt. Est enim Noricum hodie regio illa, quæ est inter Noribergam & iuga Boëmica, circa Ambergam Electorum Palatinorum urbem. Rhetiæ & Norici nomen Nordlingæ urbs (quæ patria mihi est) & ager finitimus, cum comitatu Octingensi, hodie retinet. Nam Nordlingiam in ueteri Rhetorum sede sitam, à Noricis uerò dictam esse, appellatio ostendit, quæ & urbi & toti illi tractui uulgo tribuitur. Aliqui à Nerone conditam & appellatam existimant, quæ de re nunc non disputo. Sed est ea ciuitas, ut cæteræ Sueuiæ urbes (DEI beneficio) ornata legibus, iudicijs, & alijs multis rebus celebratione dignissimis, imprimis uerò ciuib. multis, uirtute & doctrina excellentibus, quæ ornamenta longo iam tempore possidet ac tuetur. Ac præter uetera decora, hoc tempore propter eam maximè rem insignis est, quòd uocem Euangelij, DEI beneficio, in hac schola per Præceptores ac patres nostros carissimos, Lutherum & Philippum repurgatam, non solùm citò, & cupidè amplexa est, sed constanter quoq; ac reuerenter in hunc usq; diem retinet. Fuitq; inde usq; ab initio repurgationis, & adhuc est, singularis eius erga hanc Ecclesiam & Academiam affectio, fides & studium. Nam & ciues priuatim, & publicè Senatus amplissimus, (in quo plerique;

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Herman Nordlingensis,
Artis Medicæ Doctor
& Professor.

VAldè uetustæ sunt appellationes Norici & Rhetiæ, & sæpè in historijs utraq; gens celebratur. Quare & olim magnam earum uirtutem, & ciuitates in his, legibus et ordine constitutas fuisse, haud dubium est. Nam sine legibus & sine ordine, gentes nec mansuefieri, nec ad uirtutem flecti posse, manifestum est. Complectebatur autem Noricum antiquitus maximam partem Bauariæ inferioris, Diocœsin Salisburgensem, Austriam, Stiriam, Carinthiam, & carniolam. Rethia uerò eas regiones comprehendebat, quæ nunc Sueuiæ nomen induerunt, à colonis per Augustum eò deductis, qui ex Pomerania egressi, Vuestphalia occupata, uicinas circa Rhenum prouincias infestabant. Ac tractus erat continuus ab Alpibus Galliæ uicinis, usq; ad Augustam, quam uetustas uocauit Rheticam. Nec annumerabantur hæ gentes Germaniæ, proprie ita dictæ, sed distincti populi erant. Sed harum appellationum uestigia, ut in alijs quoq; gentib. accidit, nunc uix in extre-

ma

ma ora hæserunt. Est enim Noricum hodie regio illa, quæ est inter Noribergam & iuga Boëmica, circa Ambergam Electorum Palatinorum urbem. Rhetiæ & Norici nomen Nordlingæ urbs (quæ patria mihi est) & ager finitimus, cum comitatu Octingensi, hodie retinet. Nam Nordlingiam in ueteri Rhetorum sede sitam, à Noricis uerò dictam esse, appellatio ostendit, quæ & urbi & toti illi tractui uulgo tribuitur. Aliqui à Nerone conditam & appellatam existimant, qua de re nunc non disputo. Sed est ea ciuitas, ut cæteræ Sueuiæ urbes (DEI beneficio) ornata legibus, iudicijs, & alijs multis rebus celebratione dignissimis, imprimis uerò ciuib. multis, uirtute & doctrina excellentibus, quæ ornamenta longo iam tempore possidet ac tuetur. Ac præter uetera decora, hoc tempore propter eam maximè rem insignis est, quòd uocem Euangelij, DEI beneficio, in hac schola per Præceptores ac patres nostros carissimos, Lutherum & Philippum repurgatam, non solùm citò, & cupidè amplexa est, sed constanter quoq; ac reuerenter in hunc usq; diem retinet. Fuitq; inde usq; ab initio repurgationis, & adhuc est, singularis eius erga hanc Ecclesiam & Academiam affectio, fides & studium. Nam & ciues priuatim, & publicè Senatus amplissimus, (in quo plerique

Senatores ingenijs et doctrina excellunt, & uirtutis ac doctrinæ decus intelligunt, & admirantur) continuò aliquos in hac Academia sumptibus ac munificentia fouent, eo consilio, ut studijs optimarum artium, & cognitione doctrinæ cœlestis, cùm iuuentutem, tùm Ecclesiam suam, domesticis atq; indigenis instruerent Præceptoribus ac Doctoribus, & horum exemplis & honoribus tanquàm calcaribus adolescentiam suam ad uirtutem et doctrinarum amorem incitarent. Fuitq; in numero eorum, quos non liberaliter solùm, sed munificè aluit ac fouit Nordlinga longo tempore, Vir excellens doctrina & uirtute Magister CASPAR SCHID, urbis illius indigena, qui heri in inuocatione Filij Dei placidissimè decessit, cùm uixisset in Academia supra septennium, & in artium ac linguarum omnium quæ hìc docentur, cognitione, præclare profecisset. Etsi autem ipsi quidem M. Casparo migratio hæc ad Academiam cœlestem gratulanda potius est, quàm deploratione iniusta quasi inuidenda: tamen facere non possum, quin Patriæ causa, quæ de ipso & spem optimam conceperat, et iam eum domum euocauerat, ut partem aliquam muneris publici in docendo ei commendaret, uehementer doleam. Ac doleo eò magis, quò mihi uirtutis & doctrinæ in ipso excel-

lentia

lentia penitius cognita fuit. Sumus enim & nos & Patria non ſolum bono & præſtanti ingenio, & ſtudiorum communium cultore acerrimo & aßiduo, ſed & inuocationis ſocio fideliſſimo, proh dolor ante tempus orbati. Quæ res & dolorem acerbißimum Senatui patrio adferet, & cùm tot iam funera concurrant, nobis quoq; & Academiæ ſtudijs ne triſte aliquid portẽdat, ualdè metuo. Fuit omnino mors huius M. Caſpari inopinata ac ſubita. Cùm enim catharrus, qui in pulmones magno & ſubito impetu irruerat, febrem accendiſſet continuam, ac per tußim non parum ſanguinis puruleti eieciſſet, cito omnes uires proſtratæ ſunt, ita, ut intra diem octauum magna & ſubita ui morbi, naturam alioqui imbecilliorem ſuperante, nec ulla remedia admittente, extingueretur. Ac ipſe quidẽ mox ſentiens creſcere morbi ſæuitiam, non ſolùm non languefactus eſt animo, ſed hanc ſibi migrationem ipſe gratulatus eſt. Ac toto morbi tempore, cùm multa alia piè de Deo & de futura uitæ æternæ felicitate locutus eſſet, inter cætera quoq; me & alijs aliquot popularibus aſtantibus, ingeminare aliquotics cœpit dulciſſimam uocem Pauli: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ac commonefactus eruditiſſima dicti huius enarratione, quã ex Reuerendo patre ac præceptore

noſtro

noſtro ſe audiuiſſe meminerat, eam nunc demum recte ſe intelligere adfirmabat. Iam enim, inquiebat, accingor ad iter, ut ad cœleſtem Academiam & conſpectum Domini noſtri IESV Chriſti accedam, quod uoce Græca ἀναλύσει ſignificari non dubito. Et quanquam iter durum & ἀνάλυσις carni inſuauis eſt: tamen gratias ago DEO meo, quòd tam cito, & in hac iuuentute mea ad iter hoc, & ad Academiam cœleſtem me cuocat, ne uidcam uentura mala, quæ multa impendent & magna, citò, Deo iuuante iter hoc expediam, & faciem Chriſti Redemptoris mei aſpiciam. Inter hæc uerba aliquoties repetita, quæ præſentiam Spiritus ſancti & initia uitæ æternæ in ipſo accenſa oſtendunt, tandem expirauit, ſenſibus omnibus integerrimis, & citius opinione omnium noſtrum, ut res ipſa teſtaretur, Spiritum in ipſo ſanctum præſagiſſe, non fore eum diu in itinere illo inſuaui & aſpero, ſed tanquam ex procellis ſæuiſſimis eluctatum, citò peruenturum ad portum lætiſſimum uitæ & ſalutis æternæ, ad quem & accingi & tantopere properare ſe aiebat. Prorſus ergò dubitare non poſſumus, quin ſit in numero eorum, de quibus dictum eſt: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Fict autem huic Magiſtro Caſparo funus hodie hora quarta. Ad id ut Doctores,

ctores, Magistri & scholastici omnes ante ædes Nicolai Mullcri in aditu plateæ nouæ, conueniant, & se & Ecclesiam atq; Academiam hanc Deo pijs precibus commendent, pro officio eos nostro hortamur.

Datæ 25. Maij.

EPITAPIVM M. CASPARIS SCHIDI Nordlingensis.

CAsparis hoc Schidi condunt̃ membra sepulchro,
Qui Nordlingiaca natus in urbe fuit.
Hic pietate Deum reuerens uirtuteq; ucra,
Plenus germanæ simplicitatis erat.
Ingenium præstans, sed nullo ignobile fastu
Huic erat, & recti non simulatus amor.
Hauserat ex sacris doctrinæ semina scriptis,
Hæcq; suis rursum traderc promptus erat,
Cognitione ualens linguæ, qua Roma locuta est,
Quamq; sonãt Solymi, Græcia quamq; sonat,
Artibus & uarijs excellens, unde docendi
Est modus, & rerum copia larga fluit.
Sed cùm iam patriæ uellet possetq; uocatus
Inseruire suæ: fata suprema subit.
Hei q. uita hominis nihil est nisi labilis umbra,
Hei q. tàm pereunt optima quæq; cito.

Caspar

Caſpar hic ingenio atq; uirilibus integer annis
En iacet, & luctu pectora noſtra mouet.
Sed tibi ſic pie Chriſte placet, tua ſancta uoluntas
Optima, quæ ſtatuit non niſi fauſta pijs'.
Ille, tuis fretus meritis & ſanguine, uitam,
Senſibus integris, clauſit in orbe ſuam.
Ille tuis tenet auſpicijs cœleſtia regna,
Et fruitur uita læticiaq; tua.
Patria pone graucm luctum, patriæq; Senatus,
Cuius munificam ſæpè uidebat opem.
Tu quoq; RVNZELI iuſtum compeſce dolorem,
Cui ueluti frater CASPARVS alter erat.
Chriſte pijs benefacta uiris tu tanta rependas,
Ac des ingenijs tempora longa bonis.

Iohannes Baptiſta Lechelius
Onoltzbacenſis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENNSIS.

ITa Deo placuit, ut heſternum funus hodierno cumularetur, quorum enim duorum ualetudinem & ſalutem nudiustertius precibus noſtris

nostris Deo commendauimus, hortante pro concione sacra reuerendo Domino Pastore nostro, qui & eius, quem heri sepeliuimus, nomine expresso, pietatem, uirtutem & doctrinam, quòd familiariter eum notum haberet, publicè tùm laudabat. Eos igitur utrosq; breui interuallo ita ex hac uita eduxit Dominus, ut gratulari mortuis migrationem beatam, & Christo σωτῆρι pro hac gratias debeamus, & similem ex hac uita exitum unusquisq; pius sibi optet. Sicut autem extremum, ita maximum bonum est, quod in hac uita Deus elargitur, exitus ex hac bonus, & migratio sancta & felix, quo totius uitæ studia & actiones dirigit Christiana pietas, neq; quidquam orare potest ardentius. Nam sanctè mori, quod est uincere in agone illo, non est humanarum uirium opus, sed misericordiæ Dei munus præcipuum, à quo hoc impetrandum, ut unusquisq; de hoc tantum sibi polliceri possit, quantum precibus ad Deum suis exorauerit. Mortuum igitur Magistrum Casparum Schidum nostrum secutus heri est honestissimus Iuuenis GEORGIVS COLER Noribergensis, cuius & ipsius pietas atq; ingenium, & uita honesta atq; integra, & mores probi, & studium literarum non uulgare, nobis ab ijs, quibus perspecta hæc sunt admodum commendantur,

tur, quem cum fuisse audimus, ut in laudatissima Republica illa honoratum ciuem, & utilem urbi futurum præclara spes esset, De quibus omnibus etiam exitus eius testatur. In colloquio enim quod ante mortem cum Sacerdote habuit fidele, hoc eũ orauit, ut per literas cõsolaretur parentes, quib. intelligeret, quàm esset luctuosa futura mors ipsius, & acerba frustratio expectationis de filio, quæ hac euerteretur, præsertim cùm ualetudine esset pater absq; hoc tenui & afflicta, qui quasi præsagiret animo casum hunc, non libenter à se dimisisse filium ad nos reuertentem dicitur, honestissimæ tamen cupiditati ipsius, quem ad laudem & decus tendere animaduerteret, obsecutus fuit, eiq; concessit, ut in Academia nostra uersaretur diutius, seseq; excoleret, cum spe optima, quæ nunc concidit, frustratione, ut diximus, miserabili. Postea de reculis suis & pecunia, quam & præsentem relinqueret, & quæ ex Bibliotheca uendita conficeretur, quid fieri uellet constituit, & pleraq; pauperibus distribui uoluit. His peractis totum se precibus dedit, cumq; apud exteros moriendum sibi uideret, ardentissimè orauit Filium Dei, ut afflictissimum corpus à cruciatibus benignè liberaret, & se in æternam patriam traduceret, Et mox Psal. 71. In te Domine speraui, recitans integrum, inter-

fatus

fatus de commentationibus ſuis ea fuit, quæ pietatem ipſius & intimi cordis motus ſanctos luculentè probarent aſtantibus. Atq; ita beato fine uitam ſuam clauſit, quo nomine & inprimis conſolandos eſſe ſuos monuit. Fiet autem funus ei hodie hora duodecima, ad quod deducendum hortamur noſtros uniuerſos, ut ante domum familiæ Lutheri, ex qua efferetur, frequentes conueniant. Qui enim ſic nobiſcum uerſantur, ut piè uiuant & ſanctè moriantur, ij ſe præclaros literarum & pietatis diſcipulos atq; cultores probant, quos ornare uiuos & mortuos debemus quibus rebus poſſumus. Tales fuiſſe utrunq; ex ijs, quos hoc biduo ſepelimus, compertum eſt, quorum profectus & uita honorifica fuit cœtui noſtro, quòd alter iam permaturuiſſet ad nauandam operam Eccleſiæ & Reipub: Alter uerò in pleno curſu ſtudiorum ſuorum conciderit. Sed cum his bene actum. Nos nobis uideamus. Itaq; oramus Deum per Chriſtum, ut propter φιλανθρωπίαν ſuam mitiget ærumnas generis humani, & nos & noſtros uniuerſos benignè tueatur & ſeruet.

P P. 7. Calend: Iunij.

TEOLOGIÆ AVDI-TORIBVS.

IN aditu templi Delphici foribus inſcriptum fuit aurcis literis hoc ſapientiæ uulgatiſſimum, & ab eruditis omnibus celebratum præceptum: ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, quod haud dubie ſignificare uoluit antiquitas, Et primum ad ſapientiam gradum atq; aditum eſſe, & non niſi Deo docente contingere hominibus hoc SEIPSVM NOSSE, Et, ut aliqui id interpretantur, omnia cùm mala tùm bona, ſuæ quaſi domi nata, rectè intelligere. Verè ac prudenter iudicarunt, quicũq; ſapientiam hanc Deo tribui uoluerunt. Niſi enim diuinitus doceantur & regantur mentes, quid de ſemetipſis norint atq; intelligant homines, diſputationes & certamina oſtendunt omnium temporum, quæ extiterunt de homine, de uiribus, & de fine eius, cùm inter omnes Philoſophos, tùm inter Eccleſiæ Doctores, inde uſq; ab initio. Nec in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis poſt doctrinam de Deo, & de Mediatore Domino noſtro IESV Chriſto, & de duabus in ipſo naturis, deq; ipſius in nos collatis beneficijs, alia eſt maior ſapientia, aut ſæpius repetita, inculcata & declarata, quàm hæc ipſa de nobismetipſis cognoſcendi doctrina.

trina. In Ecclesia uerò ut summa & acerrima inter pios doctores & Diabolorum organa hæreticos & fanaticos homines certamina fuerunt de Deo, & de Domino nostro Iesu Christo, ita ijs & proxima & postea sæuissima fuerunt, quæ de hac doctrinæ & sapientiæ diuinæ parte extiterunt. Nec aliud ferè certamen sæpius recruduit, aut maiore conatu & ratione pugnandi armisq; magis uarijs, & inter se non solùm dissimilibus, sed & inuicem pugnantib. agitatum est, quàm hoc ipsum de homine dissidium. Semper Ecclesia quasi circumsessa fuit duobus magnis agminibus, & exercitibus hostiliter hanc doctrinæ partem oppugnantibus Pelagianis & Enthusiastis. Inter Enthusiastas primum recensent tetra illa agmina Manichæorum, ut olim nominati sunt, qui ut duo numina inter se dissidentia finxerunt bonum & malum, Ita ab his ortos homines, alios boni Dei, alios mali semina accepisse, & immutabiliter retinere somniant. Quapropter & omnia tàm bona quàm mala necessario & immutabiliter ab his fieri uociferantur. Hi semina prima iecerunt blasphemiarum, quas postea Enthusiastæ propriè ita dicti sparserunt. Quiq; furorem eundem defendentes, sed alio & diuersicolore prætextu, finxerunt homines in bonis & salutaribus actionibus

non ſolùm nihil intelligere aut agere, ſed adflatibus de cœlo cogi & immutari mirabiliter, ſiue ἐκστάσεις & Enthuſiaſmos illos ocioſi expectent, ſiue ijs ipſis hoſtiliter repugnent atq; aduerſentur. Suntq; in his Enthuſiaſtarum caſtris innumerabiles & inter ſe diſſimiles cohortes. Pelagianos nomino omnes omnium temporum Phariſæos, & in his infinitas Monachorum legiones complector, qui homini & meritis eius ac uiribus proprijs tantum tribuunt, ut ſe uel his ſolis aditum habituros ſperent ad ueri Dei agnitionem, ad legis diuinæ impletionem, ad tollendum peccatum & mortem, ad uitæ & ſalutis æternæ hæreditatem conſequendam ac promerẽdam. Hos exercitus Diabolorum noſtro quoq; tempore erupiſſe & oppugnaſſe Eccleſiam, camq; adhuc oppugnare, proh dolor, & certamina præſentia oſtendunt, & piorum plurimorum gemitus, qui lanienam illam docentium & diſſidia triſtia deplorant: In tanta ergò Diabolorum rabie & opinionum diuerſitate ſingulorum pectoribus inſcriptum eſſe, & momentis ſingulis obuerſari oculis atq; animis omnium oportebat, Delphicum illud præceptum: Noſce teipſum. Imò legentes ſcripta Prophetica & Apoſtolica ſingulis paginis, & periodis, id illitum eſſe, & in his inculcari nobis, cogitare debe-

debebamus, ut eo tanquàm hortatore commonefacti, uocis diuinæ doctrinam reuerenter amplectamur. Sed quia nec cogitamus de nobis seriò, nec uocem diuinam magnificamus, fieri ferè solet, ut et disputent de seipsis plurimi, & tãquàm cæci, quod aiunt, de coloribus iudicent. Comprehensa est autem potissima harum disputationum pars, & earum præcipua fundamenta in controuersia DE LIBERO ARBITRIO et VIRIBVS HVMANIS, Ad quem locum, cum Dei beneficio tandem in enarratione Locorum communium optimi & fidelissimi patris ac præceptoris nostri Domini Philippi sanctissimæ memoriæ, peruenerimus, cras Deo iuuante, hora septima loco solito explicationem eius ordiemur. Quare hortor doctrinæ cœlestis studiosos, ut hanc quoq; partem ordine optimo & simplicissimè in Locis Philippi traditam cognoscere & audire frequentes non grauentur. Cumq; sciant, quantopere hac de re iam aliquibus malè feriatis hominibus & scholæ nostræ ἀσπόνδοις hostibus certetur, obtestor & oro hos, quanto possum studio, ut se ueris & uoci diuinæ consentaneis fundamentis, aduersus præstigias & sophistomaniam recẽtium fanaticorum instruant, præmuniant & confirment. Scholæ quoq; nostræ tanquàm matri optimæ, & imprimis ueri-

tati teſtimonium certum & graue, contra falſas criminationes noſtrorum Therſitarum, ut tribuere poſsint has qualeſcunq; explicationes ſeu repetitiones noſtras ne negligant, oro. Ego quod ad me attinebit, fidem, diligentiam & aſsiduitatem auditoribus polliceor. Et oro Filium Dei, ut nos doceat, regat, & in ueritate ſua ſanctificet, Sermo eius eſt ueritas. Vltima Maij.

Paulus Crellius D.

HEBRÆÆ LINGVÆ STVDIOSIS AVDITORIBUS.

QVàm miſera ſit & prona ad omnis generis flagitia humana natura, ſi excuſſo Deo gubernatore, & luce uerbi diuini amiſſa ſuo impetu cæca feratur, & experientia quotidiana et ætatum omniũ hiſtoriæ oſtendunt. Vt enim tempeſtas ingens, ſi gubernacula abſtulerit, & malum in naui confregerit, ipſam naucm ſecum aufert, & huc atq; illuc agitando tandem in uada aut ſcopulos impellit: Ita cor humanum prauis inclinationibus & adfectibus æſtuans, tanquàm ſæuiſſimis tempeſtatib. agitatum, quoquo uerſum abripitur, ſi gubernatore Spiritu ſancto petulanter excuſſo ſibi indulgeat, nec ſcopum in uerbo diuino præfixum ſemper intueatur. Eſtq; huius prauitatis noſtræ naturæ exemplum

exemplum illustre in Malachia Propheta expressum, qui suæ ætatis & populi uicia magno spiritu arguit & condemnat. Vix dū redierant ab exilio Iudæi in patriam, & manifesto testimonio præsentiæ Dei reddita ipsis erat Politia, & cultus diuinus uocc Haggæi & Zachariæ restitutus, uagantibus interea in exilio & perpetuis calamitatibus oppressis Idumæis, & alijs uicinis, cùm mox tàm Sacerdotes quàm populus uniuersus ad ingenium redeunt. Nam sacerdotes quidem deprauato cultu & ad suum quæstum accommodato exiguo tempore totam religiōem euerterunt, populus uerò spreta religione & posthabito cultu nominis diuini in horribilem profanitatem est relapsus, adeò quidem, ut palàm dicere nō uererentur, quod Carpocratē postea docuisse Theodoretus refert: δόξη οὐκ ἀλλὰ θεία τὰ μὲν πραγμάτων κακὰ εἶναι δοκεῖν, τὰ δὲ ἀγαθά. Nullo enim discrimine apud Deum esse bonos pariter ac malos, ipsumq; tam malis quàm bonis operibus delectari adfirmabant. Idq; ex eo ostendere conabantur, q, non statim in hac uita Deus pœnas à delinquentibus sumeret, aut quòd impij in hac uita opibus & fortuna magis florerent, quàm hi, qui populi Dei nomen usurpant, & ampliſsimas promiſsiones habent.

Hinc ſunt uoces illæ impiæ & execrandæ, quas Propheta capite tertio recitat: Vanum eſt ſeruire Deo, & quod emolumentum, quòd cuſtodiuimus præcepta eius? &c. Imò uerò beatos dicimus ſuperbos, Ædificantur enim facientes impietatem, & qui tentant Dominum, liberantur. Hanc tantam profanitatem & impiam perſuaſionem ſequuta ſunt triſtia & horribilia peccata, non tantùm in uiolatione cultus diuini, ſed etiam in reliqua uita tota, in uiolatione coniugiorum, & alijs ſceleribus, quibus ſe quotidie ſine metu contaminarunt. Nos uerò dum hæc triſtia mala & uulnera noſtræ naturæ cùm in nobis tùm in alijs intuemur & conſideramus, ut quidem pios & non omninò profanos facere, neceſſe eſt, ſimul cum Propheta Malachia petamus, ut Sol iuſticiæ, Chriſtus, nobis illuceſcat, nosq; Spiritu ſuo regat, ne deſtituti auxilio diuino in tantam profanitatem aut furores prolabamur, ut bonas pariter & malas actiones eodem modo habeamus, atq; inter ἀδιάφορα, quæ iuxta hominum opinionem nunc bona nunc mala cenſeantur, ut Carpocrates dicere ſolebat, recenſeamus aut quod noſtro ſeculo quidam fecerunt, Deum non curare bona opera doceamus. Cùm autem nunc ſim iuſſus Malachiam Prophetam, qui hos manifeſtos furores grauiſſimis uer-

bis

bis taxat & refutat, publicè enarrare, Deo iuuante, hanc interpretationem die Iouis hora 4. inchoabo, & ſtudioſos hortor, ut dulciſſimas huius Prophetæ conciones diligenter audiant et diſcant.

Henricus Moller
Hamburgenſis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Iohannes Herman.

SEmper in miſerijs huius uitæ, ac præcipuæ in cogitatione mortis, conſiderandum eſt dulciſſimum dictum Pauli in Romanis: Quos præuidit Deus, eos & præfiniuit, Vt conformes eſſent imagini Filij ſui, ut ipſe ſit primogenitus in multis fratribus. Nam arcanam Euangelij ſapientiam Apoſtolus hoc breui dicto complexus eſt, & crudite ex miſsione & morte Filij Dei demonſtrat, quæ ſit ueriſsima efficiens & finalis ærumnarum & mortis cauſa, de qua cogitantes humani animi ſine luce Euangelij dubitatione & fremitu triſtiſsimo contra Deum cruciantur. Nam uel caſu ſe opprimi tantis miſerijs exiſtimant, uel ſi eatenus profecerunt diſcendo, ut Deo ſciente & uolente ſe affligi

ſtatuant: Tamen aliter iudicare non poſſunt, quàm uelle Deum penitus abijcere ac deſtruere eos, qui ſunt in magnis miſerijs, Et eſſe hæ ſigna certißima iræ atq; indignationis diuinæ implacabilis, Nec abeunt hæ cogitationes ſine ingenti & triſti fremitu. Eas ergò ut compeſcat Apoſtolus, opponit illam quam dixi Euangelij propriam ſapientiã, quæ docet, Non caſu nos miſerijs & ærumnis tantis obijci, ſæpè etiam obrui, ſed Deo ſciente & nolente accidere, quicquid nobis aduerſi eueniat. Nec uerò eo fine euenire, ut penitus deſtruamur, aut abijciamur, ſed ut peccatum in nobis deſtruatur & enecetur, Et hoc modo efficiamur ſimiles imaginis filij ſui, in cuius miſſione & morte teſtetur Deus uerè ſe & horribiliter iraſci peccato, & uelle id deſtrui & aboleri. Nam Filio quantumuis dilecto, innocenti & iuſto non parcit, ſed cùm peccata noſtra in ſe receperit ac deriuarit Filius, effunditur in ipſum uera & horribilis ira Dei, atq; ita effunditur, ut propemodum in uniuerſum deſtrui Filius uideatur. Nam in ſimilitudine cæterorum in cruce maledictum factus moritur & ſæpelitur. Id ergò cùm in Filio Deus teſtatus ſit, nec eum ad gloriam æterni regni intrare aliter noluerit, niſi per crucem & mortem, cogitemus & nos oportere huic imaginì confor-

conformes fieri, Nec habituros nos præ Filio unigenito prærogatiuum aut priuilegium singulare, sed certò nos cum Filio in aliquibus seu pœnis seu ærumnis & miserijs tristibus, & deniq; in morte cognituros ac sensuros esse Deum uerè & horribiliter irasci peccatis, & uelle hæc destrui & mortificari, quod & si in hac uita perfectè fieri non potest, uult tamen carnem & massam illam peccatricem tantisper demori ac coherceri, donec in morte penitus aboleatur. Sed hic simul cogitemus, quàm dulce sit imaginem ac similitudinem Filij in suis ærumnis cogitando repræsentare, & cum ipso quodammodo mori & sepeliri. Nam si conformes sumus imagini Crucis ac mortis Christi, etiam conformes erimus imagini & similitudini resurrectionis uitæ & gloriæ æternæ. Ac ut certò cum ipso crucifigimur, ita certò & uitam communem cum ipso habebimus, Sentiemus in medijs ærumnis ac morte ipsa uitam, lucem & læticiam duraturam in totæ æternitate, Et postea cùm ipse, uita nostra, manifestabitur, pij quoq; nos cum ipso & per ipsum ad uitam æternam ex sepulchris nostris et puluere terræ resuscitabimur, & noua, immortali, munda, et sanctificata massa uestiti corã æterno Patre eius apparebimus, ac in luce, læticia & gloria æterna manifestabimur.

Hæc

Hæc iam dulcis consolatio, quæ sola miseriis humanis inenarrabilibus & terroribus mortis opponi tutò potest, ut subinde oculis atq; animis nostris obuersetur, cùm aliàs sæpè, tùm in funeribus, & cogitatione mortis repetenda & ruminanda est. Quod quidem fecit assiduò uir honestus & eruditus Magister IOHANNES BERNHARDI Cronachensis, qui nocte hesterna in inuocatione Filij Dei placidissimè decessit. Ac cùm alijs consolationibus, tùm hoc potissimùm Pauli dicto totò morbi tẽpore sese erigi ac confirmari dixit. Versatus est uir hic eruditus in hac Academia ultra quinquennium, & cùm natura doctrinarum capax & auida in ipso esset, excoluit hanc magna cura & assiduitate, Cumq; ducem ac socium studiorum primùm accepisset consobrinum suum uirum Reuerendum & honestum, D. Magistrum Matthiam Gunderamũ Ecclesiæ Crailsheimensis Pastorem, cuius nobis memoria multis de causis gratissima est, cupidissimè hunc in discendo sectatus & imitatus est. Eruditionem uerò eius, pietatem, modestiam, & in omni officio diligentiam ac uirtutem cùm probaret uir optimus & integerrimus, & arte excellens D. Lucas Cranach, urbis huius Senator ac ciuis præcipuus, discedente Gunderamo filijs eum suis præfecit, quos ita rexit & in studijs

dijs instituit, ut non simulatum sui desiderium adolescentibus & patri moriens reliquerit. Ei ergò uiro ultimum quod possumus pietatis officium, non grauatim cùm propter minimè uulgarem eius eruditionẽ, & studiorũ nobiscum societatem, atq; etiam propter hãc ipsam consolationem cogitandam, præstemus, & funus eius, quod hodie hora quarta ex ædibus D. Lucæ deducetur, frequentes comitemur, Et primùm nos singulos & uitam nostram, deinde & communem Ecclesiam pijs precibus Deo commendemus.

Die 5. Iunij.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. HENricus Mollerus Hamburgensis, Hebrææ linguæ Professor in Academia Vuitebergensi.

NAm quis te meritis unquàm ter maxime Vatum
Laudibus accumulet, quem laudatissimus Heros
Filius ipse Dei, fallax haud ore repertus,
Ingentem donis ingenti uoce ferebat.
Nec uox ulla tuos æquè celebrabit honores,
Quàm qui te tanta cumulatum laude relinquens

Supra

Supra homines, ſupra ire Deos pietate canebat.
Verùm etiam eſt tenuis Muſæ ſua gratia, ſi quis
Magnum mole uirum tabula deſcribit in arcta
Vt ucros uideare tueri, ac noſcere uultus.
Sed dum ſacra cano, Vos ô qui pectore culto
Hîc operam ſtudijs datis, & queîs diſcere ſacra
Et facere eſt promptum, linguiſq; animiſq; fauete.
Fas etenim ueterum repetentem exempla uirorum
Veſtigare animo quid ſit chorus ille piorum
Humana qui in gente ſonat cœleſtia iuſſa:
Qua uice ſucceſsêre loco, qui numine miſsi
In terris ſacri generis reparare ruinam:
Qualibus & frenis, qualiúe regatur ab arte:
Præſertim & quæ ſint doctrinæ iura profeſsi
Diuini proceres, qui pro pietatis honore
Obiecêre animas in aperta pericula uitæ
Scire operæ precium eſt, & eorum exempla tueri,
Et rectam teſtata fidem monumenta tenere,
Hiſq; animum firmare, et tanta agnoſcere dona,
Atq; Deo, ut dignum eſt, pro tantis reddere grates.
Humana in tenebris fœdè cùm uita iaceret,
In terris uano pietatis perdita cultu:

Tùm

Tùm missus Vates lucem qui proderet almam
Gentibus, atq; uiam liquido monstraret Olympo,
Non lux ipse quidem, sed luci ut prævius iret,
Ineessuq; prior, qui inculta atq; aspera cluis,
Sterneret, & iuxta sequeretur Christus eumem.
Ergò illi comes, & consanguinitate propinquus
Sacra è stirpe Leui genitus, sex mensibus antè
Humanas quàm Christus erat productus in auras
Lucẽ hausit Solymis, & tum moderamina regni
Contemptor diuûm Herodes translata tenebat.
Huic pater, ipse memor Domini, se uoce ferebat
Sachariã, inq; Deo requiem quæ mater habebat
Maluit Heliſabe dici, cui dura negarat
Spem generis ſobolem Lucina, & pignora lecti
Nulla tulit fato diuûm, & tùm mole senectæ
Nõ habilis, ſpem natorum iam abiecerat omnem.
Hi ſæuum imperium duri tolerare Tyranni
Aſſueti, placidè peragebant tempora uitæ,
Nil armis moti, nulla ipſi bella mouentes
Regibus: at duram patiendo uincere ſortem.
Iuſti ambo, uitam ante Deum ſine labe trahebant
Fixam in uenturo ponentes ſemine mentem.
Sed cùm fortè ſub immani ſua ſacra Tyranno
Exequitur, ſolitumq; adytis inſtaurat honorem,

Et

Et ſupplex fumum incendens de more Leuitûm
Solenni in ſacro diuinis ſe uſibus aptat,
Quo rex ipſe modo Dauid, quo natus ab illo
Rex Salomon ritum exegit, moremq; ſacrorum:
Cumq; uacans precib. Meßiham poſceret orbi,
Qui lapſum in tenebras & turpia crimina mundum,
Excuſſumq; fauore Dei, ſtygio eximat Orco
Fœdus in antiquum referẽs, primumq; fauorem:
Tandem & relliquias aliquas monumentaq; ſeruet
Sacra piæ gentis: columen, requiemq; ſenectæ
Sufficiat prolem, non ſic deſertus ut eſſet.
Continuò cœlo demiſſus nuncius, inter
Officium, turbamq; ſacri, uocesq; precantum,
Huic Gabriel reſponſa refert: audita rogantis
Vota polo, ſterilique è coniuge ſurgere ad auras
Egregium Vatem, ne quicquam obſtante ſenecta,
Quem dulcis ratio officij, cui gratia dulce
Nomen habere dedit, Iohannem nomine dicet.
Quandoquidem ante Dei natum ueſtigia uerbo
Prima feret, uita prior, & prænuncius ibit
Ore ſonans ueniam, & mulcebit pectora dictis
Reducẽs natos recta ad documenta parentum.
Hunc fore et ingentem factis, qui matris in aluo
Corda Deo plenus, ſacra luſtratus ab aura

Agnoſcet

Agnoſcet domini ora ſui, cui robora Simſon
Inſtar erit, fortiq; animo cui ſpiritus acer
Heliæ uertet ſtimulos, munusq; docendi
Explebit uirtute ſuum, & iam matris ab aluo
Cœleſtûm regi dictus ſacer exiget æuum,
Semotus uulgi ſtrepitu, & popularibus auris.
Victum illi uulſæ dederint radicibus herbæ,
Pocula erunt fontes liquidi, non fortia Bacchi
Munera, non epulæ tentabunt labra repoſtæ.
Talibus auditis, triſti cum corde uolutat,
Coniugis inualidæ uires, ſortemq; ſenectæ,
Heu quid agat, dubij ſurgunt in pectore ſenſus,
Augurium rebus poſcit tamen æthere ab alto.
Illum multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere, nec tanto contèntum numine diuûm
Incuſat uolucer, qui non acceperit ultrò
Dicta ſua aſſenſu, manifeſtoq; omine ſignum
Eſſe iubet, quod nunc uocis procul excidet uſu,
Dum teneras illi uiſet mas editus auras.
Exin perfectis diuinis rebus ab imo
Seſe effert adyto uacua in penetralia templi,
Significatq; manu perfectis ordine uotis,
Et populum infuſum mandat decedere templo.
Nam quoniam noua ſacra nouos iam rurſus habebant
Ingreſſus, preſſo fas obmuteſceret ore

Antiquum Leui sacrum: sic maximus ille
Cùm faceret Flamen uerba, & cœlestibus auris
Lustraret populum, defunctum sorte Leuitam
Fas tenuisse manus, nec genti fausta precari.
Postquàm autem exactis sacris ad limina tecti
Se retulit senior, fœtu turgescere cœpit
Fœta nouo coniunx: ceu quondam dulcis aquæ fons
Defesso Simsone siti de putris asellæ
Maxilla emicuit, uenasq; refecit anhelas:
Haud secus antiquo & penitus de Flamine muto
Orator fœlix in apertas debuit auras
Produci fatis, qui dulci uoce leuaret
Corda hominum, & grato lustraret rore salutis
Pectus anhelantum, & culpæ sub mole cadentum,
In morem fontis salientis pumice uiuo.
Helisabe cùm se quinto iam mense teneret
Intra septa domus, grato celebrabat honore
Dona Dei, ut labem hanc miserandæ auerterit ultrò
Inuisam hanc labem quãdo infœcunda maneret.
Sextus ubi in cursu mensis foret, innuba uirgo
Nullum passa uirum, nullos experta hymenæos
Virgineum intumuit cœlesti pondere uentrem.
Fortè apud hanc, uolucri puero cùm mentio fidæ

Exci-

Excidit Heliſabes, cognatam inuiſere gaudet
Sedula: nam Mariæ genitricem fama fuiſſe
Germanam Heliſabes, dum Chriſtum exire ſub auras
Regali de ſtirpe Deus, ſacraq; uolebat.
Iohannes, ſed adhuc quanquam detentus in aluo,
Virginea tamen ille Deum cognoſcit in aluo,
Lætitia exultans, uocem ut fataliter hauſit,
Præſentis Mariæ, et plauſu ſonat abditus infans.
Iamq; ubi tempus adeſt utero deponere fœtum,
En domus Heliſabes augetur prole uirili,
Et circum attonitis animis hæſere propinqui
Gratantes, lætaq; omen cum uoce ſalutant.
Cumq; octaua diem reuehens Aurora, nigrantes
Diſpulerat tenebras, infans genitalia circum
Ante aram Samia cum teſta ex more putatur.
Et iam fatorum immemores cognomina patris
Certatim puero tendunt imponere paruo.
At mater cuius melior ſententia menti
Abnuit, & melius Iohannem nomine dici
Aſſenſu ingeminat uario, ceu forte mariti
Accipiens monita in tabulis inciſa notarat.
Ergò petunt conſulta patris, qui prodere ſcriptis
Dum parat, atq; notas ſubiectæ inducere cæræ,
Vocem improuiſo rumpit: iam parcite quæſo,

Iam dudum inuentũ nomen, uelut æthere missus
Admonuit præpes, Iohannes nomen habebit
Qui mihi qui primas uisit nunc masculus auras.
Inuasit mentes horror, calefactaq; corda
Augurio tali superũ, atq; ingentibus ausis.
Nam Pater omnipotẽs hunc olim in lege recenti
Primùm oratorem donis illustribus orbi
Fecerat insignem, mirisq; uocauerat actis,
Augurijs firmans doctrinam, atq; omine certo:
Quanquàm ille haud miris unquàm sese extulit ausis,
Ne fors acciperent Dominum, autoremq; salutis,
Atq; hunc Meßihæ uulgò pro nomine haberem.
Principiò uolucer demissus ab æthere præco
Natalem pandit pueri, nomenq; recludit
Ignotum, imq; utero sacrata impletur ab aura.
Et magnæ aduentum Matris, & uerba loquẽtis
Præsensit, Dominumq; excepit mente futurum
E sterili productus anu, ceu credulus Isac,
Patri lingua decem uincitur mensibus, & uox
Sistitur hærenti, dehinc pristina iura recepit.
His tùm aliquid magnum augurijs famaq; uehendum
Moliri superos, docuit post exitus ingens.
Nec longùm Pharisæa manus templum inter & aram
Instantes odijs ingenti uulnere uictum
Sachariam

Sachariam ingentem ſpoliarunt lumine uitæ,
Vt coràm ingeminat conceptum flamine ſancto
Meſſiham ucniſſe orbi, nec iam amplius illis
Eſſe locum, dictis & inania ſacra reuellit.
At uidua & confecta annis, quo tempore fertur
Herodes ſceptris metuens hauſiſſe cruentò
Imperio infantum uitas in limine primo,
Infantem, fugiens immania ſceptra Tyranni
Suſtulit exilio comitem, deſertaq; Idumes
Viſitat, Engeddi propc tempe, & Iordanis amnem
Heliæ loca clara ſcholis & uatis Eliſſæ.
Sed tunc Eſſæi proceres loca culta tenebant,
Sub quibus aſſueuit uitam tolerare magiſtris,
Iohannes operum patiens, tenuiq; manebat
Contentus uictu, nec paſſus carpere ferro
Fatalem ceruice comam, & ſylueſtria mella
Decußit latis folijs, in imagine pulchra
Doctrinæ, quia dulce ſonat, quia cordibus ægris
Suggerit & uires, & acutos luminis orbes
Efficit occultè medicans, gremioq; parentis
Diſtillans, folijs legitur ſuſcepta ſacratis.
Vilibus hic cancris etiam ieiunia ſoluit
Serpentum inuiſis generi: quod protinus eſſet
Argumentum ingens ſuſcepti muneris huius,
Dum uerbo bellum accendit, Phariſæaq; caſtra
Vipereum genus inſectans capitaliter odit,

Pellibus incinctus uilem gestauit amictum,
Cingulaq; è lento strinxerunt ilia nodo,
Redderet Heliam quò uita & moribus ipsis.
Ergò ut triginta uitam extendisset in annos
Diuerso se more tenens à gente Leuitûm,
Fortè sacro in festo de cœlo excitus apertis
Augurijs sua munia init, quà flumine pulchro
Iordanis secat arua uadis, & Fœderis arca
Constiterat, siccoq; gradu gens transijt amnem.
Illic admonuit fontes fastidia labis
Concipere, & puro lustrauit fluminis aluco.
Quem satus ipse Deo præsens dignatus adire,
Doctrinam augurijs, atq; omine firmat aperto,
Iordanem, fluuiosq; omnes ut corpore sancto
Inficeret, triplicíq; in maiestate uidendum
Se dederat numen, Genitor cum luce, sonoq;,
Natus at exuuijs hominum, formaq; columbæ
Spiritus amborum consors, & copula amoris.
At sacer exequitur uates dum munia ad amnem,
Instituitq; scholam uatum de more priorum,
Visendi & studio coit undiq; lecta iuuentus:
Tum Pharisæa cohors, quo missus numine quæruut,
Qui genus, atq; domo, uatésne an fortis Elias,
An maior Deus, aut opera ad maiora uocatus,

Quid

Quid ſtruat his ceptis, aut quid noua ſacra frequentet?
Quos uates à ſe uenientis ad ora remittit
Meſſihæ, & faſtus reprobos, & inania ſacra,
Incuſat dictis, cæcisq; inſtantibus armis
Arua adijt Galilæa fuga, uimq; exijt omnem,
Iuſſaq; ſacra colens uirides Iordanis ad oras
Quas rex Herodes iam tùm ditione tenebat,
Sparſit rore pio gentem, & luſtralibus undis.
Sed quoniam Herodes patris inſidiatur habenis,
Iohannem accerſi iubet, in quem plurima turba
Conuertêre oculos, diuinaq; iuſſa ferentem
Miratur, donisq; extantem ſuſpicit altis,
Si per eum ſceptris aditum fortaſsis haberet.
At uates Regi inceſtos infenſus ob ignes
Conſortem ut fratris thalamo ſociatus habebat,
Cuius ob imperium infelix, moresq; ſiniſtros
Concuſſæ luctu Solymæ, cædesq; peractæ:
Adſcitur uinclis clauſus Macherontis in antro,
Vnde etiam geminos ad Chriſtum miſit alumnos
Facta uidere uiri, uiuasq; aſſumere uoces.
Hìc ucrò indignum fama, ſeclisq; tremendum
Exoritur facinus, regina ut fatur in aurem
Saltanti natæ quò regem poſceret ultrò
In diſco tradi uatis caput enſe reciſum:
Iuratusq; in uota pater, cæcusq; furore

Non uati abstinuit sacro, auersusue refugit
Triste ministerium, præstat, ne uota retractet,
Quanquàm ô, Sed tristes expendunt sanguine pœnas
Exacti regno: sed nata ut lubrica ducit
Signa pedum in glacie lusus imitata choreæ,
Dissiluit crepitu glacies, pes uertitur imo
In caput, & sparso maculantur saxa cerebro.
Hic finis tanti uatis, sic exitus illum
Sorte tulit, mundum sacra ad meliora uocantem,
Signantemq; Agnum digito, qui crimina tergo
Auferat, & tristes abstergat sanguine labes.
Hic rectum ad superos iter, & documenta recluſit
Vera Dei, uoluitq; horum meminisse minores:
Quæ qui noscere auet, studijs operetur honestis,
Multaq; peruigili uoluat monumenta labore,
His nam doctrinæ fida instrumenta parantur.

Nunc qui fortè uclint ad claros tendere honores
Ingenio & docta sibi quærere nomen ab arte,
Profectusq; sui specimen dare: nomina nobis
Dent sua, censuramq; ultrò subeantq;, ferantq;,
Et meritæ expectent contenti præmia palmæ.

In festo S. Iohannis Baptistæ.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVoties repetimus & repetiuimus interdicta de natationibus in Albi, quoties pericula uorticosi fluminis, incertisq; harenarum motibus, atq; interfluentium aquarum gyratis uoraginibus infidi, quæ in conspectu sunt, inculcamus, Quotics insidias exaggeramus Diabolorum delitescentium in aquis, & interitum struentium ijs, qui temerè spreta autoritate Magistratus sui, imò ipsius Dei, & manifestis periculis contemptis, fiducia artis natandi profundißimis sesc gurgitibus committũt, Sed quàm paucos hæc moueant, experimur indies. Nullus præterit annus, quo non aliquos cœcæ uoragines uorticosi fluminis abripiant in profundum frustra reluctantes, atq; absumant, quibus, cùm producuntur ex aquis effractæ ceruices, intortaq; cernuntur colla, ac denigrata, ut submersos, à Dæmonibus, nec tàm aquis suffocatos, quàm uiolenta inuersione ceruicum strangulatos esse appareat, & memimimus aliquos, qui ope diuina euaserunt, affirmare, quòd in ipso conatu eluctandi euidenter senserint præhensionem retrahentium ipsos. Hæ scilicet sunt

Nereides illæ, & Naides, & Potamides, quas Ethnica ſuperſtitio, ueri Dei neſcia, cùm nõ ignoraret, Deos eſſe falsò credidit, & ſacrificijs coluit, ac deliniuit officijs alijs, ut pericula aquarum auerterent, dæmonibus colluſione annuentibus ad uota quandoq;. Sed tantùm hæc profecerunt, ut ſtolidæ ac petulantis adoleſcentiæ furores irritaſſe magis magisq;, atq; exaſperaſſe uideantur. Quapropter ἐμφορηθέντες illi, & tandem iuſto Dei iudicio pereunt in periculis, quæ amant, & in quæ ſeſe audaci contemptu Dei & magiſtratus ſui cõfidenter præcipitant. Idem cæteris legum contemptoribus cueniet, qui pro laude ducunt, quàm ſuauiſſimè, quæ diſciplinæ cauſa præcipiuntur, ridere atq; conſpuere. Ne tamen deſimus officio noſtro, denuò prohibemus natationes, & ea prohibemus ſeueritate, ut in poſterum ſimus autoritate Illuſtriſs: Principis Electoris, Domini noſtri Clementiſſimi, conducturi aliquos, qui ſcuticis & ſcorpionibus exigãt ex aquis natantes, ſi omninò arceri inde et abigi aliter non uolunt. Quod feciſſe meminimus Illuſtriſs: Principem Mauricium Electorem. Comprehenſos uerò ita puniemus, ut ſint exemplo futuri cæteris. Addimus & hoc, nos in poſterum non præſtituros eſſe ulli, qui in aquis perierit, officia honorificæ ſepulturæ, quibus ornari alioquin

quim à nobis et deduci funera corũ ſolent, quĩ intra metas uocationis ſuæ ſanctè pieq; dceſſerũt. Præmia n. debentur obedientib. nõ cõtumacibus. Si quibus omninò medicinæ cauſa lotione in frigida opus eſt, riuulos ingrediamur, etſi et ab his eos abſtinere, & labris domi uti mallemus. Repertus eſt autem heri is, qui ante quatriduum in Albi perijt, cuius nomen eſt, Georgius Preibiſſer Sileſius. Huic hodie hora nona funus fiet, cui, ut ſcholaſtici interſint in cœmiterio ſuburbano, hortamur. Cõmonefacti autem huius exemplo oretis Deum ardenter, ut uos ducat ſancto ſuo Spiritu, & cuſtodiat præſidio caſtorum angelorum. Quisq; etiam ſemetipſum maiore cura in Dei inuocatione ac timore regat. Cumq; pericula cauere ſit cauere & occaſiones periculorum, ſicut peccata uitare, eſt uitare occaſiones peccatorum, non accedatis ad flumen, nec obtemperetis improbis uocibus profligatorum ac perditorum ingeniorum, incitantium ad contemptum legum ac diſciplinæ, & ſodalicia atq; contubernia ſeductorum fugite tanquàm peſtem.

Die 4 Iulij.

AV-

AVDITORIBVS SVIS S. D.

PRiori septimana de Medicorum consilio aliquoties domo expatiatus sum, templum quoq; accessi & loca publica, ut uiricularum, quas à febris remissione collegisse uidebar, possentne publicum aërem et hominum frequentiam sustinere, periculum facerem. Ac uidebar mihi utcunq; confirmatus. Itaq; planè constitutum habebam me uelle crastina die redire ad intermissas morbi causa publicæ prælectionis operas. Sed die Veneris proximo, quo mihi bellissimè ualere uidebar præter meam & omnium opinionem rursus me paroxismus oppressit, ut me dies aliquot domi, uelim nolim continere cogar. Quare auditores oro, cùm nostra ipsis uoluntas, diligentia & adsiduitas nota sit, ut nunc etiam humaniter necessariam cessationem meam ferãt, memores humanissimæ commonefactionis, uel diuinæ potius, quam in Delphico templo scriptam fuisse uetustas tradidit: ἄριστον τὸ δικαιότατον λῶστον δὲ ὑγιαίνειν. Spero autem me breui pristinas ualetudinis uires recuperaturum esse, Deo dante. Benè ualete, & ad Deum pro communi omnium & mea, quibus placet, ualetudine pia uota facite. 3. Non: Iulij.

Petrus Vincentius Vratislauiensis.

DE-

DECANVS COLLEGII IVRISCONSVLTORVM,

Vitus Oertel VVinshemius Iunior I. V. Doctor & Professor &c.

FOns legum honestarum & uiua scaturigo est Decalogus, in quo prorsus diuino & admirando compendio traditur æterna & immota sapientia & regula iustitiæ in Deo discernens recta à non rectis. Cuius radij in hominum mentes transfusi sunt in prima creatione, sed ea doctrina deinceps propter infirmitatem adsensionis, quæ secuta est miserum generis humani lapsum, ex monte Synaide diuina uoce & stylo repetita est, ut certò scirent homines, & sine dubitatione animis statuerent, Deum esse, & uelle, ut genus humanum similitudine sapientiæ & iustitiæ, Deo conforme sit. Huius sapientiæ diuinæ partem, quæ in altera, ut nominatur, Decalogi tabula comprehensa est, deducit, explicat, interpretatur, determinat, & ad uarios uitæ casus, tempora, res atq; personas adplicat doctrina legum nostrarum, ut hæc quoq; rectè & meritò dici possit, & ἔυρημα καὶ δῶρον θεοῦ & dogma ἀνθρώπων φρονίμων, & ἐπανόρθωμα τῶν ἐκθσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρ-

ἁμαρτημάτων, ut ait sapiens Orator Atticus. Vnde præclarè, & sine lege loqui erubescimus, & sacerdotes iusticiæ secundum Iurisconsultum non immeritò appellamur. Et hac quidem laude uel legibus nostris uel ordini tribui maior aut uerior nulla potest. Etsi igitur multi hoc seculo Enthusiasmo ἀνομίας fascinati, neq; uident, neq; intelligunt se palàm in Deum contumelioſos esse, dum spargunt uoces in uulgus ambiguas de abolenda lege, de libertate obedientiæ, & id genus nouis paradoxis, nos tamen intuentes sacram Dei uoluntatem, & ei, ut par est, obtemperantes, de toto Decalogo, legibus honestis omnibus, & imprimis de iure nostro ciuili, quod legis diuinæ seu pars est seu interpretatio, reuerenter sentiamus, tanquàm de radijs sapientiæ Dei, sine quibus tenebræ in uita humana & tetra barbaries, & confusio turpis futura esset, statuamus quod res est, doctrinam legum esse donum Dei, & eam propter gloriam Dei, & communem generis humani utilitatem, libenter & studiosè discamus. In qua cùm uir præstans eruditione & uirtute PHILIPPVS IVNGER Oschnicensis, & Lipsiæ multos annos et in nostra Academia uersatus, eos progressus fecerit, ut & publicè specimen eruditionis suæ præclarum ediderit, & priuatim ingenij fœlicitatem, &

tractan-

tractandarum causarum usum, animi integritatem, uirtutem & iusticiæ amorem, cùm doctrina singulari & morum elegantia coniunctum Collegio nostro probarit, insignia, titulum & ornamenta Doctorum utriusq; Iuris ei conferre decreuimus ad proximum diem Iouis hora octaua. Cumq; eiusmodi testimoniorum renunciationem publicam esse, & in aliqua frequentia literatorum fieri deceat, in templo arcis, ut mos est, conueniemus, & simul Deo studia doctrinæ cœlestis, literarum, artium & L L. nostrarum pijs precationibus Deo commendabimus. Non enim humanorum ingeniorum uiribus, sagacitate, studio aut laboribus, sed Deo largiente successus, studia doctrinæ fœliciter propagari et cõseruari certum est. Qui cùm hactenus hanc Academiã omniũ optimarũ disciplinarũ studijs mediocriter Dei beneficio florentem immensa bonitate seruarit, oramus eum per & propter Filiũ, fontem sapientiæ, Dominum nostrum Iesum Christum, ut in hoc difficili & ærumnoso temporum nostrorum curriculo, inter ruinas regiminum, & tristem disciplinæ laxationem protegat Ecclesiam, & seruet studia doctrinæ legis, & ordinem politicum, nec sinat fieri in his terris infinitam uastitatem & barbariem, qualem moliuntur Sycophantæ in scholis & Ecclesiis, & horum

rum ἀκροαταὶ οἱ κένταυροι ἀντινομοὶ ἡμῖν φύσει καὶ λόγῳ καὶ τοῖς πολιτείαις. Bene ualete.

Nonis Iulij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NOn est dubium, quin maior pars eorum qui studiorum causa huc missi sunt, assiduè cogitet, quantum Dei optimi maximi beneficium sit, quòd his adflictis & turbulentis temporibus, Academiæ nostræ mediocria Halcyonia tribuit, & studia pietatis & doctrinæ, in ea hactenus clementer conseruat. Hoc etsi omnes agnoscere, ac Deo pro his & alijs innumeris beneficijs, toto pectore gratias agere, uitæq; innocentia animi gratitudinem ostendere, oportebat: tamen aliquos in tanta multitudine, & studiorum neglectores, & uirtutis legum ac disciplinæ contemptores, reperiri, ut mirum non est, ita magnopere dolemus, quorum petulantia nullo modo ferenda est, sicut scriptū est: Tolle malum è medio tui. Nunc delatus est ad nos N. N. qui uespertino tempore impetum in ministrum Illustriß: Principis, Ducis Saxoniæ Augusti, Electoris, Domini nostri clementißimi, feciſſe putatur, eiq;

eiq; uulnus inflixisse, à quo nec uerbis nec factis, uel irritatus, uel læsus est. Ea uespera in alios etiam petulantiam exercuisse idem dicitur. Cuius atrocis petulantiæ, se reum esse non obscurè ostendit, quòd clanculùm sese hinc post factum subduxit, atq; aufugit. Quamobrem hunc N. N. publicè uocamus, ac peremptoriè citamus, et ut sese nobis in Collegio Iurisconsultorum ad primum diem mensis Augusti huius hora duodecima sistat, & ad accusationem respondeat, mandamus. Quod si non fecerit, nos tamen in contumaciter absentem, exemplum seueritatis nostræ statuemus, ac ea de re ad suos in patriam scribemus. Reliquis, ut uel exemplo huius moti, modestiores sint & tranquilliores, nec piorum hominum in Ecclesia, Academia & oppido inuocationem & studia turbent atq; impediant, præcipimus.

Die 17 Iulij.

PAVLVS EBERVS KYTTINGENSIS, PASTOR Ecclesiæ VVittebergensis, sacræ Theologiæ Doctor & Professor S. D. auditoribus.

GRatias Deo æterno Patri Domini nostri IESV Christi meritò maximas agimus,

q, hoc biennio elapſo poſt obitum Reuerendi pa-
tris noſtri Domini Philippi Melanthonis ſanctæ
memoriæ, hanc ſcholam, & eius hoſpitium ciui-
tatem hanc, & benigniſſimum nutritorẽ eiuſdem
Illuſtriſſi: Ducem Saxoniæ AVGVSTVM
Electorem &c. clementer protexit & conſer-
uauit, & ab hac regiõe famem iam alicubi imma-
leſcentem, aucto frumenti precio ad triplũ fer-
mè uſitatæ annonæ, & peſtem, quam multa no-
bis non fallacia indicia minitabantur, propulſa-
uit, et in admodum inconſtanti aëris ſtatu tamen
& meſſem uberem, et fructuum fermè abundan-
tiam, & præterea pacem & tranquillitatem
largitus eſt, & in tanta incendiorum crebrita-
te ſingulorum caſulas huc uſq; cuſtodiuit, quæ
commoda profectò agnoſcere debemus Dei ſin-
gularia beneficia eſſe, uolentis ſibi in hac regione
adhuc Eccleſiam colligere, & dantis grata hal-
cyonia, ut doctrina cœleſtis, & artium Eccleſie
neceſſariarum ſincerè tradi iuuentuti, & ad po-
ſteros propagari poſſit. Etſi autẽ his bonis mul-
ti ſcelerate abutuntur, plurimi, quanta ea ſint,
& ad quos fines diuinitus tribuantur, non per-
pendunt: Tamen eos, quibus ex uerbo Dei per-
ſuaſum eſt poſt hanc ærumnoſam & fugacem
uitam aliam reſtare æternam, ad quam ſine ag-
nitione Filij Dei, monſtrantis patrem, peruenire

re nemo posſit, decet immensitatem bonitatis diuinæ considerare, & grata mente & uoce celebrare, quod & incorruptam Euangelij doctrinam, & artium studia in hac Academia benignè fouit, & conseruauit ab eo tempore, quo dulcissima uox eruditissimorum præceptorum nostrorum Lutheri & Philippi &c. morte intercluſa, maximo nostro cum mœrore, & publico incommodo conticuit, & nobis pacem & cætera uitæ huius præsidia largiter tribuit. Gratiam etiam sc debere pia iuuentus agnoscat Professoribus, qui quantum potuerunt, in hac orbitate Academiæ, fideliter laborarunt, ut discentiũ studijs prodesſent, & si nõ simili dexteritate & facilitate omnia possent tradere, sicut à suprà nominatis præceptoribus est factitatum, in quibus ut heroicis naturis diuinitus excitatis & ornatis, multa fuerunt singularia, & cæteris inimitabilia, tamen illa ipsa, quæ ab ijs acceperunt & didicerũt, fideli studio cum auditoribus cõmunicarent. In ea autẽ operarum publicarum distributione post Domini Philippi mortẽ facta, mihi, ut scitis, mandata est explicatio Dominicalium Euangeliorum, quam is solitus fuerat ipsis diebus Dominicis maximo cum auditorum fructu tractare. Ego uerò propter concionandi munus coactus fui in diem Sabbati

eam lectionem transferre, quam quidem sustinui hactenus in hac occupationum mearum assiduitate, maiore cum mea difficultate et solicitudine, q̃ cum auditorum fortassis profectu et utilitate. Neq; uerò ille mihi labor adeò grauis fuisset, qui communis utilitatis causa tolerandus erat, si eam, quam conueniebat adhiberi, & discentium uota & studia expetebant, & officij mei ratio requirebat, assiduitatem in legendo præstare potuissem. Sed quia unum post aliud impedimẽtum illas legendi operas interrupit aliquoties, quæ toties facta intermissio lectionum, auditoribus ingrata, fortassis & incommoda esse potuit, mihi certè maximorum sæpè dolorum causa fuit, & illa meditationum ac laborum continuatio mihi & difficilis, & in hac corporis imbecillitate periculosa erat: Exoraui amplissimum Senatum huius Academiæ, ut à me hanc Euangeliorum enarrationem in alium ex Collegis minus oneratum & ualentiorem transferendam censeret. Significo igitur scholasticis, meo & rogatu & suasu, de sententia & communi decreto gubernatorum Academiæ, hanc Euangeliorum dominicalium explicationem impositã esse pietate et eruditione præstanti uiro Magistro CASPARO CRVCIGERO, qui etsi diu reluctaretur, & multa causaretur, quib. conabatur ostendere,

derc se ad hoc munus parum esse idoneum, tamen tandem cessit authoritati præceptorum eo usq;, ut hoc in se onus super alias hactenus fideliter & utiliter curatas operas reciperet, & promitteret se deinceps Euangelia Dominicalia ipsis diebus Dominicis mane hora sexta, qua possit diligentia & assiduitate, explicaturum esse, Vt hora nona diei Sabbati uacua relinquatur Clarissimo D. Doctori Casparo Peucero, ea hora tractaturo Historica, sicut hactenus laudabiliter fecit. Cùm autem non ijs solùm, qui ad Euangelij ministerium accessuri sunt, uerùm etiam omnibus bonarum artium studiosis utilis & necessaria sit illa Catechetica doctrina, quæ in enarratiõe lectionum Dominicalium subinde repeti, illustrari & inculcari solet, cui etiam multa historica, & grammatica asperguntur, quæ ipsa quoq; de multis magnis rebus discentes monere possunt, & præterea monstrantur expeditæ solutiones sophisticarum argumentationum, quibus ueritas doctrinæ cœlestis in præcipuis partibus ab aliquibus oppugnatur: Hortor & oro Scholasticos, ut ad lectionem hanc frequentes accedant, & statuant se tùm uerè sanctificaturos Sabbatum, sicut seriò mandat tertium Præceptum Decalogi, si matutinum tempus diei Dominici tribuant harum rerum, quas recensui, cognitioni,

ut deinde animis ad pietatis ſtudium, & ad inuocationem excitatis, paratiores & promptiores conueniant ad conciones & precationes, quæ fiunt in Eccleſia, ubi & rectius intelligere poterunt, quæ publicè dicuntur, & maiore ſtudio & attentione cum Eccleſia, ſua & communia pericula & ærumnas DEO commendabunt, quæ quidem à pluribus facta precatio dulciſſimam habet promiſſionem ſingularis efficaciæ, ſicut teſtatur uox Chriſti Matth: 18. ubi inquit: Rurſus dico uobis, Quandocunq; duo ex uobis conſenſerint in terra, de omni negocio, de quocunq; petierint, fiet eis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Quod igitur fauſtum ſit & ſalutare ſtudijs iuuentutis, conſtituit Magiſter Caſparus, Dei inuocato auxilio, auſpicari explicationem hiſtoriæ de homine ſauciato & ſpoliato à latronibus in deſcenſu ad Iericho, & benignè curato à Samaritano, die Dominico ſecuturo craſtinum, id eſt, poſt octiduum, hora ſexta matutina.

Dic 8 Auguſti.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERgenſis.

NOn dubium eſt, σόφγας in pectoribus hominum ideò & cõditas eſſe & ſeruari diuinitus,

uimitus, ut testimonium sint amoris diuini ergæ Filium, quos per & propter Filium conditos ad imaginem suam, Deus in locũ filiorum ab æterno elegit & adoptauit. Ac quo meliores, & Deo similiores naturæ sunt, eò in his στοργαὶ sunt puriores & ardentiores: Nec ferè ulla in re clarius hæ cõspiciuntur, q̃ cùm miserias aut calamitates natorũ parentes pij & εὐσπλαγχνοι intueri coguntur. Etsi n. in cõmouendis hominum animis uim mirificam habet, & rerũ secundarũ cogitatio, si quas tales in natis suis parentes aspiciũt: Tamẽ efficatior est et magis cõspicuus dolorũ sensus, ortus in bonis naturis à calamitatũ aut miseriarum conspectu, quib. nati ex his uel fragilitate humana, uel casibus alijs inuoluũtur. Cùm. n. ad lætitiam & beatitudinem æternã homines cõditi fuerint, non ut miserijs et ærumnis ullis conflictarentur, manet in purissima illa imaginis diuinæ similitudine, acer ille & inenarrabilis dolorum sensus, cùm cruciari aut adfligi putamus eos, quos & Deus & natura nobis uult esse charissimos. Quare dolorem parentum, qui lugent amissa sobole, non putemus infirmi aut mollicie diffluentis animi signum esse, Sed honesti et diuinitus sic conditi, qui desiderio suorum adfici debet. Euocata est autem heri ex hac mortali uita puellula MARIA, filia uiri honestissimi & doctissimi,

Friderici Drachſtadij, & Margaritæ, filiæ Reuerendi uiri Doctoris Georgij Maioris. Ac ſunt in luctu eo maiore hæ optimæ familiæ, quo & à natura magis ſunt εὐσοργοι, & cauſæ eis dolorum plures ac crebriores offeruntur. Vidit uir Reuerendus D. Georgius Maior multorum & filiorum et nepotum funera, Sed hic ei caſus non ſolùm ideo acerbior eſt, quòd intra menſem quintum ſecundum inter nepotes funus cernit, amiſsis ijs, in quibus non dubia cluxerunt egregiæ indolis ſigna, uerùm etiam, quòd dolor ei renouatur hoc ipſo die ante biennium ipſi allatus, cùm extincta filia chariſsima Eliſabetha, ipſe quoq; de uita periclitaretur. Hac mœſticia ipſius & honeſtiſsimæ familiæ nos quoq; adfici iuſtum eſt. Nam etſi & ipſe & parentes puellulæ extinctæ, leniunt ſibijpſis dolorem cogitatione uocis dulciſsimæ Filij Dei: Non eſt uoluntas æterni Patris, ut pereat unus de paruulis iſtis, Tamen ſubitò totum extinguere non poſſunt tot concurrentibus mœſticiæ cauſis, & toties quaſi lacerata illa σοργῶν & humanitatis ſede, quæ & per ſe eſt tenerrima, & in ipſis à natura optimè facta. Quare ut luctu ipſorum nos quoq; adfici intelligant, hortamur Doctores, Magiſtros & ſcholaſticos omnes, ut hodie hora duodecima ante ædes D. Friderici Drachſteds, quæ ſunt è regione

gione ædium D. Georgij Maioris, frequentes conueniant, & puellæ funus deducentes singuli sese & Ecclesiam pia precatione Deo commendent. Dccct nos alioqui funeribus infantum tantò libentius interesse, ut testemur seriò nos sentire ac credere, eos certò uitæ æternæ hæredes esse, & complexu ac contuitu Filij Dei frui. Quare pios & intelligentes tantò cupidius hoc officium familijs honestißimis præstituros confidimus.

Datæ 15 Augusti.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGensis.

MEdici boni officium est, curare, quod ratio postulat, ut sit totum corpus ὑγιαίνειν, debeat inq; uigore suo consistere, omnia membra bené sint constituta, ac officium faciant. Ideoq; deprehensum uitium in uno aliquo, corrigere atq; emendare, & membrum ad sanitatem reducere laborat, si sanabile est. Quod si adcò uiciosum est, ut nullam uel ἐπανόρθωσιν uel ἴασιν admittat, tunc, ne uicinis membris morbum suum ad corruptionem communicet, prorsus resecat à corpore, & extirpat, quod nisi fiat, facilè illud alia etiam membra

sana inficiet, & in κοινωνίαν τοῦ νόσου pertrahet, morbumq; suum ac putredinem, tandem etiam toti corpori communicabit. Quandò enim medicamentis nihil proficitur, ferrum & ignem assumi oportet, idem facit & facere debet Magistratus bonus, in omni benè constituta Republica. Improbos enim ac petulantes suæ Reipub: homines castigat, si sanabiles sunt, sin minus, eos prorsus ex communitate & societate bonorum, tanquam pestes & catharmata eijcit atq; excludit. Tales cùm hoc tempore etiam in nostro corpore & Republica literaria pestes reperiantur, quorum κακοήθεια & peruersitas nullis quantumuis amicis & paternis admonitionibus & pœnis corrigi, & ad sanitatem reduci potest, Extrema usurpare cogimur, & secundum Poëtæ uersus : Immedicabile uulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.
Et scriptum est : Tolle malum è medio tui.
Gessit autem nomen studiosi apud nos aliquandiu N.N. qui studia honesta, pietatem ac disciplinam minimè coluit, & Magistratum scholasticum contẽpsit, et cùm tota uita sua, tùm habitu etiam, quo usus est, scurrili & militari, declarauit se nec honestatis studiosum esse, nec disciplinam, aut ullas leges scholasticas curare, cumq; magnã petulantiam sæpè exercuisset, sibiq; quiduis impunè

licere

licere persuasisset, nuper tẽpore uespertino hom̃i-
nem peregrinũ ministrũ Illustriss: Principis Du-
cis Saxoniæ Augusti Electoris, Domini nostri cle
mentissimi, scelerate uulnerauit. Ea uespera etiã
alios quosdã petulanter adortus est et percussit,
à quib. nec uerbis nec factis, uel irritatus uel læ-
sus fuit. Post factũ uerò clanculum hinc sese sub-
duxit, ac citatus priuatim et publicè, ad dicendã
causam, non cõparuit, qua contumacia sua auto-
ritatẽ magistratus sui & iurisdictionẽ scholasti-
cam, quantũ in ipso fuit, euertit. Quæ ut defen-
damus, atq; cõseruemus aduersus uiolatorẽ horũ
exemplũ animaduersionis nostræ statui oportet,
hũc itaq; N.N. ex corpore nostro & cœtu scho-
lastico eijcimus, atq; in perpetuũ excludimus, &
exclusum esse publicè significamus. Cæteros uerò
scholasticos hortamur, ut modestiam, iustitiam et
tranquillitatem communem ament & colant,
atq; scholasticam iurisdictionem reuereantur.
Inprimis uerò hortamur eos, qui famuli sunt
aliorum, qua conditione & hic N. fuit, cùm de
horum petulantia crebræ ad nos querelæ defe-
rantur, ut exemplo hoc edocti sese recipiant ad
frugem, ac uita sua uniuersa & habitu etiam de-
clarent, se ueræ pietatis, disciplinæ, & honestarũ
artiũ studiosos esse: ne simili seueritate in eosdem
uti cogamur. Aud..mus etiã multos ex hoc gene-
re nomina sua apud Rectorem nõ esse professos.

Hortamur

Hortamur igitur scholasticos, tàm nobiles quàm cæteros omnes, atq; edicimus, ne tales famulos, quorum mores perditi sunt, & qui non sunt ciues Reipub: scholasticæ nostræ, secũ habitare patiantur, aut ministerijs eorum utantur: quorũ consuetudine quasi contagio, facilè labem cõtrahere ac infici possunt: Nam sicut Poëta canit: Vuaq; conspecta liuorem ducit ab uua. Et: Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi.

Oramus autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut Academiam hanc & studia pia & honesta, clementer conseruet, & prouehat, & nos omnes, qui sumus membra Academiæ huius Spiritu suo sancto regat, ac faciat σκέυη ἐλέους, ut simus membra sana corporis sani, Amen.

9. die Augusti.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Iohannes Hermannus, Medicinæ Doctor & Professor.

SÆpè ex hoc loco repetuntur causæ, cur Deus uitam hominibus concesserit, & cur longior uita hominibus expetenda sit. Inter quas hæc potissima est, quam recitat Psalmus 91. ubi

ubi scriptum est: Longitudine dierum replebo illum, ut ostendam illi salutare meum. Nam uita hæc nobis data est, non ad uoluptatum fruitionem, quemadmodum statuêre nonnulli Philosophi & Epicurei, sed potius ad hoc, ut cognoscamus salutare Dei, hoc est, ut discamus & cognoscamus uoluntatem Dei ex uerbo suo, eumq; uera fide inuocemus, laudemus, celebremus, ipsiq; pro omnibus beneficijs nobis datis perpetuas gratias agamus, aliosq; cultus ipsi gratos præstemus, atq; uita nostra & exemplo alios etiam ad cognitionem Dei adducamus, ac ut actiones nostras omnes ad conseruationem & propagationem doctrinæ cœlestis, & ad tuendum communem hominum societatem conferamus. Hæc cùm in tota uita nostra consideranda sunt: tùm maximè, quando ad cæremonias publicas funerum conuenimus, ubi simul ardentibus uotis Deum oremus, ut corpora nostra regat, & faciat templa, in quibus ipse rectè agnoscatur, inuocetur, celebretur, nobisq; sanitatem concedat, ac mediocria uitæ spacia, quò doctrinam de Filio Dei & beneficijs eius discamus, & eam exercitijs fidei et inuocationis confirmemus. Discessit autem ex hac uita hac nocte CHRISTOPHORVS DRABERVS, natus ex honestis parentibus in urbe Dresda.

Dresda. Fuit corpus à natura νοσῶδες & morbis obnoxium, et ex naturali cpatis imbecillitate 10. ab hinc die incidit in αἱμορραγίαν narium, qua tãtum sanguinis profudit, ut breui temporis spatio uires alioqui non satis robustæ, plurimum sint deiectæ. Et tantùm fuit sanguinis uitium, ut cùm uiæ quibus fluebat per nares, essent obstructæ, effluerct non solùm per collum, & per uias urinæ, ita, ut magnã sanguinis copiam & minxerit, & uomitibus crebris ac screatu reiecerit: sed etiam per totum corpus & membra exteriora sanguis ex uenis dilapsus maculis rubentibus & nigricantibus sese ostenderet, ex qua sanguinis diffusiõe in imbecillitatem uirium extremam incidit, & tandem 10. ab initio αἱμορραγίας die crescente languore et difficultate spirationis accedente & febre continua, cupidè & placidè in Christo obdormiuit, cui etsi propter ingenij præstantiam, qua excellebat, & spem uirtutis & doctrinæ in eo, uita longior fuisset optanda: tamen migrationis ex hac uita adeo fuit cupidus, ut ipsi gratulanda hæc potius esse uideatur, quàm inuidenda et deploranda. Nam cùm morbi sæuiciam crescere, corporis autem uires assiduè decrescere sentiret, non solùm non languefactus est animo, sed ipse etiam sibi hanc migrationem gratulatus est, quod ostendit cùm alijs pijs sermonibus, quos de Deo

de Deo & futuræ uitæ fœlicitate habuit: tùm his uerbis, quæ ante obitum protulit: Deus dedit mihi hanc uitam mutuò, quandocunq; uolet, illi reddam. Hanc ipsi in manus cõmendo, ex quibus eam nemo unquam rapere poterit. Item. Sic Deus dilexit mundũ, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Item: Accelera Domine, ut eruas me ab omnibus malis pro paterna tua bonitate ac misericordia. Ah ueni Deus Zebaoth, Deus fortis Zebaoth ueni, redemisti me Domine Deus ueritatis. Item. Gratias ago Domino Deo meo Creatori, Saluatori & Sanctificatori, q; me ex pijs & honestis parentibus nasci uoluit, deinde, q; mihi ad agnitionem sui uenire concessit. Hæc et similia uerba ex ore ipsius cùm toto morbi tempore, tùm paulò ante obitum, cùm sensus interiores usq; ad extremum halitum essent integerrimi, audita sunt, quare nullam dubium est, quin sit de numero eorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Funus autẽ fiet huic Christophoro hodie horâ quarta, ad quod ut conueniatis ante ædes Vincentij Hasen piæ memoriæ quæstoris Academiæ huius, uos hortamur, & ibi singuli sese & Ecclesiam & hanc Scholam Deo commendent.

Die 1 Septembris.

EPI-

EPITAPHIVM SCRIPTVM EIDEM à M. Martino Henrico.

FRigida Christophori defuncti membra Draberi
Mole sub hac saxi contumulata iacent.
Suauiter in Christo, Christum quia corde gerebat,
Dormit, quem certa spēq; fidēq; manet.
Omnibus exutus curis, & liber ab omni
Crimine, nunc omni liber ab hoste malo est.
Non pestem, aut morbum sentit, durósue labores,
Nec Satanam, mortem, bella, famemue timet.
Nunc anima in Christi dextris à corpore uiuit
Libera in æthereis sedibus ante Deum.
Tunc ubi clara sonum dederit tuba, membra resurgent,
Iungenturq; animæ glorificata suæ:
Sanguine quæ Christi mundata à crimine cuncto,
Viuit, & æterno tempore salua manet.
Conspectuq; Dei, & læto sermone fruetur,
Æternum gaudens concelebrare Deum.
Felices quibus in Christo spes una salutis,
In Christi claudunt qui sua fata fide.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ALtera pars est pietatis Christianæ, studium disciplinæ, & uita inculpata, quæ argumenta sunt & notæ τῆς θεοσεβείας in ueritate fidei, hæc enim cùm intus sit in corde fidelium, ἐπαγγελία sit huius δ' ἔργων ἀγαθῶν, atq; ita simul præstatur Deo & saluti nostræ fides & bona conscientia, in quibus consumitur militia sanctorum. Sicut igitur in cœtu populi Dei multi sunt admixti & hypocritæ & prophani, Ita ubi omne honestatis studium intercidit, & turpitudo in mores abit, neq; docendo, neq; puniendo reprimitur, sed tanquam inter Cyclopes οὐδεὶς οὐδένα οὐδὲν ἀκόσα nihil quisquam quicquam quemquam audit, & omnia licent omnibus, In tali igitur cœtu Ecclesiam quærere non possumus. Studij autem huius cùm summa necessitas nobis à uoluntate Dei immutabili afferatur, incitatur tamen magis in ijs, qui præsentium temporum statum considerant, & quæ pericula religionis ueritati, & communi patriæ, & publicis & priuatis rebus omnium impendeant. Nam & regna palàm moriuntur & urbes, ut uersu ueteri utamur, & ita fiũt atq;

geruntur omnia, ut tyrannidi impiorum exponantur, & grassationibus horum pateant nostra uniuersa, quorum machinationes contra salutem nostram minimè sunt obscuræ. Hæc igitur qui uidet & cogitat, & inter hæc animo sccuro uoluptatibus indulgere potest, aut ferociam exercere, atq; tumultuari, & cætera facere, quibus societatem uitæ perturbet, & pœnas sibi & aliis accumulet, is neq; sui, neq; hominum, neq; Dei respectum habet, quæ non est imbecillitas humana, sed animi à Diabolo occupati prauitas πρὸ διαβολικὴ. Vt tamen nostro loco disciplinam custodiamus, (quod in scholastico magistratu, & ad ordinem scholasticum, docendo & monendo perfici debebat) præter ea, quæ publicè & priuatim quotidie facit Collegium nostrum, hodie hora duodecima curabuntur à nobis recitari publicè Statuta Vniuersitatis nostræ. Volumus igitur & postulamus, ut omnes nostri tum conueniant in noto, et ad huiusmodi cœtus destinato loco Collegij noui, & cùm admonitiones nostras, tùm morum bonorum & uitæ honestæ præcepta audiant, quæ custodientes laudem consecuturi, negligentes uerò aut transgredientes animaduersionem iustam sunt incursuri.

P P. 17 Calend: Septembris.

DE-

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI Henricus Mollerus Hamburgenſis.

VTinam ea eſſet horum temporum fœlicitas, ut ſæpè conuenire homines pij & docti, & conferre de ſummis rebus, de doctrina cœleſti, de uitæ ciuilis & morum gubernatione, deq; artibus humano generi neceſſarijs, ſine acerbitate atq; contentione poſſent. Nam ut uerè ab Euripide dicitur, ὁμιλία ἔτεκε τέχνας, ita non dubium eſt, ſine multorum opera, ſtudio atq; conſenſu conſeruari ueritatem doctrinæ cœleſtis atq; aliarum artium honeſtarũ nequaquam poſſe. Itaq; hoc conſilio olim conueniebant in Eccleſia Zacharias, Simeon, Ioſeph, Hanna, Eliſabeth, Maria, & alij nonnulli, & de præcipuis doctrinæ noſtræ articulis diſſerebant, ſeq; teſtimonijs cùm ex Patrum & Prophetarum doctrina deſumptis, tùm ex Spiritus ſancti reuelatione peculiari acceptis confirmabant. Et poſt hos Chriſtus ipſe, cùm doceret in terris, & ſuum perageret miniſterium, ſcholas habuit et auditoria frequentiſſima, ubi cùm de aliqua doctrinæ parte incidiſſet dubitatio, auditores uel inter ſe ea de re diſputabant, uel ad magiſtrum ſuum recurrebant, à quo explicationem longiorem

petebant, id quod sæpè factum esse ab Apostolis legimus. Ipsi etiam Apostoli cùm post ascensionem Christi ad cœlos, & Spiritus sancti missionem præcones essent doctrinæ Euangelij, de rebus dubijs, & quæ in controuersiam uenerant, non nisi frequenti Senatu atq; concilio decernebant. Eranq; hæ sententiarum collationes plenæ humanitatis, pietatis ac officij, ad quas non tantùm inuocationem nominis diuini, sed etiam animum gloriæ Dei & ueritatis amplificandæ atq; illustrandæ, & pacis ac tranquillitatis publicæ conseruandæ cupidum adferebant, memores præcepti diuini, quod iubet nos pacem & ueritatem diligere. Sed nunc, proh dolor, ea inuasit Ecclesiam ἀναρχία ex ambitione leuissimorum quorundam ac turbulentißimorum hominum orta, eaq; est animorum cùm in mouendis certaminibus cupiditas, tùm in defendendis prauis opinionibus semel conceptis pertinacia, ut συζήτησις illa, quæ ad explicandam ac retinendam ueritatem maximè est necessaria, prorsus iaceat & repudietur. Formam tamen aliquam piorum congressuum in scholis retinemus, quoties ad examina eorum, qui gradum Magisterij Philosophici à Collegio nostro petunt, conuenimus. In his enim & placida fit sententiarum collatio, cùm de doctrina Christiana, tùm de reliquis

quis artibus, ad cultum uitæ humanæ necessarijs, nec Cyclopum more certatur conuitijs aut maledictis. Et optandum erat, tales congressus & sententiarum collationes esse crebrrimas. Cùm autem hoc tempore quorundam profectum in studijs priuatim exploraucrimus, Hodie, Deo iuuante, hora prima publicè eos audiemus. Quare petimus, ut Doctores & Magistri & alij honesti & docti uiri ad publicum examen in auditorio Medicorum conueniant, coq; officio ostendant, se & hos congressus nostros amare, & suo loco cupere unumquemq; aliquid operis ad iuuanda ac prouehenda publica literarum studia conferre. Benè ualete.

Die 19 Augusti, quo ante annos 1546 mortuum esse Augustum Cæsarem scribit Dion.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, M. HENricus Moller Hamburgensis, linguæ Ebrææ Professor.

CLemens Alexandrinus celebris scriptor, in Ecclesia Alexandrina post Imperatorem M. Antonium, de hæreticis sui temporis queritur, quòd non totas scripturas amplectatur, sed excerpant ambiguè dicta, eaq; trans-

forment in ſuas imaginationes, nec conſiderent ſignificata. Inquit enim: κἂν τολμήσωσι προφητικαῖς χρήσεσθαι γραφαῖς ἢ τὰς ἀιρέσεις μετιόντες, ὡρῶτομ μεὶ ὀυ πάσαις, ἔπειτα ὀυ τελείαις, ὀυδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορέυει ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα, εἰς τὰς ἰδίας μετάγουσι δόξας, ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνὰς, ὀυ τὸ σημαινόμενον ἀπ' ἀυτῶν σκοποῦντες, ἀλλ' ἀυτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει, οὐ εδ' ὁμ γαρ ἐν πᾶσιμ ὅις προφέρονται ῥητοῖς ἕυροις ἄμ' ἀυτοὺς ὥς τοῖς ὀνόμασι μόνοις πρασανέχουσι, τὰ σημαινόμενα ὑπαλλάτ-τοντες. Et *in refutatione hæreticorum opiniones recitat aliquorum & interpretationes, tàm impias ac ſceleratas, ut cogitans de illis toto pectore cohorreſcã, & mirer tàm citò poſt Apoſtolos, inter eos, qui in Eccleſia inſtituti fuerant, cùm quidem diſciplina plus grauitatis haberet, quàm in hac delira mundi ſenecta, tamen furores tantos extitiſſe. Noſtris temporibus poſt renouatam doctrinæ lucem quid accidit diſſimile? Neq; id mirum eſt. Non mutantur enim temporibus malorum hominum mores & ingenia, & in diabolicis artibus ἀδικήματα ſunt καίνα, σοφίσματα ἀρχαῖα.*

Fin-

Finguntur prorsus eodem modo opiniones nouæ, quæ aut palàm sunt impiæ & absurdæ, & à norma fidei alienæ, aut aliqua specie religionis foris inuolutæ. Ad has stabiliẽdas detorquentur uiolenter sententiæ sacrarum literarum, quibus manifesta uis infertur nouis & alienis interpretationibus, quarũ exempla passim leguntur. Nec finis erit talium confusionum ante finem rerum. Ardent enim Diaboli immani odio Filij Dei. Quare omnibus temporibus gerunt cum Ecclesia Dei bellum ἀκαταπαυστον, & impellunt mala ingenia, ut cõsensum doctrinæ in Ecclesiis turbent, & horribiles dilacerationes efficiant, quæ quidem cum senescente Ecclesia, ac ceu uirium exætate defectu fatiscente, magis magisq; ingrauescent. Talia cùm legimus in ueterum ac recentiorum scriptis, cumq; confusiones horum temporum intuemur, primum excitentur animi, ut ueris & assiduis gemitibus petamus, ut Filius Dei, qui conculcauit caput serpentis, depellat à nobis diabolos, & Spiritu suo sancto regat mentes & pectora nostra. Deinde acuatur cura & solicitudo in discendo, ut doctrinam Ecclesiæ rectè & integrè discamus, & caueamus, ne Sophismatum præstigijs à ueritate abducamur.

Hoc consilio scholæ publicæ institutæ, & in scholis doctrinarum genera ceu in classes certas

distributa, & discentibus honorum ornamenta, ceu præmia, uel testimonia protius progressionum sunt proposita, ut ordine per artes ducantur, scilicet, ut primis artibus rectè informati, & cæterarum adminiculis instructi adferant ad doctrinam Ecclesiæ iudicia exculta & limata. Nam quantum noceant Ecclesiæ perplexa, intricata, nulla doctrina expolita, nullis elaborata exercitijs ingenia, res docet. Idcircò prodest in scholis consuetudinem conferendorum publicè ornamentorum retinere, in qua quidem & manifesta utilitas conspicitur examinum, quæ præmittuntur: & optimè consuleretur Ecclesiæ, si ad ministerium Euangelij nulli admitterentur, nisi autoritate scholarum publica, post explorationem profectuum, certo cum gradu collocati.

Constitutum est autem de sententia Collegij nostri, ut his, quos secundum leges & instituta Scholæ hisce diebus priuatim & publicè audiuimus, tribuantur testimonia doctrinæ proxima die Martis. Ad eam renunciationem, quæ fiet usitato loco, inuito scholasticos, non tantum ut spectatores sint ociosi festiuitatis, quæ celebratur, sed multò magis, ut coniunctis nobiscum uotis ac precibus Ecclesiæ totius & nostram salutem Deo commendent, à nobis ut periculosa hæresium

hæreſium & bellorum tàm domeſticorum quàm externorum certamina depellere, & neceſſariam ſtudijs tranquillitatem largiri uelit.

Datæ 10 Calend: Septembris.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia VVitebergenſi, M. Henricus Moller Hamburgenſis.

MVltæ ſunt cauſæ, propter quas ornamenta teſtimoniorum, quæ in ſcholis publicis de ſtudijs & profectu diſcentium ab antiquo ferri ſolent, & dignitates ſcholaſticas conſtituunt, diligenter conſeruare, & optima cum fide adminiſtrare debemus. Ad quas nunc etiam hæc accedit, quòd de ſtudijs noſtris peruerſiſſimè atq; iniquiſſimè pleriq; iudicant, & plures ſunt, qui hæc prorſus contemnunt, deſpiciunt, labefactant, conuellunt & euertunt. Quia igitur ut Plato ſcribit, ἀσπάζεται τὸ ἀεὶ τιμώμενον ἀμελεῖται δὲ τὸ ἀτιμαζόμενον, nobis certè, qui & doctrinam horum & diſcendi ſtudium profitemur, hoc præſtandum eſt, ne in his ornandis & magnificiendis negligentiores ſimus. Neq; enim opinione uulgi & imperitorum, ſed per ſe hæc non externo reſpectu, & colenda

sunt & æstimanda, & ἀνελεύθερος ὅσις ἐις δόξαν βλέπει, Vulgi præsertim, ut in hac ueritatem quærat, sicut est in Cleanthis uersibus. Vt autem hac in parte probemus sententiam & curam nostram bonis et intelligentibus, non tantùm quomodo summorum honorum in nostris studijs collationem administremus, sed etiam de initijs, & primo gradu ornamentorum in his, uidendum nobis accuratius existimauimus. Cùm igitur nuper publica significatione nostra inuitauerimus eos, qui de Collegij nostri sententia Magistros se Philosophiæ & bonarũ artium renunciari uellent, Nunc etiam publicè significandum duximus, nos his diebus examinationem instituturos quorundam, qui quasi tirocinium studiorum deponere cupientes, hoc testimonium diligentiæ & operæ nauatæ petunt, ut Bacularij à nobis renuncientur. Iis igitur, qui se adiungere competitores uoluerint, intra octiduum nomina sua apud me profiteantur. Multo autem rectius fecerint, qui ordine & gradatim hos honores petent. Et hoc agit Collegium nostrum, ut hac in parte ueterem morem tàm in petitione quàm renunciatione publica huius primi gradus, rursus introducat & instauret, neq; si qui sine causa hunc ordinem in petendo neglexerint, cum ijs deinceps ita in examinationibus

nibus, quas pro Magisterio subierint, agetur, ut hactenus fieri consueuit, de quibus suo tempore scholastici monebuntur. Omninò autem par est hoc agere nos uniuersos, ut studia nostra peruersitati seculi nostri & grassationi Barbariæ opponamus, quæ, nisi Deus mirabiliter eam repressérit, paulò post miscebit & euertet diuina atq; humana omnia: ad quam communis patriæ & Ecclesiæ Christi calamitatem auertendam aliquid facere conseruationem atq; propagationem studiorum ueræ & eruditæ Philosophiæ, & eorum, qui in his laudabiliter uersantur, ornamenta & prouectionem, indubitata est persuasio bonorum & intelligentium omnium, confirmata usu & experientia omnium temporum. Cumq; apud Ezechielem uetet Deus interfici eos, qui gemunt propter profanationes, etiamsi opitulari Ecclesiæ non potuerunt, multò magis hoc studium & hæ operæ nostræ Deo probantur, quæ Ecclesiæ Christi & societati hominum utiliter inseruiunt. Sed Filium Dei oramus, ut nobis adsit, & ut ipse uulneribus Ecclesiæ medeatur.

P. Idib: Septembris.

IN

IN HESIODI PRÆLECTIONEM.

TAnta fuit apud ueteres admiratio poëmatis Heſiodi, ut dicerent Heſiodo paſtori calamos à Muſis donatos eſſe, quibus adflatus ſanctiſſimas conciones de morum gubernatione, alijsq; uitæ officijs cecinit. Itaq; cùm iam olim propter grauitatem, pietatem & uenuſtatem ſententiarum uſitatum fuerit in templis & congreſsibus publicis iuuentuti has uitæ regulas, & utiles commonefactiones proponi: decet nos quoq; in ſcholis cùm propter eandem illam rationem, tùm propter linguæ græcæ cognitionem poëma ſuauiſsimum cognoſcere. De ſententia igitur Collegij noſtri interpretabor deinceps adoleſcentibus Carmen Heſiodi, quod inſcribitur: ἔργα καὶ ἡμέραι, non ſolùm ut ad Grammaticæ cognitionem inuitetur iuuentus, uerùm etiam, ut exempla doctrinæ Aſtronomicæ de ortibus & occaſibus Syderum aliosq; de natura rerũ locos inſignes in promptu habeat. Etſi uerò meam in hac profeſsione inſcitiam agnoſco & confiteor: tamen repugnare ſuperiorum autoritati, & abijcere conatum in re honeſta nolui, cui Deum quoq; adfuturum non dubito, ſicut in his Menandri uerſibus dicitur:

Ὅταν

ὅταν τιτράτῃς ὅσιον, ἀγαθὴν ἐλπίδα προσβαλλὲ ἑαυτῷ, τοῦτο γινώσκων, ὅτι τόλμη δι' καιρὸς ἡγεῖ θεὸς συλλάμβανει.

Deo itaq; iuuante auspicabor eam prælectionem hodie hora duodecima. Ac Deum fontem bonarum artium oro, ut sibi in his regionibus semen sanctum colligat & seruet, nosq; omnes propter Filium suum unigenitum doceat, regat & protegat.

M. Bartholemæus Scohnborn.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους, hoc est, Nemini quicquam debete, nisi dilectionem mutuam, inquit S. Paulus, quo dicto præcipitur utrunq;, & ut ad omnia officia humanitatis, obseruantiæ, dilectionis & charitatis proximo præstanda, nos semper obligatos esse sciamus, et ut omnibus quibus ciuili obligatione in hac communitate & societate uitæ humanæ, aliquid uel concreditum ac mutuò datum, uel alia quacunq; ratione debemus, & obligamur, satisfaciamus, & quidem quàm-

quàm primum, ut dicitur: Bis dat, qui citò dat. Hoc idcò nunc recito, quia expertus sum, toto hoc tempore gubernationis meæ, nihil mihi æquè molestum fuisse ac laboriosum, quàm audire querelas ac causas creditorum & debitorum. Nullus enim ferè dies præterijt, quo non talibus querelis, talibus accusationibus perstrepuerint aures. Idem etiam conquesti sunt & alij, qui in hac gubernatione ante me fuerunt. Et ut huic morbo tandem medicina inueniretur, de sententia Illustrissimi Principis nostri Electoris Saxoniæ mandatum, ut scitis, nuper propositum est, quo monentur ciues, ne debita apud se contrahere patiantur scholasticos, sine uel certis sponsoribus, uel iussu præceptorum. Quare cùm sciamus plurimos uestrum ciuibus & alijs, magnam sum. iam pecuniæ debere pro cibis, potibus, hospitijs & alijs rebus ad uitæ sustentationem necessarijs. Hortamur debitores, ut cùm nunc mercatu Lypsico pecuniam pleriq; acceperint, quàm primùm satisfaciant creditoribus, & datam fidem soluant, ne pecuniam à parentibus & tutoribus huc transmissam inutiliter in res non necessarias profundant aut dilapident, uel alea etiam perdant, quod hactenus multos ex uobis feciſſe, aliquos etiam non leuia pericula sibi, & alijs propria pecunia accersiuisse, non sine magno

gno cùm uestro, tùm uestrorum dolore experti sumus. Nunc uerò, cum ciues nostri pro morc suo, hoc biduo aut triduo ante portas ad Albim instituerint exercitia et ludos, quibus aliqui sagittis aucm erectam petunt, alij uerò (qui Sclopedarij dicuntur) ignitos globulos ex ferreis machinis ad signum præfixum eiaculantur, metuimus, ne si fortè uos accesseritis, aliquod inde damnum reportetis. Præterea cùm iuxta hæc certamina eiaculantum, alia etiam certamina, & uobis similiter periculosa ac insidiosa, instituantur, ubi de pecunia & stanno elaborato luditur, etiam ab hac parte & uobis & pecuniæ uestræ metuimus, quæ uobis ad sumptus necessarios in studijs uestris huc transmissa est, & de qua maximam partem creditorib. uestris plerosq; uestrûm debere scimus. Quamobrem pro paterna nostra erga uos affectione & solicitudine uos hortamur, ut ad talia periculosa & insidiosa uobis spectacula, & propter salutem uestram & nostram de uobis solicitudinem, ne accedatis, Atq; ut id faciatis, non solùm uos hortamur & rogamus, sed & pro officij nostri ratione mandamus. Præcipuè uerò hortamur pædagogos & patresfamiliãs, ut hac in re fidei suæ commissis, necessarium respectum & fidem debitã præstent: Cogitate Deum grauiter irasci

ijs,

ijs, qui curiositate quadam officia sibi demandata negligentes, periculis sese committunt. Cogitate etiam eum non irasci minus ijs, qui dona sua, inter quæ pecunia, & opes non postremũ locum obtinent, inutiliter profundunt & abijciunt, quæ quantis curis, sudoribus, uigilijs comparentur, iuuenilis ætas non considerat.

Huic commonefactioni nostræ adolescentes pios & honestos libenter obtemperaturos esse, minimè dubitamus. Reliqui uerò edictum nostrum contemnentes contumaciæ suæ dignas pœnas auferent. Nos etiam, ubi delati ad nos fuerint, seueritatis debitæ exemplum in eos statuemus. Deum toto pectore oramus, ut ipse in nobis per Spiritum sanctum suum excitet amorem erga honestas & salutares leges, & flectat mentes nostras ad obedientiam, modestiam & tranquillitatem: Vtq; nos omnes seruet & regat. Bene ualete.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HOdie sepeliet filiam infantulam primogenitam uir optimus & doctissimus, & communitatis studiorum Philosophiæ in Academia

Academia noſtra Decanus M. Henricus Mollerus Hamburgenſis, quam amiſit ſuccumbente natura in dentium protruſione, quos confertos enitebatur, cùm pruritu & moleſtia gingiuularum tanta, ut puellula ipſa in dolore ſibi manibus has laceraret, & eſt per ſe dentitio difficillimum opus uirtutis eius, qua corpus creſcit et augeſcit, quæ eſt φυτικὴ δυναμίς. Sed liberos amittere, quacunq; ætate, graue eſt bonis parentibus, cùm Deus has σοργὰς in naturam inſeuerit, quarum ardorem & uehementiam æſtimare licet de affectione Dei erga genus humanum, quod ſic ille dilexit, ut Filium unigenitum mitteret, qui moreretur pro peccatis noſtris. Ad huius enim φιλανθρωποτάτου archetypi imaginem conditi ſumus, quam collapſam in natura idem Filius Dei inſtaurat, ut quò plus habet harum, eò unuſquiſq; ab integritate ortus noſtri abſit propius, & in piis omnibus σοργὰς illuſtres eſſe neceſſe ſit. Tum uerò ab altera parte periculum eſt, ne affectionis magnitudo ordinem & modum, quem idem Deus conſtituit, transgrediatur. Etſi igitur, qui patres ſumus, hæc θωπεύματα inuiti amittimus, & magnus dolor eſt ſepelire liberos: tamen ſecundum ueteris Theologi dictum: διδόντι τὰ ἀγαθὰ τῷ θεῷ χαρίεν εἶναι χρὴ ταμιεύεσθαι δὲ μὴ δυσχεραίνειν, præſertim cùm

to hos colligat, ubi paulò post cum ipsis æterna consuetudine coniungemur, & miserijs & periculis horum temporum ingentibus eos benignè eximat. Videmus quid accidat pulcherrimis regnis: Et querimur genus infelix, humana labare

Membra æuo, cùm regna palàm moriantur & urbes.

Vt tamen officio nostro leniamus dolorem mœstorum parentum, hortor nostros uniuersos, ut hora quarta ad funeris exequias conueniant.

P P. 18 Calend: Octobris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Iohannes Hermannus, Medicæ artis Doctor & Professor S. D.

SI quis inornatis traducere moribus æuum
Non ueritus, factis turbauit commoda uitæ.
Iam frenum sceleri iniiciat, castisq; dicatam
Spiritibus lucem fœdis ne polluat ausis.
Non facilè est aliquem polluta uiuere mente,
Recrudescit enim uulnus, uiuitq; sub alto
Pectore, nec sceleri requies datur ulla patrato.
Ergò agite, et si spem uetitis habuistis in ausis,
Ponite, in autorem facinus plerunq; redundat.

Nos

Ne uestris arcete animis, animisue piorum
Spiramen turbate sacrum, penitusq; fugate
Custodes hominum castos, flatusq; ministros.
Nam bonitas celebranda Dei, quod pura creauit
Agmina in excubias hominum, famulosq; piorum
Esse dedit lateri adiunctos, qui publica uitæ
Commoda, priuatimq; tegant sua munera cuiq;,
Auxilioq; leuent, & uictis robora præstent.
Et par ipse Deo MICHAEL, qui missus Olympo
Consilij interpres magni, iam in uota uocandus
Doctrinæ ut sedes aliquas, atq; hospita tecta
Muniat Alituum auxilio, custodia qualis
Flammanti uallo doctam protexerat urbem
Discentem præcepta Dei, uatesq; fouentem: DO-
Sic nostras penitus res, atq; obnoxia multis (uct, THAN.
Corpora nostra malis, & salua atq; integra ser-
Vimq;, dolosq; premat quos passim immūda ma-lorum
Agmina spirituum miscent, lethumq; minantur.
Omnibus unum olim genus, at non omnibus unus
Mansit amor recti, quos ut semel agmine facto
Defecisse uidet, animisq; insurgere Christo,
Tum Pater omnipotens immani turbine adegit
Præcipites cœlo, fundoq; excepit in imo
Tartareus Phlegeton, pœnisq; ingentibus illic
Vrgentur, sontesq; animas in sæcula torquent.

Omnibus æquè eadem natura, eademq; creatis
Conditio, sed quæ spacij sub fine tenetur.
Hos genitor finxit nullo de semine rerum
Corporeæ expertes molis, simul indidit illis
Notitias rerum uarias, legisq; sacratæ.
At reprobi sese nulla cogente ruina
Auertêre Deo, contempto numine Christi.
Idcircò abiecti in pœnas, sine fine furorem
Exercent, odiumq; Dei, quibus impia facta,
Cædesq;, insidiæq;, & noxia crimina cordi.
Atq; odio stimulante Dei, tot dura per orbem
Imperia exercent, alijsq; in tristia facta
Dant animos, feruent cædes, & prona libido,
Blasphemusq; furor, mendaciaq; impia linguæ
Nec quicquam factis è talibus emolumenti
Accipiunt ipsi, sed enim furor improbus urget
Afficere ingenti probro Natumq; Patremq;:
Nec fatis, iussisue Dei, sed crimina tanta
Permissu exercent, quàm latè his terminus hæ-
ret.
At contrà mansêre boni quo fine creati
Hos genitor, iussis subiecti, & obire parati
Obsequia, immotæ seruantes fœdera pacis.
Est illis curæ pudor, & sententia uerax.
Ergo bono addictos æternum effecit, & ipsis
Attribuit mentem firmam, ignaramq; ruinæ
Vt uiuant in amore Dei, fatisq; moueri

Neq;

Nescirent, quibus ipse Deus se numine largo
Conspicuum præbet, nec fas discedere ab illo.
Sed quamuis longè donis ingentibus aucti
Supra hominum euecti naturam luce fruantur
Perpetua, & summo perfecti fine ferantur:
Stant tamen accincti, nobis, & munera præstant
Vsq; pijs, sanctusq; audent submittere mentes
Nobis quos sanctos alieno ex munere censet
Omnipotens, qui prima bonis exordia tantum
Fecimus, & quos ipse Deus de crimine lapsus
Restituit, quicunq; fide te Christe prehendunt,
Nec dum perfecto uitæ potiuntur honore.
Quare agite, & quoniam tali in statione locati
Alituum cœtus, cura, officijsq; sequuntur
Nos mortale genus: certè hoc in turbine rerum
Quàm sit opus tutela pijs, manifestius exit
Quàm sit opus uerbis: Quæ sit fortuna uidetis
Vndiq; quæ uires Satanæ, quæ bella per orbem.
Ne tantum, ne nos spoliet custodibus illis
Exorate Deum, crebrisq; exercita uotis
Pectora tàm sanctos genios in fœdera amoris.
Alliciant, si ritè Deo sua munera præstant,
Si leges sequitur reuerentia, Si labor ardens
Doctrinam, & casti mores si deniq; uitam.
Vtq; palàm constet pro tantis gratia donis
Munere quæ uerbi spargit uox sancta docētum:

Nunc memores offeric pij pictatis honores
Ære dato, & largis cumulate Altaria donis:
Vtq; Deus noſtris regionibus arceat hoſtes,
Corruptasq; auras cœli, morbosq; famemq;
Propellat gens clara poli, gens dedita caſtis
Officijs, moneo, caſtis incumbite uotis,
Præcipuè cùm tot bellorum incendia paſſim
Concutiant orbem, confeſſaq; GALLIA ueram
Ritè fidem, multo ſpectacula ſanguine cernat.
Dij placidi ſeruate piam, neu uera fatiſcat
Religio, et mendax ſubeat doctrina PAPATVS.

In feſto caſtorum & Deo obedientium Angelorum.

EPISTOLA DEDICATORIA PARENTALIVM

Philippi Melanthonis V. CL. ad Electorem Saxoniæ &c. Iohannis Maioris Ioachimi Poëtæ coronati.

QVeritur uetus Poëta dormire gratiam debitam beneficijs, neq; horum meminiſſe homines amplius, παλαιὰ γὰρ ἐν ἀχάριϛα, ἀμνάμονες δ' ἔϐροτοι. Querunturidem poſterioris ætatis multi, & magis quidem. Sicut autem in cæteris omnibus noſtra ætas eſt, ut latini

ut latini Poëtæ uerbis utar, progenies uiciosior, ita hac in parte nulla accusatio huius tanta esse potest, quam non culpæ magnitudo superet. Quod ita esse, suo quisq; loco experitur, & examinare quærenti in promptu est. Nos uerò, qui in Ecclesiæ & literarum studijs uersamur, de ijs quæ nostro loco experimur, queri possumus.

Quantum boni & his terris, & toti Germaniæ atq; orbi pene terrarum Deus per electa uasa duo D. Martinum Lutherum, & D. Philippum Melanthonem contulerit, cogitando uix explicari, ne dum uerbis potest. Et præter tamen publica quæ nobis cum externis communia sunt beneficia, quid peculiariter uterq; & huic Academiæ, & priuatim plerisq; qui in hac uixerunt, aut noti ipsis fuêre, benefecerint, Philippus imprimis, nemo nescit omnium cui cognoscere de nostris rebus aliquid, studium est. Ego uerò & meo loco, & consentientibus ut confido bonis & intelligentibus omnibus, in utroq; horum & tantam fuisse præstantiam, & eiusmodi beneficia in Ecclesiam Christi ab utroq; collata esse statuo, ut neq; uno loco commemorari possint, & in celebratione memoriæ horum operæprecium faciant nostri homines, & factura sit posteritas, si erit aliqua.

Vt igitur maior occasio esset commonefaciendi scholasticos de gubernatione diuina Ecclesiæ, & ad gratias agendas Deo et hominibus, per quos ille huic benefacit, animi omnium incitarentur, Ideò & mea sponte & aliorum cohortatione hoc in me iam bis recepi, ut ea die, qua D. Philippus ex hac uita euocatus est, de his rebus publicè dissererem, atq; ita anniuersariæ cuidam talis argumenti tractationi occasionem darem, & si possem meo exemplo introducerem, cui illum dicm dicari ideò etiam commodum censuimus, quòd mortuo Melanthone, orbitas Ecclesiarum nostrarum magis apparere atq; sentiri cœpit, & cùm ille ab initio socius Luthero in instauratione doctrinæ Christianæ præcipuus fuerit, cùm hoc prima ætas renascentis his ultimis temporibus ueritatis desinat. Etsi autem ita est coniunctus cursus horum, ut de utro dicatur, alterum simul comprehendi oporteat, de utroq; tamen peculiariter etiam multa dici possunt, Nos certè qui collegæ scholasticarum operarum D. Philippo fuimus, nimis multa non sinunt memoriam ipsius deponere, si tanta esset impietas alicuius ut uellet, quem quocunq; intuemur non possumus non desiderare, cuius nunc demortui operis inter nos uniuersos quasi oneribus distributis, ita tamen premi singulos nostra

parte

parte sentimus, cùm ille unus hoc totum sustinuerit, & insuper plura alia, de quibus Deo uolente & à me & alijs aliquando suo loco dicetur.

Hæc igitur, cùm optimo studio & in pietate erga parentes & præceptores nostros, & gratiæ erga hos conatu nostro, ita hactenus egerimus: extitêre nuper iniquissimi censores, qui hoc inhumanissimè in nobis reprehendere, & superstitionis nos accusare auderent, quod anniuersaria memoria Philippo Melanthoni diuinos honores instituueremus. Sed hi rectius facerent, si sua potius, quàm aliena curarent, & quid sit superstitio, quiue honores diuini primum ipsi discerent, ut Ecclesiam docere possent. Ne Syracusæ quidem Marcellum pro Deo habuerunt, neq; Asia Mutium, cùm hæc Mutia, illæ M. Marcelli beneficijs & generi, nomini, familiæ Marcellorum Marcellæa celebrarunt: Sed hominis honor deorum religione consecratus fuit. Athenienses similiter oratione publica quotannis celebrarunt uirtutem eorum, qui pro patria pugnantes in bello occubuissent, non quòd deos hos mortuos colerent, & Iouem etiam, sicut de Cretensibus scribitur, sepultum crederent, sed ut ornamentis mortuorum ad patriæ defensionem uiuos excitarent.

In faſtis Romanorum priſcis, ſi qui memorabile aliquid pro Repub: geſſerant, eorum nomina ad diem illum, quo ea geſſerant adſcripta fuerũt. Hoc poſtea in Eccleſia ſecuti, adſcripſerũt diebus nomina multorum, qui operam ei nauaſſent, aut morte ſua Deum glorificaſſent. Quia uerò in uſitatis Faſtis multa & obſcura nomina ſunt, & non ſanctiſſimorum hominum, quædam etiã ficta irrepſerunt: Idcò noſtris temporibus hoc egerunt aliqui, ut faſtos ederent, qui nomina & hiſtorias illuſtriores atq; certiores continerent. Ante annos autem plures mille, antequàm ulla ſanctorum hominũ mentio ſuperſtitioſa in Eccleſia nota eſſet, certi dies certorum celebrationi dati fuere, ut Iulittæ, Barlaamo, Gordio, Mamanti, ut ex multis aliquos nominemus, de quibus omnibus diſſereremus ſi rationibus agendum ad illos cenſores noſtros in præſentia iudicaremus: Et exempla recentia ijs adduceremus, quibus non facilè obtrectarent, qui ſi homines eſſent, pro acceptis beneficijs ingentib. nobiſcum potius gratias agerent Deo & hominibus, & de gratia mortuis debita ad uiuos teſtarentur, cùm & Lutheri & Philippi erga plerosq; illos priuata etiam beneficia extiterint minimè uulgaria. Sed hoc genus ingratum etiam ἄμουσον eſt & μισόλογον, ut illi quondam Bœotij ueteres, quorũ eſt ἀρχαῖον

ὄνειδος

ὄνειδος ἔχει βοιωτία, sicut de suis popularibus idem canit Pindarus. Itaq; missis illis, anniuersarias orationes nostras publicè proponimus, ut quales sint omnes uideãt, & iudicent, superstitiosæ ne et idolatricæ, uel eiusmodi, quæ in pijs & scholasticis cœtibus ferri possint aut debeant. Etsi nos quidem non tantùm celebrando uirtutes & merita in Luthero & Melanthone operæ precium fieri, sed in eo magis esse laborandum statuimus, ut doctrinam ab his acceptam tueamur & propagemus. In quo studium atq; fides nostra manifesta sunt, & huic rei etiam hæc anniuersaria memoria à nobis præcipuè instituitur.

Tuæ autem Celsitudini, Illustrissime Princeps & Domine benignissime, has opellas nostras dedicamus, quam scimus acceptam doctrinæ ueritatem, puram & sinceram, ante omnia conseruari atq; custodiri uelle, Et cum qua decet submissione ab Illustriss: Celsitudine tua peto, ut Musas nostras in patrocinio suo esse etiam deinceps sinat, quæ clientes esse student eiusmodi, ut celebrent bonos, & oderint malos. Accipiat autem tua Celsitudo hoc tenue, & nequaquam ipsa dignum munus harum, dum hac conseruante ocium his, aliud maius tuæ Celsitudini concinnent, id quod agunt sedulô.

Illustriss: Celsitudini tuæ

subiectiss: & addictiss:

Iohan: Maior Ioachimus.

AVDITORIBVS DOCTRINÆ PLINII.

TEllurem omnium parentem esse, quicunq; primus dixit, eum uerè ac sapienter sensisse, dubitari non debet. Nam quæcunq; in hoc elementari fluxu atq; instabili orbe, sub pulcherrimis ac perpetuis mundi corporibus continentur omnia, hominis solum parte optima, rationali nimirum Anima excepta, ex terra, tanquàm benignissima & fœcundissima matre originem ducunt, ab ea aluntur & sustentantur. Rectè igitur & matris appellationem ei sapiens antiquitas, & uenerationem atq; cultum deberi existimauit. Id quod intellexisse L. Iunium Brutum Romanum apparet, qui cùm ad templum Delphicum duobus filijs Tarquinij, scisciturus oraculum de regni successore, comes adiunctus fuisset, & responsum accepisset, hunc Romæ paulò post imperium summum habiturum, qui primus matri osculum dedisset. Cùmq; alij duo id cælandum & tum demum perficiendum, cùm in urbem reuersi essent, falsò existimarent, ipse in terram prolapsus, eam uelut primam matrem mortalium, osculatus est. Nec fefellit ipsum coniectatio. Electo enim per eum Tarquinio, ipse immutata Reipublicæ forma Consul, cùm L. Tarquinio Collatino, factus est. Sic terram

ram corporis noſtri materiam eſſe ſacræ literæ adſirmant, in quam deſertum ab anima corpus denuò eſt conuertendum. Hanc ſedem noſtram eſſe dum hac luce fruimur, Deus uoluit, quam hominis cauſa tanta arte fabrefecit, & conueniente loco in uniuerſi medio collocauit arboribus, herbis, floribus & fructibus ueſtiuit, infinita uarietate mirandáq; pulchritudine rerum, & animantium terra mariq; naſcentium exornauit, ut eſſet uelut penu, ex quo homines depromerent neceſſaria ad uitæ ſuſtentationem, perinde ut fœtui in aluo materno curat Deus uictum prius quàm in lucem edatur. De hoc domicilio noſtro, terra uidelicet, deq; illius natura, forma, ſitu, nec non dierum & noctium in ea diuerſitate, de umbrarum proportionibus, de terræ concuſſione ſeu motu. De tractibus ſemper ardentibus aut fumigantibus. De cauſis æſtuum marinorum, de fontium perennitate, deniq; uniuerſi globi terreni menſuratione, cùm in tertia parte agat Plinius, hortor auditores, ut qua aſsiduitate hactenus ſuperiora cognouerunt, eandem deinceps quoq; in his iucundiſsimis materijs adhibeant. Auſpicabor uerò eam hodie, Deumq; uniuerſæ naturæ autorem & conſeruatorem oro, ut nos omnes, uelut multis periculis expoſitum formicarum agmen, in tã uaſto ac turbulento globi terreni

terreni domicilio hinc inde reptantium ipse colligat, regat & in ueram atq; æternam illam patriæ cœlestis mansionem deducat.

Bartholemæus Schonborn
VVitebergensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERgensis.

MVltis & magnis laudibus ornatur obedientia, etiam ab Ethnicis scriptoribus. Æschyli est: πειθαρχία δὲ τῆς εὐπραξίας μήτηρ, γαῦῆ σωτῆρος, Obedientia mater est fœlicitatis & coniunx Dei. Hanc .n. & requirit Deus, & remunerat pręmijs, etiam in non renatis, & rursus contumaces punit grauißimè, sicut ostendunt omniũ gentium historiæ. Vnicus enim est & præcipuus societatis humanæ nerrus obedientia, ὅπερ δ' ὑφίζῃμ δρᾷμ δὲ ἐὰ βόλεταί παρὰ, τάυτὸν νόμιζε τὴμ πόλιμ χρόνῳ ποτε ἐξ οὐρίῶμ δραμεῖσαμ εἰς ευδὸμ πεσεῖμ, ut Sophocles ait. Hæc est uniuersalis iusticia, quam affirmat Aristoteles pulchritudine superare Hesperum & Luciferum. Hæc est uirtus, quam ἀγαπὴν nominat in credentibus Spiritus sanctus. Etsi autem nequaquam est integra obedientia

tia legi debita, sed frenum qualecunq; externorum gestuum, et prudenter discerni oportet obedientiam renatorũ in Ecclesia, et nõ renatorum extra Ecclesiam. Item, dicta propria legis ab Euangelicis, qualia sunt multa Ethnicorum, qui Euãgelij doctrinã ignorant. Tamen & à renatis ac sola fide in Christũ Deo reconciliatis, flagitat Spiritus sanctus inchoationem obedientiæ in lege requisitæ, & hanc præstantibus, præmia præsentis & futuræ uitæ promittit: Violantibus aut detrectantibus atrociſsimas pœnas denunciat, sicut scriptum est: Qui faciunt hæc, regnum Dei non poſsidebunt. De his rebus cùm sæpè repetantur commonefactiones ad auditores nostros, laudamus illos, qui honesta morum gubernatione in timore & inuocatione Dei, & sedulitate in officijs uocationis suæ ostendunt se nostris, imò Spiritus sancti uocibus affici, qui quidem promissa destinataq; obedientiæ præmia uberrima tunc percipient, cùm auxilio diuino euaserint in organa salutaria sibimetipsis & alijs. Cæteris, qui nihil minus agunt, quàm quod sui officij est, subinde & nouas ferre leges, & exasperare ucteres, & arctius adstringere uincula, & carcerum repagula minitari, ac circumdare cogimur, cùm coherceri aliter & frenari nequeant.

Etsi

Etsi grauiter ferimus toties offerri nobis à contumacibus paucis necessitatem repetendi cùm seuerioribus comminationibus interdicta publica, cùm & possemus, & mallemus operas illas in res alias magis utiles uniuersis collocare. Sed accusent boni peruersitatem & peruicatiam illorum, quos nullæ flectunt commonefactiones, nullæ emollium obtestationes, nullæ frãgunt minæ, quorum ita obsurduerunt aures, & occalluerunt animi, ut uelut ἀναθητὰ μόχια respuant medicinam omnem, imò, ut uelut ulcera κακοήθη καρκινώδη irritentur & exacerbentur medicationibus, Non deerimus tamen officio nostro, cui affuturum Deum contumaciæ uindicem & disciplinæ custodem certò scimus. Rursus ergò repetimus edicta quædam sæpè antè publicata, quæ renouamus ex mandato & autoritate Illustrissimi Principis, Ducis Saxoniæ Electoris, qui cùm discesserit ex his regionibus Francofortum, ad deliberationem de re summa, indicari ea nobis uoluit ab ijs, quibus curam & custodiam urbis se absente commendauit. Primùm edicimus scholasticis nostris, ne turbent aut impediant publicas operas illorum, qui propugnacula ad aggerem muniendæ urbis causa extruunt, neúe stulta curiositate, uel ad illa loca accedant, in quibus, quod ad ipsos pertineat, reperiunt nihil, uel

uel aggerem conſcendant deambulationis cauſa, cùm ad exercitia expatiationis alia loca habeant commodiora. Secundò, cum decretum ſit, ut excubiæ plures & firmiores, noctu præſertim, in pluribus urbis locis agantur, præcipimus ſcholaſticis, ut à cœna maturè ſeſe domum recipiant, & noctu intra ædes ſe ſuas contineant. Quicunq; enim uel ad operarum uel ad excubiarum loca comprehenſi fuerint, uel per urbem diſcurſarint, in illos, uel ij, quibus loco Illuſtriſſimi Principis traditi fuerint, uel nos, ea ſcueritate animaduertemus, ut intelligat Illuſtriſſimus Princeps nobis autoritatem ſui interdicti, & tranquillitatem ac ſecuritatem urbis, cui conſulitur, curæ eſſe, & ut tales exemplo ſint cæteris. Tertiò, cùm huc miſſi ſitis non ad ocium & uoluptates, neq; ad conuiuia, commeſſationes, choreas, ſpectacula, ſed ad honeſta ſtudia, ſeuerè mandamus, ne cùm exercentur choreæ nuptiarum tempore, qui inuitati non ſunt, accurrant ad forum, neúc, uel in orcheſtram irrumpant, uel choreis ſeſe admiſceant & ingerant, Sed Lectiones obeant publicas, ubi conſpici ſcholaſticos, quàm in foro aut orcheſtra longè eſt honeſtius. Illi uerò, qui uocati ſunt, uerecundè ſaltent, & modeſtiam præſtent ordini ſcholaſtico conuenientem. Si qui uerò nulla ha-

bita ratione honestatis publicæ, nulla legum recens promulgatarum, nulla sui, effringere contumaci & profano impetu metas definitas perrexerint, illos autoritate & ope Illustrißimi Principis & magistratus in hoc oppido publici, ita reprimi curabimus, ut intelligant uelle nos, quod est muneris nostri, præstari à scholasticis, quæ præcipiuntur à Paulo, ὅσα ἁγνὰ ἐστιν, ὅσα σεμνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα ἅγια, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, Is est honos homini pudico, meminisse officium suum, inquit Plautus. Hoc mementote, quod quidem ad illos præcipuè pertinet, qui sua nobis petulantia talia mandata extorquent. Scitis etiam proxima die Solis, quæ est dies Lucæ Euangelistæ, de more & instituto Academiæ ueteri, eligendum esse Rectorem, cui gubernatio Academiæ in semestre hybernum commendetur. Quare cùm à Deo & proficiscatur & petenda sit fœlix ac salutaris gubernatio, mandamus scholasticis, ut in templo arcis ad concionem publicam, cùm signum datum fuerit, frequentes conueniant, & concione peracta, cùm ad deliberationem accesserimus, coniunctis nobiscum uotis, Deum precentur, ut reget consilia nostra sancto suo Spiritu, & hanc Academiam, & Ecclesias harum regionum clementer protegat ac seruet,

nec

ne sinat inter pernicioſos conflictus opinionum & exitialia certamina collabi & interire normam ueræ doctrinæ, quam immenſa nobis bonitate reſtituit, Concedat etiam mediocrem tranquillitatem his terris, ut ſtudia doctrinæ ſacræ, & philoſophica coli atq; exerceri poſſint.

Die 16 Octobris.

ANNO 1562.

SCRIPTA PVBLICE PROPOsita a 15. Calend. Nouembris Anni Christi M. D. LXII. quæ fuit dies Lucæ Euangelistæ, usq; ad Calend. Maij Anni 1563. Cûm Rector esset Vniuersitatis scholasticæ M. ESROMVS Rudingerus Pabepergensis, bonarum artium & Philosophiæ Magister, doctrinæ Physicæ Professor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Esromus Rudingerus Pabepergensis.

QVomodo unumquemq; mores suos instituere oporteat, ut decorum præstet tacendo et loquendo, & honorem habendo ijs, quibus debetur, item uestitu, & toto corporis habitu, atq; similibus alijs, quæ præceptis morum & uitæ communibus traduntur. De his Plato leges ferendas esse non putat, atq;, ut ipse loquitur, ταῦτα νομοθετῆσαι ἔυκες, Vnumquemq; enim rectè & liberaliter institutum, ipsum leges illas facilè inuenturum & his se obligaturum esse censet. Talis, inquit, ultro, cùm cætera

cætera, tùm ἁμωεχόνας ἡρμὴ ὅλαν τὴν τοῦ σώματος χρωματισμὸν cõformare ad decorũ sciet atq; uolet. Hæc igitur Plato educationis & disciplinæ esse existimat, quæ ei non tàm doctrina est quàm assuefactio atq; manuductio, ideoq; legibus, id est, uerbis & scriptis hæc non conseruari, sed moribus explicari atq; constitui arbitratur. Nos uerò infelicitas & mores perditi seculi nostri, ad legum atq; edictorum necessitatem, quæ in hoc genere usurpentur, adigunt, cuius rei quin unumquemq; pudeat qui considerat fieri non potest. Quàm enim turpe est pietatis & uirtutis atq; literarum studium profitentibus in scholis publicis, de ijs rebus leges & edicta proponi, quæ sine horum commonefactionibus unumquemq; sibijpsi subijcere & præcipere oportebat. Multò tamen turpius est illis edictis nihil profici. Accurrere atq; irruere etiam ad choreas, ad quas non sis inuitatus, minimè decere benè institutos, uel lcuitatis potius & curiositatis esse pudendæ, & intelligunt & intelligere nostri debent. Et tamen in hoc genere ita & frequenter & tupiter peccatur, ut publicè hoc uetari oportuerit, cùm nuper eiusmodi tumultus ex ea re extiterit, qui turpem notam Academiæ nostræ ad externos omnes inusit. Alij ἀπειρόκαλοι in ueſtitu nauticum, ut audimus, habi-

tum imitantur, qui femora sic uestiunt, ut dependentes inde panni tibias fermè totas obtegant atq; occultent, quæ deformitas lege approbata ab Illustriß: Principe Elector nostro &c. prohibetur. Et de utroq; nuper eruditæ commonefactiones sunt propositæ. Cùm autem ad diem crastinum Renunciatio Doctoris Medicinæ & nuptiæ eiusdem institutæ sint, Cauere uolumus & sua et rei scholasticæ causa uniuersos, ne festiuitatem eam sua culpa aliqua uel deformene uel turbent. Atq; repetimus edictionem nuper propositam, ut qui ad nuptias & chorcas inuitati non sunt, co ne accedant, Cæteros uerò, quorum præsentia & opera rogata est, ea sic præstent sicut decet, hortamur. Quicunq; uerò indicatam in uestitu deformitatem contumaciter in contemptu manifesto Dei & Magistratus atq; Legum publicarum deinceps usurpauerint, ad eos hortationibus, quæ hactenus sunt tentatæ, amplius uti non poterimus. Quæ ut exterminetur, operam & opem postulamus omnium, qui iurisdictioni scholasticæ subiecti sunt, ut quisq; sua in domo ad conuictores & discipulos suos hac in parte debitam fidem & diligentiam Academiæ & legibus huius præstet, Nam secundum sententiam epigrammatis ueteris. Talis est ciuitas uniuersa, quales sunt domus singulorum. Quòd si qui ferendum sibi non putant, ut talem habitum

deponere

deponere cogantur, ijs in promptu est se & nos liberare molestia, si eo concedant, ubi hæc et cætera, quæ detrectant impunè ipsis usurpare liceat. Nos ad humanitatis & eruditionis amicas hortationes nunc deinceps animaduersionum seueritatem adiungere oportet, quam qui senserit, is se accuset de sententia uersus ueteris, οὐτις ἐμοὶ τοῦτ' ἄλλος ἐπαίτιος ἀλλ' ἐγω αὐτός.

P P. 8. Calend: Nouembris.

THEOLOGIÆ STV-

DIOSIS AVDITORIB: S. D.

NEcessaria commonefactio est quam Filius Dei in agone suo tristissimo, securis & dormientibus discipulis inculcat, & ter repetit his uerbis: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Immimebat enim iam tempus, quo agnus Dei pro peccatis mundi æterno Patri immolandus erat, & quia discipuli sibi longè alia, & res magnas de Magistro suo promittebant, restituturum nempe regnum Israel collapsum, & se forè Principes orbis terrarum, Ideò ueretur Dominus, ne discipuli charissimi, offensi ipsius cruce, non modò ab ipso deficiant, sed etiã in perpetuũ exitiũ ruant & pereant, sic stertentes & securi, sicuti maxima pars generis humani miserè in tali securitate & somno perijt. Iubetitaq; uigilare & orare, excutere ueternum & securitatem.

Hanc commmonefactionem totics à Filio Dei in acerbißimo ſuo agone, & alijs multis locis repetitam, ſæpè cogitemus, præſertim hoc tempore, quo Eccleſia & Reſpublica Chriſtiana non ſecus, ac Chriſtus in horto, undiq; hoſtibus cincta, miſerè premitur, flagellatur, laceratur & crucifigitur, ab Oriente à Turcis uaſtatoribus, ab Occidente ab Hiſpanis impijs & crudelibus, à Meridie à cohorte Pontificum, ſacerdotum & hypocritarum, à Septentrione à barbaris & ſæuis Moſchouitis. Laceratur & Gallia & quædam aliæ nationes inteſtinis bellis, et ut illi apertis armis & uiolentia Chriſti nomen & eius doctrinam delere conantur. Ita non multò mitius imò crudelius inter ſeſe, calumnijs, mendacijs & uirulentia dimicant doctores Eccleſiæ, qui cuſtodes concordiæ, & conſenſus in doctrina Chriſti eſſe debebant. Ab his atrociſſimè flagellatur & conſpuitur Filius Dei, & ueritatis doctrina, & hoc tempore ideò conciliabulum Pontificum Tridenti collectum eſt, ut Chriſtus affigatur cruci, & lux Euangelij, quæ hactenus in his mundi tenebris luxit, deleatur. Sic Sathan aduerſarius Chriſti, cùm ſuperos nequeat, totum Acheronta contra Chriſtum mouet, ut uerè prædictum ſit, gentes fremituras, & principes conuenturos in unum aduerſus Dominum & aduerſus

ſus Chriſtum eius. Cepit & peſtis in magnæ Germaniæ parte graſſari, nec ſemina ingentium bellorum deſunt, nec fames in tanta annonæ difficultate, quæ nos exerceat & excruciet, deeſt. In his tantis periculis & malis, multi ſecuri & ebrij uoluptatibus, ſtertunt & dormiunt, etiam ij, qui Chriſti diſcipuli, & cum eo in horto Eccleſiæ, ac ijſdem periculis cincti & expoſiti ſunt. Excitemus igitur nos mutuò uoce Chriſti Domini. Vigilate & orate. Inprimis ucrò frequens & perpetua Pſalmorum lectio & meditatio ardentem precationem in nobis accendere debet, qui & quid & quomodo à Deo petendum, & uarias afflictiones, & in ijs conſolationes ac liberationes mirandas nobis proponunt, ut rectè κοινὸν ταμεῖον ἁγαθῶν διδαγμάτων Pſalmorum librum Baſilius uocarit. Cùm autem primum & præcipuum quod à Deo petendum eſt, ſit peccatorum remiſſio, hodie hora tertia in lectorio Medicorum, Deo iuuante, ordiemur enarrationem Pſalmi 32. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates &c. Qui doctrinam de remiſſione peccatorum, & multos alios locos utiles complectitur.

Die 22 Octobris.

Georgius Maior.

S 5 RA-

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

PLutarchus alicubi præcipit, ne permittatur adoleſcentibus, ut ex tempore dicant, & adducit exempla uirorum ſapiẽtia & eloquentia excellentium, Periclis & Demoſthenis, qui non niſi præmeditati ad dicendũ acceſſerunt. Demoſthenes ipſe, cùm ei obijceretur, quòd meditatus ad dicendum ueniret, reſpondit non modò imprudentem, ſed etiam improbum ciuem uideri illum, qui de rebus maximis, uniuerſæ ciuitati conſilium daturus, audeat dicere re non antea diu multumq; cogitata. Quare ſi poſſit, ſe non ſolùm ſcripta, ſed etiam ſculpta dicturum eſſe. Hæ uoces hominum ſapienter & præclarè iudicantium nos commonefaciant de ſtudio rectè, & præmeditata cura dicendi, ne temerè ſine delectu, ſine ordine, ſine cogitatione homine ſtudioſo digna, de rebus magnis & neceſſarijs dicamus, nec in doctrinarum explicatione effundamus ſine iudicio quæ ſeſe offerunt. Neglectionem proprietatis in ſermone magnæ comitantur ſæpè errata in artibus, legibus, ciuilibus negocijs ac contractibus, imprimis in doctrina Eccleſiæ errores & obſtinatæ dimicationes ex ambiguis dictis exiſtunt.

Quare

Quare assuefaciant se à primis annis, qui ueritati rerum studeant, ut cum rerum cognitione diligentiam propriè ac signatè res animo conceptas explicandi coniungant, cùm uerba sint rerum notæ, quæ cùm obscuræ & inconcinnæ sunt, necesse est rerum quoq; magnarum confusionem sequi.

Vt autem in adolescentibus hæc cura proprietatis in dicendo excusitetur, exempla eorum, qui propriè & eleganter loquuti sunt, imitanda sibi proponant, ac inde formam bonæ orationis sumant. Talia sunt, quæ cum utilitate discentibus accommodantur Ciceronis scripta, ad quorum mediocrem saltem imitationem quantum pro uiribus præstari potest, nos componamus, & exercitijs, quæ ingenia non ignaua assequi possunt, imitationem adiuuare studeamus.

Cæterùm cùm mihi enarratio Orationum Ciceronis sit cõmendata, eligo eas, quæ eruditorum iudicio sunt optimæ, inter quas non postremam laudem meretur oratio iucunda & utilis, quam pro M. Cælio habuit. In hac Oratione exempla non tantùm generis iudicialis, sed & demonstratiui offeruntur, ubi Cicero per occasionem digreditur in laudationes & uituperationes personarum:

ſonarum. Et cùm in hac ipſa Oratione ab Oratore Loci communes de moribus ſplendidiſſimè tractẽtur, lectio eius, & ad eloquentiam & orationis copiam alendam ſtudioſæ iuuenti proderit. Deinceps igitur explicationem pulcherrimæ Orationis pro M. CÆLIO inſtituam, in qua artificium ſcripti ad uſum præceptorum Rhetorices accommodabo. Oriar autem, Deo uolente, enarrationem ad proximum diem Martis hora ſeptima. Valete

Calendis Nouembris.

Albertus Lemeiger
Hamburgenſis.

MVlta nunc horrenda prodigia, toties ex diuerſis locis nunciata, & eadem breui interuallo recurrentia, haud dubiè publicas calamitates propinquas nobis denunciant. Sed nullum eſt, quod pietatis & uirtutis amantes homines magis terreat, quàm morum diſſolutio & cõtemptus omnis diſciplinæ, & audacia graſſandi, turbãdi, furandi, etiã in ea ætate, quæ uix dum infantiæ limites egreſſa, nondum pubertatis annos attigit. Puer quidam agens decimum tertium ætatis annum, utroq; parente orbatus, ante octiduum paſſus eſt ſe in templo parrochiali concludi, ubi in tenebris & loco

loco diuini uerbi tractationi & sacramentorum distributioni dicato, non horruit pernoctare, & effracto scrinio, ubi reponuntur libri Musici, quorum usus est quotidianus in templo, excidit aliquot multas paginas pergameni, quas uendidit. Rogamus autem & hortamur scholasticos, qui aliquid illarum paginarum emerunt, ut eas publicæ utilitatis causa uel ad me referant, uel ad ædituum templi parrochialis, recepturi pecuniam, quam malæ fidei uenditori soluerunt.

Die 10 Nouemb.

Paulus Eberus Pastor Ecclesiæ VVitebergensis & collegæ.

AVDITORIBVS SVIS.

DE quibus in doctrina Physices utiliter quæri potest, de ijs omnibus hactenus ex libellis reuerendæ memoriæ D. Philippi Melanthonis V. CL. qui in publica & ordinaria doctrina Academiæ nostræ discentibus proponuntur, ad auditores nostros disseruimus, explicantes illos, & augentes etiam alicubi, nostris commentationibus. Sed una adhuc pars deest, difficilis & obscura τῶν μετεωρολογικῶν ἐν ἃς τὰ μὲν ἀπορρέομεν, τῶν δ' ἐφαπτόμεθα τι

τὸν τρόπον, ut Aristotelis uerbis utar, quam idem queritur à ueteribus ante se ita esse explicata, ut nihil dicerent ὃ μὴ κὰρ ὁ τυχὼν εἰπεῖν. Atq; utinam sicut de cæteris capitibus Physices, ita de meteoris etiam χρησομαθείας ex Aristotelicis scriptis excerpere, & methodicũ illum & eruditum ad modum, in quo ualebat, tractare libuisset Philippo Melanthoni nostro, Sic enim operam nauasset his studijs, & ne aliorum in hoc genere labore & molitionibus opus esset facile perfecisset. Ne tamen publica doctrina ab hac parte manca quodammodo conspiciatur, nostrum Collegium me uult hunc laborem suscipere, cùm Aristotelica scripta discipulis harum rerum proponere, neq; per se commodum existimetur, neq; his gratum esse animaducertatur, ut moribus & tempori hac in parte nonnihil sit concedendum, præsertim cùm nostris dictatis non abducantur à doctrina ueterum, sed ad han[illegible]dducantur, uel in hanc potius introducantur discipuli. Vbi tamen uerior studiorum ratio magis cordi esse nostris incipiet, & uetera potius scripta cognoscere, & è fontibus doctrinam suam haurire uelle deprehendentur, non deerunt studijs discentium magistri. Ita igitur me hoc recipere oportet, ut deinceps doctrinam

trinam de meteoris Aristotelicam scripto quodam nostro comprehendere coner, quod publicè dictemus, ἂν γοῦν μὴ παρῇ κρέα ταρίχη σεσκτέον, sicut uetus Græcorum de usu necessario prouerbium habet. Hoc uero cùm in huius temporis occupationibus publicis meis nullo modo facere possim, Interea in manus libellum Physicum D. Philippi nostri resumemus, & publicè iterum ab initio auditoribus nostris explicabimus, ut deinceps uel loco Astronomicæ in hoc doctrinæ, cuius discendæ meliores occasiones publicè extant, uel alio magis idoneo, meteorologica nostra inseramus. Cras autem, Deo uolente, hora nostra, indicati libelli enarrationem incipiemus, & Proœmij loco de distinctione cognatarum cum Physica doctrina artium, quædam auditoribus nostris dictabimus.

12 Calend: Decembris.

Esromus Rudingerus
Pabepergensis.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

INter officia publica, quæ præstentur in cœtibus Christianis, nominat Basilius etiam προπομπὰς τῶν ἐξοδευόντων, quod siue de ijs, qui itinera ingrediuntur, siue de migrantibus ex hac uita accipiatur, dilectionis & pietatis Christianæ officium est. Sed funerum cura fermè ab omnibus gentibus ad religionem pertinere iudicatur, quorum deductio, in ueritate huius non tantùm honori seruit eorum, qui efferuntur, sed cùm alijs de causis, tùm ad excitandas pietatis in deducentibus commentationes instituta est. Et Christus cùm iubet mortuos sepelire suos mortuos, non officium hoc improbat, sed quæ actiones, quibus præferri debeant, ostendit, Et nos qui membra sumus Ecclesiæ, non sumus mortui, sed uiuentes Christo, mortuos ei nostros ad resurrectiõem in uitam sempiternã conseruandos tradimus. Decessit autem heri uir honestus & honoratus, & ex præcipuis ciuibus huius Reipub: CASPAR NIMECCVS cognomento Kelnerus, quæ familia non multò maiore quàm anni spacio quatuor funera familiaria uidit, maternum, fratris unius, fratriæ, & nunc

nunc fraternum alterum, sicut ignorata de causa, uel occulto potius iudicio Dei, hoc fieri animaduertitur, ut funus unum in familijs, non maximis interuallis plura sequantur. Sed hic CASPAR & uir fuit & Paterfamilias prudens & diligens, & ut quondam locuti fuere, sui negocij benè gerens, cui Deus ita benedixit, ut suis hæreditatem copiosam relinquat, qui uult in Ecclesia esse aliquos diuites, quorum honestis laboribus, artibus atq; negociationibus benedicit, ut sint, per quos tenuioribus benefaciat, & societas in terris nostra, & benignitatis atq; officiorum mutua communicatio, ad laudem & gloriam nominis ipsius conseruetur. Hic igitur cùm nuper in febrem quartanam incidisset, postea morbus duplicatus fuit & singultus accessere, atq; ita inter preces suas & suorum, inuocans misericordiam æterni Dei, & pijs uocibus testans fidem suam in Iesum Christum, mortuus est, cum paulò antè Sacramento Cœnæ Dominicæ usus esset, quod hac consideratione Synodus Nicena ἐπόδιον appellasse uidetur. Sepelietur autem hodie hora duodecima. Itaq; hortamur nostros uniuersos, ut indicato tempore ad deductionem funeris frequentes conueniant, qua re & inquilinos nos esse gratos ostendemus, & de propinquitate uniuersa benè merebimur, & de-

bitum congregationi in Ecclesia nostræ officium præstabimus. Cumq; undiq; nos circumstet plurima mortis imago, & bellorum et contagionum mortiferorum pericula manifesta sint, priuatas & publicas res nostras precibus nostris Deo commendemus.

P. P. 18. Calend: Decembris.

IN PRÆLECTIONEM THVCYDIDIS.

Die Martis proxima, Deo iuuante, hora octaua incipiam prælegere Thucydidem, cui biduum in hebdomada tribuere decreui: Nam reliquum tempus adhuc interpretationi Euripidis tribuendum est. Causæ propter quas Thucydidem omnes, qui in liberalium artium, doctrinaq; studijs uersantur, cognoscere debeant, in hac breui pagella commemorari non possunt. In ipsius scriptoris tractatione res ipsa indicabit. Non temerè enim hic scriptor inuitauit, imò ad se attraxit, atq; admiratione sui detinuit omnium ætatum ingenia præstantissima. Quem tanti fecit Demosthenes, ut ipse manu sua octies totum descripserit, & cùm incendio exemplum perijsset, eiusq; iactura magni detrimenti loco ab omnibus deploraretur, promisit se memoriter totum ab interitu uindicaturum esse.

Viderunt

Viderunt enim uiri magni, & præstantibus ingenijs præditi, quantus in hoc scripto thesaurus reconditus sit. Proinde tam cupide, tantoq; studio ipsum non euoluerunt modò, sed sibi penitus ediscendum duxerunt. Verùm alio loco de illo mihi plura dicenda erunt. De me in præsentia pauca addam. Cùm ætatẽ meã iam ingraueſcerẽ uiderem, & mihi parum adhuc temporis ad uiuendum superesse, Atq; donec uiuerem discentium studijs quàm maximè inseruire ac prodesse cuperem, hunc iam senex delegi scriptorem, quem Græcæ linguæ ac doctrinæ studiosis proponerem, quo nullum utiliorem ex toto scriptorum agmine deligere me posse uidebam, neq; me pœnitebit laboris, quem in me suscipio, dummodo, auxiliante Deo, auditoribus multum prodesse possim. Enitar autem, ut quàm simplicissime authorem tantum & tàm sublimem explicem, & quàm maximè ad puerilem captum me accommodem. Neq; pigebit me senem uel bis uel etiam ter puerum fieri, ut saltem senectus mea quàm plurimorum utilitati & saluti inseruiat. Non dubito, quin hi, qui me hunc authorem interpretantem diligẽter audituri sunt, meam olim in Christo dormientis memoriam, cum ea qua decet beneuolẽtia & gratitudine sint retenturi. Hoc ubi consecutus fuero, tunc mihi molliter ossa

quiescent. Deum precor, ut & me docentem, & vos omnes discentes Spiritu sancto suo regat, ac faciat organa gratiæ & misericordiæ suæ, ut utrorumq; labor fructuosus & salutaris sit in Christo Iesu, Amen.

Cras hora octaua, Deo iuuante, pergam prælegere Euripidem.

Vitus VVinsemius senior.

14 Decembris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ET uita & religio Christiana commentatio mortis est. Veritatis enim doctrina in co fermè uniuersa consumitur, ut explicet, unde mors in naturam inuaserit, & quomodo uita reparetur, & moriendo mors effugiatur, uel uincatur potius, cùm nisi exitus ex hac uita pius sit, spes uitæ & salutis æternæ præcidatur. Quemadmodum enim in certaminibus ij proposita præmia consequuntur, qui ad extremum victoriam obtinent, ita qui è uita piè decedunt, & in Domino moriuntur, beati sunt. Sed qui de exitu

exitu pio cogitant, ij uitam impiam non degunt, neq; ad pietatis & officij ſtudium ulla res eſt quàm hæc cogitatio efficacior, Etiamſi uita profana inexplicabili Dei benignitate nonnunquàm exitu pio clauditur. Quibus igitur maior de morte cogitandi cauſa & neceſsitas afferatur, quàm Chriſtianis, nullum eſt genus hominum aliud, nam τῶν φιλοσοφούντων hanc eſſe μελετὴν & hoc ἐπιτήδευμα unicum, humana ſapientia explicare non poteſt. Hanc uerò commentationem etiam hodiernum funus in nobis excitet. Deceſsit enim optimus & optimarum artium ſtudioſiſsimus iuuenis IOHANNES MADER Stettinenſis, qui ex illuſtri ſchola Principis patriæ ſuæ in Academiam noſtram miſſus, annum tantùm unum in hac uixit, ſed ita, ut in multis multorum annorum profectus ſuperarit, fuiſſe enim dicitur ingenio acri, & diſcendi cupiditate tanta, ut contentione animi perpetua, & intempeſtiuis ſtudijs morbum cõtraxiſſe eum putetur, quo extinctus eſt. Pietatem uerò ſuam & uitæ innocentia ſingulari, & caſtiſsimis moribus & ſtudijs ſuis probauit, cumq; non infeliciter carmen ſcriberet, eam facultatem ſuam ad ſacri argumenti poëmata quòd præcipuè conuerterit, audimus. Mortem autem ſic obijt, ut hymnos & carmina ſacra accini uellet, quo-

rum pijs subiectionibus confirmaretur, & se conscientiæ bonæ lætitia frui testaretur, & de fiducia sua in meritum & intercessionem Filij Dei religiosissimè profiteretur, qualis mors in uitam est certissimus transitus. Hic sepelietur hodie hora 12. Hortamur igitur scholasticos, ut ad funeris deductionem frequentes conueniant, quod efferetur ex ædibus M. Pauli Elhardi ad uallum intra plateam nouam & angiportum cupreum, Eoq; officio & ordinem communem ornent, & studium suum erga pietatem, & qui hanc colunt, ostendant.

P P. 12 Calend: Decembris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

PRæter ea, quæ cœlum & terra nobis denunciant pericula, & quotidianos casus miseræ & calamitosæ uitæ huius multiplices cæteros, etiam euentus qui hesterna nocte accidit, ad commentationem mortis & pietatis studium uniuersos commoueat. HENRICVS DVCANACVS Lubecensis, honesto loco natus iuuenis, & ingenio bono atq; exculto, uixit in Academia nostra biennium, cuius profectus

fectus is fuit, ut & certis in locis ſtudia iuuentutis cum laude gubernarit, & eruditum carmen ſcriberet, & iam ad petitionem ſummorum bonorum in ſtudijs Philoſophiæ & bonarum artium aſpiraret, quos & ſi uita ſuppeteniſſet, facile fuiſſet conſecutus. Hic igitur, cùm ex febri iam conualeſceret, & ad lectiones publicas domo prodire inciperet, atq; omne periculum ſuperatum crederetur, heri circiter ſextam matutinam in ſuo lectulo mortuus eſt repertus, cùm tamen pietatem ſuam uita & moribus, etiam ſtudijs & ſcriptis ſuis, omnibus quibus notus fuit, abundè probauerit, cõſoletur nos quod ſcriptum eſt: Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sed hic euentus mortis ſubitæ & inopinatæ λυπεῖ κατὰ θεὸν & religioſum timorem in nobis excitet, ut ſuo quiſq; loco ad omnia, quæ accidere homini poſſunt, ſe de ueritatis doctrina paret atq; muniat, qui eſt φόβος, ut à Gregorio Theologo appellatur, καλὸς καὶ σωτήριος. Nam qui periculum conſiderant & intelligunt, ij ad eum, à quo ſalus expectatur, cupidius & propius accedunt, atq; ita κάμνοσι ψυχὴ ἐγγὺς ὄντι θεοῦ, ut alicubi Petrus ſcribit, cuius ſententiæ ſunt mirificæ. Efferetur autem hodie hora duodecima ex ædicula, quæ eſt è regione domus D. Peucceri uiri cla-

rißimi. Ibi igitur ut ſcholaſtici conueniant, & funus ad ſepulturam frequentes deducant, eos hortamur, & in conſideratione grauium euentuum qui accidunt, & miſeriæ communis, & periculorum impendentium, accuratius & circumſpectius in hac uita uerſentur, & publicas res & priuatas ſuas ardenti inuocatione & precibus diligentibus Deo commendent. Itemq; uerecundia & moderatione uitæ atq; in omni officio diligentia declarent ſe non eſſe ocioſos auditores doctrinæ cœleſtis, & qui noſtras & aliorum commonefactiones non negligenter cognoſcant. Deum oramus per Chriſtum, ut faciat nos uniuerſos uaſa miſericordiæ ἃ ὁ θεὸς προητοίμασεν εἰς δόξαν.

P P. 9 Calend: Decembris.

AVDITORIBVS SVIS.

De Martis proxima, Deo iuuante, pergã prælegere Thucydidem, Et die Iouis auſpicabimur interpretationem Tragœdiæ Euripidis, cui titulus eſt Cyclops, Ea eſt peruenuſta imago Tyranni, habuit enim haud dubie Poëta ſuo tempore in conſpectu aliquem Tyrannum, quem pingeret. Huic tribuit maximum

mum Deorum uentrem, facitq; cum immanem potus uoraginem non cados modò, sed tota dolia exhaurientem, laniena hominum, & carnibus humanis, ac sanguine humano uictitantem, & non gaudentem nisi in magna hominum calamitate, fœdis libidinibus contaminatum. Adiungit illi conueniens satellitium, Sileni & Satyrorum genus scurrile, semicaprinum, Morionicum, impurum, uentri deditum, auidum uini, furax, etiam ipsi Domino suo infidum, produnt hi Cyclopem, & unà cum Vlysse in eius exitium conspirant, ut satis appareat nihil fidi aut firmi esse Tyrannis, Et quod præcipuè obseruatu dignum est, pingitur hic imago Cyclopicæ Anarchiæ, ubi nemo alterum audit. Catastrophe hilarior est, ac penè comica, Nam pœnas dat homo conscleratus, liberantur Vlysses & socij ex immani Cyclopis antro. Spero auditorib. iucũdam fore huius fabulæ tractationem, & ad dulcissimæ linguæ ac doctrinæ studium non leue inuitamentum, meam fidem & assiduitatem discentibus notam esse arbitror, eam, Deo auxiliante, donec uiuam & per ualetudinem potero, præstabo, Deus omnibus nobis Spiritu sancto suo clementer adsit, studia nostra gubernet ad gloriam æterni nominis sui, & nominis Domini nostri Iesu Christi, ac efficiat, ut labor noster fœ-

lix & fructuosus sit in Domino, per Christum Filium suum, Amen.

8 Calend: Nouembris.

Vitus VVinsemius
senior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGensis.

OMnis ætas ad mortem matura est, & modo nati infantis, & senis decrepiti, cum uita hominis propter peccatum morti sit subiecta uniuersa, siue modo cæperit, siue pridem, & uita quæ esse cæpit, morti est adiudicata quia uita est. Immatura tamen mors appellatur non mortis sed uitæ consideratione in ijs, quorum uita ad frugem nondum peruenit, in quo iudicia Dei occulta sunt, & inexplicabile est humanæ sapientiæ, cur alij infantes alij proiecta, aut senili ætate moriantur, neq; Græca sententia simpliciter uera est, quæ celerem mortem prædicat, cum uita longa inter ea dona sit, quæ pietati promittuntur diuinitus, & in Ecclesia senes esse aliquos oporteat. Amisit autem heri ue-

ri uesperi filiam infantulam bimestrem, uir optimus & doctissimus, & nobis & bonis omnibus charissimus, Collega noster L. Caspar Cruciger, Quæ puellula maximos cruciatus pertulit in innocentia ætatis illius, cuius ætatis mors & cruciatus mortiferi de ira Dei aduersus peccatum concionantur adultis. Sed & spectaculum est bonis parentibus tristissimum liberorum morbus & calamitas, mortem autem uidere horum ægritudo est una ex huius uitæ grauissimis, cum sensus amoris interni nos & erga nostros in naturam sit à Deo insitus, qui non finxit corda in nobis cum stupore saxeo aut ferreo, sed imaginem suam hac etiam in parte lucere in nobis uoluit, Et σοργὴν dilectionis suæ erga genus humanum ostendit, misso in carnem nostram Filio unigenito, qui salutem nobis recuperaret. Huius φιλανθρωπίαν consideremus ingentem, & inuocemus in miserijs uitæ nostræ, & priuatis atq; publicis malis, & periculis impendentibus extremis.

Hortamur autem & Scholasticos & cæteros nostros uniuersos, ut ad funus deducendum ante ædes, quas incolit D. Cruciger, hodie hora tertia conueniant, Eoq; officio, se affici dolore optimorum parentum, & Reuerendi senis Domini Magistri

gistri Sebastiani Froschelij ostendant, qui ut ante paucos dies lætitiam maximam percepit, quòd annus factus esset, ita nunc in dolorem maximum conijcitur, cùm hoc θώπευμα effert senectæ suæ, & nunc in ministerio Ecclesiæ Christi senio conficitur, πρεσβεύτης ἀληθείας ueteranus.

P P. 3 Nonis Decembris.

THEOLOGIÆ STV-DIOSIS, MEIS AVDI-toribus.

EXorsi sumus ante paucos dies Enarrationem Capitis secundi Epistolæ primæ Pauli ad Timotheum, in quo loci cognitione dignissimi traduntur, uidelicet de precatione, quid sit precatio, quot sint eius species, & pro quibus sit precandum, quos locos absoluimus. Nunc igitur iuxta ordinem à Paulo præscriptum dicendum erit, pro quibus, & cur pro omnibus hominibus, & præcipuè pro regibus & Magistratibus precãdum sit, ubi simul dulcissima sententia Pauli: Deus uult omnes homines saluos fieri, tractanda erit. Ostendit item Paulus, qui Deus sit inuocandus, & per quem Mediatorem & intercessorem accedẽdum sit ad Deum, ubi uberrima & consolationis plenissima doctrina de Media-

Mediatore proponitur, quid sit Mediator, & inter quas partes, item utrum unus sit Mediator, an plures, qualem esse oportuerit Mediatorem, Deum scilicet & hominem, & causæ ostendendæ erunt, cur necesse fuerit esse Deum, Item cur necesse fuerit esse hominem, ubi & doctrina de cõmunicatione Idiomatũ repetenda, & quæstio tractanda erit: An Christus sit Mediator tantùm secundum humanam naturam, quæ ante paucos annos à Stancaro mota est, & multi alij loci explicandi erunt. Hanc enarrationem inchoatam, & iam negocijs publicis per aliquot dies impeditam, continuabimus hodie hora tertia. Hortor autem piam iuuentutem, quæ Ecclesiæ Dei seruire decreuit, ut cùm quotidie crescere certamina de doctrina cœlesti uideat, eo diligentius & ardentius fontes eius doctrinæ cognoscere studeat, ut possit τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν καὶ ἐπισομίζειν. Ac precor Filium Dei, ut ad posteritatem semen sanctum relinquat, ne fiat Sodoma & Gomorra, & ne de sacerdotibus & leuitis intereat uir à facie Dei, qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificium, & cædat uictimas cunctis diebus.

Die 4 Decembris.

Georgius Maior Theologiæ Doctor.

FLA.

METAMORPHOSIS

FLACII ILLYRICI IN PAPISTAM.

HVc etiam uiui peruenimus, aducna noſtris
Vt turbator agris miſcens odia atq; furores
Aſſereret, facilem eſſe uiam cum Præſule Romæ
In fidei cauſa feriendi fœdera pacis?
Auſus quin etiam partes ambire docendi,
Et ſacros inter proceres in Cæſaris aula
Affectare locum: quin & ſibi certa uoluntas
Deficere hinc ad ſacra Papæ, quàm ſcripta probare
Quæ ſunt Albiacas in lucem emiſſa per oras.
Hæc alternanti potior ſententtia uiſa eſt
Inter conuiuas Flacius dum cornua ſumit,
Conſciaq; exhilarat dulci præcordia Baccho
De rate qua nomen tenet urbs ſita flumen ad Iſtri.
Hìc malus hanc rupit uocem: tu candide Zaſi
Fortè inter mediæ poſitus conuiuia menſæ
Teſtis eris, tecumq; alij: tibi maxima rerum
Verborumq; fides, neq; fallax antè repertus.
Sæpè malum hoc nobis flauum prædixit ad Albim

Grex

Grex doctarum auium, docuit nunc exitus in-
gens.
Dicite Pierides, sæuo quo numine Diuûm
Extulit os terris, quo non uiolentior ullus
Turbauit mentes hominum, monstroq; fefellit?
Hei faciles animi germanæ gentis & artis
Sclauorum ignari, talin' nos credere monstro,
Cui neq; quid ueniat, pacemne huc portet, an
arma,
Nec patriæ sit certa fides, nec fama parentum.
Hic nè assertorem magna se uoce ferebat
Smeceræ fidei, solus qui aduertere fraudes
Magnatum, qui sacra Papæ conuellere scri-
ptis
Impia qui mutos hortari in bella Molossos
Ne lupus insidias meditetur ouilia circum?
Nunc optat Latiosq; dolos, iniussáq; sacra,
Atq; ultrò in leges se subdere pacis iniquæ.
Quis subitò hanc illi mentem in contraria uer-
tit?
Nam neq; tot Proteus sese in miracula re-
rum,
Tot sese in species, horrendaq; transtulit ora.
HVNc primûm in nido miserans Curruca reper-
tum
Excepit, uictuq; ingratum fouit alumnum,
Cuius mox experta ungues, feraleq; carmen,

Agnouit

Agnouit prolem ambiguam, ſuppoſtaq; furto
Pignora, nec noſtri generis, nec ſanguinis eſſe
Improbus ingluuiem natis dum implumibus explet.
Tum demum & Cuculum manifeſta uoce profeſſus
In placidas uolucres roſtro ſeſe excitat unco,
Agmen habens comitum, & gaudentes Marte uolucres,
Terribilem criſtis Gallum, roſtroq; petentem,
Littoreasq; uocabat aues ad fœdera belli.
Tum noctis dirum canit importunus in umbris
Stridorem ingeminans, & ſanctas uerberat aures
Luſciniæ: ceu noctis aues magni agminis inſtar
Si quando bellum horriſonum, morboſq; Deum rex
Immittit terris, & letifer ingruit annus,
Porticibus uacuis, aut alti culmine tecti
Triſte ululant, acuunteq; metum mortalib. ægris.
Hoc & tum ferus ille ſono terrere per urbes
Infuſum populum, & mentes turbare quietas.
Deniq; in Accipitris formam collectus & ora
(Non ignota loquor) prædam exercebat ad undas
Sala tuas, doctasq; auium diuellere pennas
Auſus, non meritas inopina intruſit ad antra,

Dum

Dum Cuculi est odio sonus, hic ut sæpè solebat
Furtiua miserum stipula dispergere carmen,
Et ni fata Deûm superent, crudelis hianti
Conficiat rostro, pedibusq; euiscerat uncis.
Multa Deus, uariusq; dies mutabilis aulæ
Rettulit in melius, multis alterna uicissim
Fulsit, & ad solitos euexit gratia honores.
Tu nido excussus nunc Galli immunda fimeta
Incolis, & quas tu pedicis impurè tenebas
Hæ nunc emissæ uacuas abiêre per auras
Innocuæ uolucres, nec iam meminêre reuerti.
Hicue ille est Cuculi letalis ab arbore lapsus
Quem toties pueri, toties cecinêre uolucres
Quando in concilium cœtu subiêre frequenti.
Ergò ubi tot frustra tentasti lubricus artes,
Nec tibi fiuerunt Parcæ res cedere: ibi expes
Castra Papæ, & tutos quæris fugitiue receptus,
Quandoquidem hæc tibi sola super fortuna laborum est.
Sed neq; tartareis Furiæ peperêre sub antris
Tam uaria monstrum ludens in imagine formæ,
Cor, habitumq; gerens Monachi, uultumq; reflexum,
Cui tunicæ manicas, et habent ridimicula mytræ,
Et calcem tenus ex humeris uclamina pendent.
Ore refert Cuculum, nudo sed uertice Cirin,
Brachiaq; in celeres abierunt protinus alas,

Nodoſiq; pedum digiti, nodoſaq; crura,
Accipitris rapidos ſe contraxere ſub ungues.
O celer Aßyriæ uenator limite Nimroth
Huc flexos contende arcus, teloq; uolanti
Inſequere hoc monſtrum, nugarum & fraudis abundè eſt,
Ora, pedesq; ambos ualuis ſuffige domorum,
Præciſasq; alas galeæ pro uertice tende,
Vulturibus uerò craſſum farragine corpus
Proijce, & immundi rapiant ſine uiſcera corui.

Iohan: Maior Ioach.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

DEceßit heſterna nocte honeſtus Iuuenis CHRISTOPHORVS KOCH Hagenſis, qui locus eſt ad Stolbergam, cùm in noſtra Academia alterum iam annum uiueret, in ſtudijs pietatis & literarum diligentia uel aßiduitate potius tanta, quæ mortem ei acceleraſſe putatur. Accepimus enim corpus fuiſſe natura νόσερον, & colore eo, de quo egri imprimis laborare animaduerti poſſet, cùm ab integritate egritis, & ſano ſtatu corporis numquàm abſit εὐχροια, ſed hæc & ualetudo bonis coniunctis

coniuncta sint inseparabiliter. Talia autem corpora intempestiua studia & lucubrationes sustinere non possunt, quibus rebus firmæ etiam naturæ admodum debilitantur. Ita igitur accidit Christophoro huic, ut ualetudinem suam ijsdem magis affligeret, & circumferret corpus ægrotum, hoc toto tempore, cùm animus in discendi cupiditate nimi afferret corpori, quod non committendum esse Plato significare uidetur, ubi præcipit, μήτε σῶμα κινεῖν ἄνευ ψυχῆς, μήτε ψυχὴν ἄνευ σώματος, ut ratio utriusq; habeatur, præsertim cùm alterum mortale sit, alterum immortale. Sed longè grauior est Pauli nox, qua honorem iubetur habere unusquisq; corpori suo. Et Deus cùm non sit autor neq; approbator ἀκαταστασίας, omnia ordine & modo fieri uult, quem pietas Christiana religiosè obseruat, & alterutra à parte uiolare cauet. Ita uerò decessit hic scholasticus noster, ut moriens pronunciarit ἔκτορ Apostoli: Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omnibus peccatis, & resurrectione Christi se fretum esse, inq; hoc se & resurrecturum è morte, & uicturum esse profiteretur, qua confessione religio nostra uniuersa continetur, ut quæ in hac uita celebrare ei γενέθλια Christi instantia non fuit concessum amplius, ea ipsum in æterna Ecclesia deinceps ce-

lebraturum non poßit eſſe ſpes dubia. Hortamur autem & populares demortui, & cæteros ſcholaſticos, ut ad funeris cæremonias hora 12. ante ædes uicinas Collegio, ex quibus efferetur, frequentes conueniant.

P P. Pridie Iduum Decembris.

Anno 1562.

INITIVM ANNI 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, M. Eſromus Rudingerus Pabepergenſis.

RECeptum eſt in orbe Chriſtiano celebrare in conuentibus ſacris Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri γενέθλια die 25. Decembris, quæ eo tempore, quo Chriſtus natus eſt, ante annos, ut conſummantur, 1563 brumæ dies fuerit, nocte autem diei brumalis hominem eum natum eſſe in terris, certis argumentis & teſtimonijs Eccleſia accepit. Interea uerò bruma tempus retroceſſit ad dies circiter quindecim, ut hic quidem Natalis Chriſti ſit & habeatur, ſed bruma

brumæ dies in noſtris faſtis eſſe deſierit. Cuius anticipationis tantæ in brumæ tempore cauſa eſt motus nõ exploratiſsimus ſpheræ a ueteribus, qui extimã hanc facerent, ἀπλανῆς appellatæ. Et illis ipſis natiuitatis Chriſti tẽporibus ſolaris curſus ratio ita ſubducta fuit, ut quatuor illas præcipuas metas anni, æquinoctiorum duorum, Solſtitij & brumæ, attingi à ſole perhiberetur ad octauas ſignorum partes. Ita igitur teneamus tempus nati Chriſti, quod conſenſus Eccleſiæ approbauit, eſſe noctem brumalem octaui Calend: Ianuarij, & mittamus Epiphanij obſcuram diligentiam, quæ natalem Chriſti dicbus 13. ulterius producit, quod rationem non habet, & hic autor etiam de Paſchatos die receptas rationes conturbat. Cæteras temporum περισάσεις Lucas Euangeliſta narratione ſua perſpicue indicat, quas exquirere de Chronicis & hiſtoricis libris minus eſt operoſum.

Omnis autem cultus, qui Deo placeat, hac cognitione fundatur, Filium Dei ſecundum æternum conſilium Patris, & ingentem beneuolentiam ſuam erga genus humanum interceſſiſſe, pro hoc apud Patrem, & interpoſuiſſe ſe medium inter iram iuſticiæ diuinæ, & pœnas peccatorum humanorum, & aſſumpta natura humana, partu Virginis in hanc uitam procreatum.

tum, cruciatus & mortem pro nobis obiisse & resurrexisse in uitam ad iusticiam nostram, quæ fides & religio pietatis, sibi applicans, salutem & uitam æternam consequitur. Ita est idem hominis Mariæ Filius, qui est Dei Filius, cùm utraq; γένεσις huius omnem captũ ingenij humani longissimè superet. Diuinitus genitum scriptura docet modo inexplicabili, neq; quod tempore sit posterior, qui est extra omne tempus, & temporis autor, sed ut ἀρχὴ & αἴτιον huius ostendatur, Nam etsi Filius coæternus est Patri, & in diuina trinitate οὐδὲν πρότερον ὕστερον, ut Symbolum habet, quod Athanasio adscribitur, Pater tamen ea proprietate, qua à Filio distinguitur ἄναρχος est, & appellatur, cùm Filius æternus sit non ἄναρχος, & genitus quidem, sed ab æterno, Ἄναρχον. n. et ἀγέννητον personæ est nõ οὐσίας, quare nõ sicut quod ἄναρχον est & ἀγέννητον Deus est, ita εἷς τὶ θεὸς τοῦτο καὶ ἀγέννητον καὶ ἄναρχον. Hic uerò æterni Patris coæternus Filius, & λόγος huius σωκὸς ὁ ὑιος, σὰρξ ἐγένετο, & de Virgine homo natus est in terris, & qui est unum cum Patre & Patri æqualis, factus est, Patre minor, secundum hoc quod ipse dicit: Pater maior me est. Quod cùm factum est, tum apparuit φιλανθρωπία

Dei,

Dei, ut Paulus scribit, uel ut Iohannes loquitur, quantopere Deus mundum dilexerit. Et quia Deus ipse in carne nostra, & hæc tanta erga nos dilectio ipsius, tum apparuit, Ideò festæ diei huic nomen fecit pietas ueterum θεοφάνια, quæ est, διὰ σαρκὸς ἐπιφανέια τοῦ κυρίου, non ut illa in monte Sinai horribilis, sed blandissima & suauissima, qua humanam naturam per carnem nostram ad se adducit, sibiq; coniungit, Nam hic, qui descendit εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, αὐτὸς ὅς καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, Vbi sedet caro nostra, euecta super omnes cœlos, seruata omni proprietate naturæ nostræ, sed deposita infirmitate. Hæc φιλανθρωπία Christi σωτῆρος cùm ideò apparuerit, ut salutem det διὰ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου credentibus & baptizatis, huius considerationi nos etiam erudiri, & pietatem in nobis accendi patiamur, ad celebrandam immensam benignitatem Dei, & gratias ei agendas. Inprimis autem scholasticos hortamur, ne concesso horum dierum ad maximæ rei memoriam celebrandam ocio, abutantur. Queritur ueterum quidam de sui seculi moribus, Ferias esse morborum causas, quòd crapulam augeant, et minuant labores. Sed nostro hoc tempore plus etiam pe-

riculorum hæ afferunt & complectuntur, quæ est miseria & turpitudo ingens.

CVm autem pietatis Christianæ argumentum præcipuum sit reuerentia uera, erga ministerium Ecclesiasticum, significationem huius edamus singuli, offerendo more recepto aliquid ad altare publice.

P P. Die Natali Christi.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGensis.

OMne adeò genus in terris, & quicquid ubiq; est
Gentis Christicolæ magnum quæ sparsa per orbem,
Accinctiq; chori superûm, qui Numinis alti
Semper inexpleto intuitu pascuntur Olympo,
Assiduas hodie pertexunt carmine grates,
Et cœli reboant laqueata, auratáq; templa
Laude Dei, qui res lapsi miseratus Adami
Natum uirgineo uenturum semine in auras
Promisit, miseris opifer qui gentibus esset,
Hoc equidem occasum mundi, tristesq; ruinas
Solatus, tandemq; exacto temporis orbe
Exhibuit nostra lustrantem in imagine terras

NOS

Nos ſibi mirando ſocians hoc fœdere Natí,
Fœdere, quo Superi ſtupuerunt mentibus, & quo
Gauderent cum gente hominum, quia gratia rurſus
Ante Deum conſtet mundo & mortalibus agris,
Dum ueniæ medium ſe offert, maſſamq; caducam
Induit, ut mortale genus ſeruetur in ipſo
Vnitum æterno conſanguinitatis amore.
Ergò agite ò iuuenes ut tanta ad gaudia rerũ
Admiſſi, diuina animis ſolatia noſtris,
Aptemus: iuuat Iſacidæ recludere uotum,
Et noſtræ fidei uatum monumenta piorum
Conferre, & dictis antiqua recludere ſacra.
Namq; eadem ratio doctrinæ eſt omnibus æui
Temporibus, pariterq; eadem ſunt uoce profeßi
Cum proauis uates, longoq; ex ordine reges
Sacrifici: ſi non fiducia nixa fuiſſet
Semen in exhibitum nobis, patribusq; futurum,
Cetera pars concors, perfectaq; in ordine ſummo eſt.
Atq; hæc ut certis poßimus diſcere ſignis
Incipiam: Fractus morbis, æuoq; grauatus
Iſacides, dum iam caligant lumina morte
Vicina, & tenebris nigreſcunt omnia circùm
Languenti, tamen ille animi cum lumine claro
Agnouit te Nate Dei, te cuius & olim

Luxato femore exires productus in auras,
Agnouit natale solum, castamq; parentem
Arq; adeò tempus, lethumq; insigne futurum,
Et regni ingentis uires in munere uerbi.
Namq; fidem Christi in meritum nomenq; tenebat,
Cui quondam in lucta connixus corpore, & hærens
Diffecit latus, alituum qui maximus ales.
Per uarios casus, & tot discrimina uitæ
Eripuit pulsum patria, in solioq; locauit:
Qui scala assurgens gradibus, qua flammea turba
Ascensu superat summi fastigia cœli:
Quiq; utcri fœtus generoso ex stemmate Iudæ
Hospes Ephrateis sub mœnibus iret in auras
Nepte sua eductus iuncti sine coniugis usu,
Tunc ubi res Solymæ Romanus Cæsar habebit,
Et regno exciderit Iudæ malefida propago.
Deniq; morte obita, fusoq; in morte cruore
Expendet mundi sceles, & ditione paterna
Accipiet populos, siue hi de sanguine Semi,
Siue genus pulchri numerent à stirpe Iapheti.
Et mundum ad leges, & patria iura uocabit.
Agmina conscribens uocali in munere uerbi
Sponte sua quæ se sanctis addicta tenebunt
Imperijs huius, regem, autoremq; salutis.

Accipient

Accipient uenerati animis, huiusq; cruore
Incedent compti, & ueniam pro crimine habebunt
Propterea, & rursus data inibunt limina lucis,
Quæsitor cùm iam supremo munere functus
Institerit terris manifesto in corpore Christus,
Qualis erat terris abiens, manesq; sepultos
Excibit tumulis, uitasq; & crimina discet.
Hæc genitor natis fatorum arcana reliquit
Obscuris uera inuolucns oracula uerbis
Cùm Iudæ imperium magnum, & sacra munia mandat
Hæc eadem Isacus pater ut sibi tradidit olim
Ergo & prosequitur uotis, & fausta precatus
Lustrauit natos, dixitq; nouissima uerba
Fata canens: O natorum flos inclyte Iuda,
En fastis nate auspicijs regni ardua frena
Arbiter excipies summus, præsulq; sacrorum
Maximus, extendes ad cœli sydera nomen.
Verùm ubi sceptra Deus, regnumq; à stirpe Dauidis
Transferet, & pulchra Romanus origine Cæsar
Excipiet gentem, Syriamq; profectus Idumen
Seruitio premet, ac Solymæ dominabitur urbi
Iura, magistratusq; abolens, sanctumq; senatum:

Tunc

Tunc demum casta nascetur Virgine SILOH
Atq; opifer rebus ueniet promissus egenis,
Quo duce si qua premunt nos actæ crimina uitæ
Irrita perpetua soluent formidine mentes.
Occidet & Serpens, & Mors absorpta triũpho
Occidet, atq; Erebi recidet domus eruta fundo.
Quin & humo tegerem cum coniugis ossa, notaui
Ipse locum, aërias ueniat quà uerus in auras
Beniamin, & dextræ patriæ qui filius hæret
Mortali sine patre satus, sed matris alumnus,
Matris, quæ domui Iessææ sanguine iuncta est,
Huic Siloh cognomen erit, quem misit in orbem
Arcano Pater ipse sinu, quo fascia uentris,
Virginis & fœtus tener, & lita sanguine massa
Esset, & hunc nostræ carnis uelaret imago,
Sed sine labe tamen, sit castæ in uirginis aluo,
Viuida obumbrabit cum Numinis aura puellam,
Quamuis Tharidæ dicatur origine Semen,
Luxatis tamen ille meo sub corpore lumbis
Naturæ sortem citra, officiamq; uirile
Vi supera Flatus tantùm prodibit in auras
Matre satus, castæ quæ uirginitatis amorem
Intemerata colit, tactus ignara mariti:
At uerò hic de Patre Deus, de matre pudica
Verus homo, reget imperium sine militis usu,
Armorumq; metu, sed enim tractabile uulgus.

Sponte

Sponte ſua accipiet leges, ultroq; receptum
Frena pati, & ſanctis diſcet parere lupatis.
Imperium ſine Marte geret, quin aſpera ponent
Corda feri, namq; ipſa uolens, facilisq; ſequetur
Turba, fidemq; dabit uerbis dux ipſe uolentes
Per populos dans iura uiam ingredietur Olympo,
Æternumq; ſuis ſubmittet legibus agmen
Collectum de ſtirpe Semi, de ſtirpe Iapheti.
Namq; Aſinæ pariter ucteris, quæ legis onuſta eſt
Mole graui, pulliq; iugum non corpore paſſi
Terga premet, gentem quæ ſe non lege tenebat
Legiferæ iungens genti, tum in ſtirpe ligabit
Palmitis, & uinctas generoſa in uite tenebit.
Nimirum ætherias uires, & palmitis huius
Edoctæ agnoſcent numen, ſtabuntq; racemis
Deunctæ, ſacroq; replebunt nectare mentes
Sugentes alimenta, uocabunt hunc quoq; uotis.
Quin & purpureo certantem murice ueſtem
Sanguineis Bacchi guttis, minioq; rubentem
Inducet membris: liuentia ſanguine membra
Aſpicite, & ſæuo traiectum uulnere pectus.
It totis cruor è uenis, corpusq; rubeſcit,
Ceu cùm purpureas calcauit uimitor uuas,
Perfuſiq; artus ducunt cum ueſte colorem
Sanguineum, & rubris geſtat lita uiſcera pũctis.

Hauſtus

Hauſtus at ille fide cruor, & præcordibus ægris
Suppoſitus, ſordes animæ procul oblinet omnes
Purgabitq; pios, & feſto ornabit amictu
Iuſticiæ, noſtram faciens quam fecerat ipſe,
Et propriam fidæ genti dabit, hoc decus illis,
Hoc ſolamen erit: Tua ne hæc per uulnera ſeruor
Morte tua uiuens? tanta eſt uenia hoſtibus ipſis.
Verùm hæc expediet uocali in munere uerbi
Quod mens aure capit, fidoq; in pectore uoluit,
Nec leuiter curat, nulla ratione, nec ullo
Intenta in ſtudio ceu bruta ſine ordine rerum,
Et nulla ratione ruunt: Pater ipſe ſalutis
Hanc unam eſſe uiam uoluit qua rite docentes
Sanguine luſtrarent populos, tignisq; leuatum
Vulgarent Chriſtum dehinc dona in ſanguine parta
Offerrent animis, uerbo, ſignisq; ſacratis.
Chriſto quippe datum eſt ſoli, luſtrare ſupremo
Igni animas, penitusq; ſacrum demittere flamen
Quod uerbi officio credẽtum in pectora ſpargit.
Hæc quondam Iſacides uitæ iam in ſorte ſuprema
Haud Chriſti ignarus, uenturiq; inſciius æui
Edidit, & natis poſt ſe memoranda reliquit.
Hæc eadem canimus, Chriſtoq; nouamus honores
Solenni iam in luce pij, ſummoq; parenti
Pro nato exhibito, doniſq; ingentibus orbi

Cum

Cum nato exhibitis, pro religione, fideq;
Tam certa, & ucterum fundata in carmine uatum,
Et pro tot meritis lapso quæ præstitit anno
Bella procul, pestemq; fugans, casta otia Musis
Conseruans, sua cuiq; domi cumulansq;, tegensq;
Voce pia, & uoci coniuncto pectore grates
Seruati ferimus, diuinaq; iura docentes
Quo decet, & fas est digno ueneremur honore:
Testatiq; fidem factis, pro munere magno
Munera parua damus, prout cuiq; est copia rerum,
Et uitæ auxilium sacra deponimus ARA.

DECANVS COMMVNITATIS STVDII BONARVM disciplinarum atq; artium in Academia VVitebergensi, Iohannes Maior Ioachimus Doctor.

PRincipio nouus exactis dum mensibus annus
Incipit, & dono diuûm hæc quoq; tempora
Attigimus, tot fata inter durissima rerum, (uiui
Tot scelerum facies inter, dum pectore mœsto
Sentimus mala nostra domi, peregrina dolemus,
Quæ nunc, quæ toto miscet Mars impius orbe:

Dij

Dij faciant, lætum nouus annus ut exerat ortum
Qui puero nascente nouo mortalibus ægris
Affulsit primùm, nec longum tempus, & orbi
Desuper æterno tandem ingredietur honore,
Omnia cùm noua erunt Christo duce, & auspice Christo,
Qui noua morte sua reparauit secula uitæ,
Et noua progenies cœlo demissus ab alto est.
Hei nihil huic ueteri fas quenquam fidere seclo,
Quippe ubi fas uersum est, ubi tot bella horrida bella,
Tot scelerum atq; mali facies, non artibus ullus
Dignus honos, squallent neglectæ in puluere Musæ,
Stultitiam patiuntur opes, sua cuiq; uoluptas
Fit Deus, atq; uiam factis uiolentia quærit.
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo,
Fas etiam tolerare bonos quæ publica sors est,
Illic præmia erunt, hîc sunt odia, atq; labores.
Hinc ergò à lachrymis conuersi ad uota feramur,
Luce bona bona uerba sonent, sanctumq; trahamus
Sanctas per uoces tempus: iuuat ardua sacra
Tentare, & festi causas aperire diei
Tu Flamen cœleste refer, quæ caussa subegit Christum

Christum etiam arcana membrorum in parte recidi,
Tu nomen pueri, & rationem nominis æde
Antè sacro puero imposuit quod præpes Olympi
Quàm uirgo ædiderat conceptum in lumina uitæ.
Attulerat patribus tandem exoptantibus ætas
Auxilium, aduentumq; Dei, quem rector Olympi
Desuper exitio Serpenti, & tristibus umbris
Vouerat, ut nostræ, collectus in ora figuræ
Ferret opem mundo: sed enim reuoluta ruebat
Octaua iam luce dies, cum murice acuto
Pellibus in morem scissis genitalia circum
Signum impresserunt generis, nomenq; dederunt.
Sacrorum hunc morem seruari in gentibus Abræ.
Sancierat genitor, mas omnis ut æditus auris
Cum silice incisus genitali in parte notetur,
Hocq; habeat monumentum ipsi, pignusq; salutis
Hunc olim gentes rerum cœlestium inanes
Ritum exponebant risu, quod cædere acuto
Crimina tentarent saxo: quin ciuibus ipsis
Asper, & in nullo uisus discrimine ritus,
Offensæ plenus: Sed enim quia Numine ab alto
Stant fixi ritus, non sunt sine numine ritus.

Et nos ille quidem signum cœlestis amoris,
Et pacti nota certa fuit, pignusq; salubre
Iusticiæ Fidei, qua uerbo oblata sonanti
Promissa accipimus, diuinaq; munera Christi
Quisq; suæ asserimus menti, penitusq; fouemus
Propria, testati ritu nos fidere uerbo.
Hoc quondam infantes firmantur pignoris usu
Quòd sint consortes cœli, cœliq; bonorum.
Quin etiam hoc signo edocuit Pater omine aperto
Versa in deterius generis primordia nostri:
Quotquot enim nati uitales carpimus auras,
In lue concepti cœlestium attraximus iras,
Corrupta de carne caro, de sanguine sanguis
Morte recidendus, ne pars sincera trahatur.
Ritus item fuerat promissi Seminis index
De quo tunc soliti Patres sermonibus uti,
Et uelut hanc partem truncant, ita iure mariti
Nullius, aerias nasci debebat in auras.
Deinde per hoc semen naturæ perdita nostræ
Viscera in integrum rursus referenda docebant,
Cùm petra incisi, (petram te Christe uocamus)
Corruptam hanc letho carnem damus, & noua massa
Ex unda, & Flatu generamur denuò ad auras.
Sic & more pari memores tua uulnera Christe

Seruati

Seruati canimus, cùm ſacri fragmina cruſti
Mandimus, inq; fide tecum conſortia inimus
Corporis, ut nobis olim monumenta reliquens
Fida tui, ſacra libaſti corpus in ara.
Ipſe tuum, nec nos fallax ludebat imago.
At ucrò ut natum claro ſe ſemine Abrahæ
Proderet, & membrum conſanguinitate propinquum
Iudæo populo, tandemq; impleret ut omnis
Iuſticiæ partes, penitusq; aboleret in orbe
Quem Solymis ſaltem ritum mandarat habendum:
Iam tum paſſus erat Patrum ſe more recidi.
Nec lex ulterius quenquam tenet, ædita nobis
Signa noui pacti renouato in fœdere conſtant.
Exim perfectis diuinis rebus, & ipſum
Appellant puerum diuino nomine IESVM,
Non caſu, ſed ſic uoluit Pater altus Olympo
Aligerum iuuenem pueri recludere nomen.
Ex re nomen erat, namq; ipſe ſalutifer orbi
Aduenict, populosq; ſuos à labe reducet
Verus homo, ucrusq; Deus, nam dictus IESVS
Compoſitum nomen gemino de ſtemmate ſeruat.
Hic patribus promiſſa ſalus, ut imagine carnis
Apparens mundo commiſſa piacula ſoluat,
Quæ propter iuſtis odijs Deus arſit, & omnem

Excußit noſtri penitus de pectore amorem.
Ex illo qui nos caſus, quæ fata ſequantur
Quisq; uidet, quantos patiatur mille labores,
Quot ſcelerum pœnas expendat corpore in iſto
Tranſcriptus flammis Erebi ſub nocte profunda,
Quantum nemo uſquàm potuit ſuperare laborum,
Nec quiſquam miſeras hominum res morte leuare,
Ni ſe hic in medio daret, & componere fœdus
Auſus erat, tegeretq; ſcelus, rurſusq; referret
Sanguine Iuſticiam, factis dum ingentibus implet
Sponte ſua leges Patris, & pœnam inſuper hau-
Mox duræ ſortis patiens iuuenilibus annis, (rit
Prodigus & uitæ tandem, ſanctiq; cruoris.
Hæc qui ſcire cupit iuuenes, & deniq; ſacros
Scripturæ fontes penitus recludere dictis:
Multa tulit, didicitq; puer, paßimq; ſagaci
Iudicio euoluit ueterum diuina reperta.
Ergò agite, & qui iam cenſuræ credere no-
Seq; ſuũq; uolunt ſtudiũ, ſua nomina nobis (ſtre
More ferant ſolito, non his ſtudioſa uoluntas,
Non prompti ratio officij, nec cura iuuandi
Vnq; aberit, doctosq; uiros ſua palma ſequetur.

Calend: Ianuarij.

RE-

ANNO 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HOdie ad horam quartam ſepelietur anus pia & proba, quæ multis honeſtis familijs in hoc oppido in liberorum educatione, & ægrotis curandis longo tempore operam nauauit, & ſuperioribus annis ad curandos peculiariter ſcholaſticos noſtros ægrotos, qui in ualetudinarium Academiæ publicum recipiuntur, cõducta fuit, eiq; domui & curationi cum fide optima & diligentia ſingulari præfuit. Eſt autem inter præcipua officia, quibus in ſocietate humana opus eſt, ægrotorum cura, quam non dubitauit Euripides grauiorem rem eſſe pronunciare quàm ægrotare, quod morbum ferre ſimplex ſit, curare autem ægrotantem, & animi dolorem afferat intelligenti & humanæ atq; beneficæ naturæ, & laborem inſuper corporis. Verſus eius ſunt: κρεῖσσον μοὶ νοσεῖν ἢ θεραπεύειν. τὸ μὲν γὰρ ὄχλῳ ἁπλοῦν, τῷδε σώματι, λύπη φρενῶν, χερσίν τε πόνος. In hoc genere ualet hic ſexus præ uirili, à quo et Apoſtolus tales operas poſtulat. Sed hæc anus cum pauperculis ex ordine noſtro officio tali ſuo utiliter inſeruierit, par eſt funus ipſius etiam à nobis deductione noſtra honeſtari. P P. 4 Non: Ianuarij.

ANNO 1563.

IN PROPHETÆ HOSEÆ PRÆLECTIONEM.

QVanta sit hominum in statuēdis ac confingendis idolis temeritas & audacia, non solùm omnium Ethnicorum uarias templa diuersis numinibus dicata, & religiones penè singulis seculis uel etiam annis mutatæ, sed Iudæorum inprimis leuitas cum summa impietate coniuncta ostendit. Quanquàm enim hi de uero Deo uarijs patefactionibus & illustribus miraculis erant edocti, ipsiusq; Dei præsentiam, cùm in quotidiana defensione, & uictorijs miraculosis, tùm uerò in missione Prophetarum & alijs beneficijs innumeris cernebant: tamen adeò non cohercebatur ipsorum audacia, ut nulla gens fuerit unquàm, quæ toties suos Deos mutarit, quàm ipsi Iudæi. Vix egressi erant ex Ægypto, & à durissima seruitute ingentibus miraculis à Deo liberati, cùm mox ad impietatem relapsi sibi idolum in deserto fabricarunt, quod ab Ægyptijs coli atq; adorari uiderant: & paulò post, cùm terram promissam essent ingressi, ad uicinarum gentium idolatriam suam religionem accommodarunt, instituto cultu Baal, ut expressè scribitur Iudicum secundo

cundo Capite. Mox uerò, cùm tribus decem auulsæ essent à regno Iuda, Ierobeam nouum cultum in Bethel & Dan instituit, collocatis ibi uitulis, quos pro Deo adorari iussit. Atq; eam impietatem postea auxit & accumulauit impius rex Achab, restituto cultu Baal, cui templum in monte Samariæ extruxit, & populum Israel à ueri Dei cultu ita auertit, ut postea meretricio more omnium gentium idolis turpiter se prostituerent. Hæc idolatria magnam postea ruinam secum traxit, & toti genti Iudaicæ exitiosa fuit, id quod historiæ illorum temporum, & præsens Iudæorum calamitas testatur. Nec uerò alia causa fuit huius crebræ defectionis atq; inconstantiæ, quàm quòd cùm Deum sibi præsentem esse cuperent, atq; cum tamen neq; oculis cernere, neq; brachijs complecti possent, mortuis huius mundi elementis, quæ sensibus hominum subiecta sunt, alligari eum posse, atq; ita alligatum efficacius præsentiæ suæ testimonium ostensurum crederent. Cuius fanaticæ atq; impiæ opinionis semina in mentes humanas sparsa, ita altè radices egerunt, ut erui omninò atq; extirpari nullo modo possint. Et hodie magna pars eorum, qui se Christianos iactitant, his erroribus est imbuta ac contami-

nata. Sæpè autem uox diuina hanc idolomaniam sui populi taxat, & uanitatem humanorum animorum in confingendis numinibus redarguit & castigat. Suntq; inter alias plurimas Hoseæ Prophetæ conciones, ea de re maximè illustres, quas nunc, Deo iuuante, de consilio & uoluntate præceptorum enarrabimus, & initium faciemus die Martis hora tertia in auditorio ueteris Collegij.

4 *Idib: Ianuarij.*

Henricus Moller
Hamburgensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ANni iam sunt plures uiginti, cùm à Senatu Academiæ domus empta est in oppido ad uallum, in quam recipiantur ægroti scholastici, qui uel non habent, unde conclauia, in quibus curentur, conducant, uel propter contagionem aut grauitatem morborum, quibus corripiuntur, inter cæteros commodè habitare non possunt, aut ferri etiam non solent. In oppidani enim magistratus ualetudinarijs neq; locus est

est nostris, neq; esse potest, itaq; hæc domus nostra multis hactenus hospitium præbuit. Sed non tantùm de hospitio, uerùm etiã de cura ægrotorum, pauperum præsertim, qui eo recipiuntur, uidendum, in quo & ipso studium Academiæ est perspectum, & declarata benignitas. Pro re tamen & copia liberales esse oportet. Itaq; ut in posterum nostris hac in parte melius consuli possit, necesse habemus à singulis iurisdictioni scholasticæ nostræ subiectis publicè & priuatim petere, ut à se quisq; aliquid ad eam rem benignè contribuat. Id quod & tum, cùm emptio illa facta est, decretum fuit, ut singulis annis ter fieret, & si factum fuisset, minus iam egeremus. Quod tamen hactenus neglectum est ἔασομεν ἄχρωμοίπερ, & nunc saltem, quod usus postulat, uel potius flagitat, agere incipiamus. In multis regionibus Germaniæ grassantur pestilentiæ contagiones mortiferæ, in Austria, Bohemia, Francia, & in urbe Norica aliquot millia hominum hoc anno à tali luce extincta sunt, tribus quidem mensibus quinq; millia, ut accepimus, atq; insuper quadringenti. Etsi autem uetus est obseruatio ab ijs locis quæ trans Albim sunt in hoc oppidum non solere eam serpere, obseruatum tamen & hoc est, Vna Saturni in cursu suo per

ſignorum orbem conuerſione, quater VViteber-gam à contagionibus illis infeſtam fieri, & bis quidem atrocius has ſeuire, cùm ſtella hæc eſt in ſigno Leonis aut Aquarij, bis autem minus atrociter, quando eſt in Tauro aut Scorpio. Cùm igitur ſub initium Septembris hoc anno ad Leonem perueniat, periculum nobis ab hac cœlum denunciat. Cætera ſunt in manu Dei. Non autem ad peſtilentiæ tantùm graſſationes, cui cedere plerique ſolemus, ſed & ad hos & alios quotidianos caſus morborum & miſeriarum, quibus hæc uita noſtra ſubiecta eſt, domo tali noſtris opus eſſe experimur, ægrotorum uerò curam nobis commendat, & mandat religionis pietas. Et in hac uita dilectionis Chriſtianæ officia in miſerijs & ærumnis calamitoſorum magis & ſpectantur & intelliguntur.

Veſtras igitur ἀγαπὰς & Eleemoſynas ad hanc rem, & nunc publicè expetimus, & his diebus, qui Academiæ nomine has à uobis ſingulis colligant, circummittemus. Hortamur autem & oramus uniuerſos, tam ſcholaſticos quam cæteros noſtros, ut quod erga aliorum ordinum pauperes & calamitoſos faciunt, Id etiam communi ordini præſtent, & pro ſuis quiſq;

quisq; facultatibus communis indigentiæ sublevationem adiuuet. Atq; ut liberalius hoc faccre posſimus, secundum ueteris cuiusdam Theologi præceptum, non necessarijs sumptibus præcidamus, quod huc conuertatur. Ita enim non facile deerit occasio & facultas cuiquàm elargiendi à se aliquid, quo aliorum inopia sustentetur. οὐ γὰρ μόνον πρὸς τὰ ὑπάρχοντα προσδέοντες πλουσιώτεροι γίνονται ἀλλὰ καὶ ἀφαιροῦντες τῶν δαπανημάτων. Tenuiores autem hoc modo ipsi sibi, quo sublcuentur, deponent. Quod reliquum est, humanitati & pietati uniuscuiusq; permittimus.

P P. 3. Idus Ianuarij.

CHARTA, QVAM CIRCVMTVLERVNT Collectores Eleemosynæ ad Valetudinarium in petendo &c.

ET præcepta & promißiones & exempla premiorum plura habet pia beneficentia, quàm ulla alia uirtus. Paulus ad Hebræos Eleemosynas sacrificia uocat, quibus præcipuè DEVS delectatur & eximiè colitur,

τῆς

τῆς εὐποιΐας καὶ τῆς κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε· τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός. Et in Prouerbijs dicitur, Elecmosynis & fide expurgari peccata, & passim in doctrina sacra ornantur ac cumulãtur testimonijs dulcissimarum & uberrimarum promissionum. Esaias inquit: Si impertiueris esurienti panem tuum, exorietur tibi lux in tenebris, id quomodo fiat, & intelligi debeat, ostendit historia Cornelij in Actis, de quo dicitur, αἱ προσευχαί σου καὶ αἱ ἐλεημοσυναί ἐβησαν εἰς μνημόσυνον ἔνω-πιον τοῦ θεοῦ. Cùm autem duo sint genera Elecmosynarum, unum publicum, quod confertur ad ministerij Euangelici conseruationem, priuatum alterum, quod exercetur erga priuatos domesticos, uel alienos, quos præsens nobis occasio offert & commendat, præcepta extant & testimonia de singulis, & quanquàm alienis ultimus beneficentiæ gradus debetur, ordine naturæ & mandati diuini: tamen & de his inquit Iohannes: Qui facultates habet, & uidet fratrem suum egere, & claudit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manebit in eo? Inter alienos autem nemo ope aliena & subsidijs beneficentiæ magis indiget, quàm ægroti pauperes, quibus omnia desunt, ut quos ipsa etiã natura morbis languefacta ac prostrata destituit. Quare his præ cæteris

ris succurrere & consulere non victu tantùm, sed & medicationibus præcipit pietas, quorum quidem omni tempore rationem & curam in Ecclesia habitam esse præcipuam, testantur operosè extructa, largis donationibus locupletata, bono ordine constituta monumenta Nosocomiorum in omnibus benè moratis Rebuspublicis orbis Christiani. Cùm itaq; heri publicè sit significatum, quo consilio & quibus de causis Senatus Academiæ decreuerit exequi id, quod ante multos annos à maioribus constitutum fuit, de Nosocomio Academiæ ad necessitatem pauperum scholasticorum instruendo, sumptibus & alijs rebus necessarijs ad curam ægrotorum, hortamur scholasticos, ut hac in re adiuuent nos, qui soli sustinere sumptus non possumus, & singuli pro facultatum suarum modo hilariter & liberaliter aliquid conferant, quod eo modo & collocabimus & distribuemus, ne quid ullo tempore ægrotis pauperibus desit. Certò autem persuadeatis uobis nec ullorum uos sumptuum quos facitis, partem rectius collocaturos, quàm si quid huc impenderitis, nec Deo cultum, parentibus uestris obsequium, miseris & egentibus officium gratius ullum præstituros esse, hac beneficentia. Certant cum Christianis hoc beneficentiæ genere Turci, qui immensis sumptibus

Xenodochia

Xenodochia & Nosocomia extruunt & ditant non tantùm ad suorum usum, sed & externorum cuiuscunq; religionis. Hoc enim sese liberalitatis genere æterna præmia demerituros persuasum habent à uero scopo aberrantes. Vinci itaq; nos à talibus & barbaris & hostibus Christianæ religionis, nos qui tot mandata habemus à Doctore nostro & liberatore Christo turpe ducamus. Sed confidimus singulos, quod facultatum suarum erit, libenter prestituros esse. Benè & feliciter ualete. 11 Ianuarij.

ALIA.

EDidit Erasmus Roterodamus iam senescens querelam de senectutis incommodis plenam suauitatis & uenustatis, sicut ille uir fuit nostra ætate eloquentissimus: At ego eandem Cantilenam, si minus suauiter, attamen non minus uerè cantare possem, ut cui eadem illa onerosa & multis comitata miserijs senectus incumbit, Sed inter hæc incommoda nullum tamen mihi grauius nec molestius accidit, quàm quòd labores necessarios illos quidem, sed quibus unicè delector, & operas meas scholasticas mihi etiam intercipere atq; impedire conatur inuida senectus, Cum qua equidem quantum possum, pugno & pugnabo, Christumq; gemitibus & precibus aduo-

aduocabo, ut mihi auxilio adsit, ne dum uiuam senectus Ecclesiæ & Reipub: me inutilem faciat, Vidi Reuerendum D. Martinum Lutherum & amantißimum præceptorem Philippum Melanthonem, duo lumina nostri seculi, uidi item alios præstantes senes, qui cursum suum in eodem uestigio usq; ad extremum spiritum urgebant, neq; morbis alijsue miserijs ita succũbebant, ut labores & operas suas intercipi sibi paterentur, Talem senectutem ut mihi Deus concedat, precabor, Et uos optimi auditores, unà mecum compreccemini Deũ, per Christũ redemptorẽ nostrum. Decreui aũt hoc biduo adhuc domi me cõtinere, ut & ualetudo melius confirmetur, & ipse me ad operas futuras præparem. Spero me Deo auxiliãte assiduitate, fide & diligentia auditorib. satisfacturũ esse. Die Iouis hora octaua interpretationẽ Heraclidarum Euripidis auspicari decreui, quam Tragœdiam uix alia superat sapientia, grauitate & multiplici doctrina, Nam uenustatem huius scriptoris iam scholæ notam esse arbitror. Nihil addam hic amplius, quàm quod est apud Terentium, Alias cognostis eius, etiam hãc cognoscite. Si quem operæ pœnitebit, modò sedulò & rectè cognoscat, ego damnum præstabo. In Christo Iesu feliciter ualete. 4 Idib: Ianuarij.

Vitus VVinsemius senior.

STV-

STVDIOSIS DOCTRINÆ ASTRONOMICÆ.

ABſolui ante paucos dies tabularum directionum præſtantiſsimi quondam Mathematici Iohannis de Monte regio prælectionem. Quam illuſtri exemplo geneſeos Illuſtriſsimi Principis & D. D. Mauricij Ducis Saxoniæ, & Domini quondã noſtri clemẽtiſsimi, laudatiſsimæ memoriæ, illuſtraui, eamq; gratam fuiſſe auditoribus confido, non ſolùm propter locum ſphæricum de aſcenſionibus & deſcenſionibus ſignorum: uerùm etiam propter doctrinam erigendarum natiuitatum & numerandarum directionum, quæ in Aſtrologia plurimum habent momenti, & hoc ipſum exemplum, quod multis Quadripartiti Ptolemæi præceptis lucem addit. Nũc, Deo iuuante, enarrabo primum librum magnæ conſtructionis Ptolemæi, ante aliquot annos in hac ſchola græcè & latinè à Clariſsimo uiro, & Mathematum peritiſsimo artifice Magiſtro Eraſino Reinholdo, communi noſtro præceptore piæ memoriæ, editum, Vt ſtudioſi ad fontes doctrinæ de motibus cœleſtibus adducantur, & deguſtata eorum bonitate & dulcedine, libentius in poſterum inde hauriant motuum cœleſtium cognitionem, quam ex alijs tenuibus

& im-

& impuris lacumis. Etsi autem non dubito, quin amantes Philosophiæ ueræ, ipsa huius doctrinæ dulcedine et suauitate moueantur, ut eius cognitionem appetant & excolant: Tamen reliquos quoq; Scholasticos hortor & moneo, ut propter maximas doctrinæ de motibus corporum cœlestium utilitates eam discant. Continet enim plurima euidentissima & clarissima testimonia, quæ conuincunt & cogunt omnes homines rationis compotes non solum fateri, hunc mundum à mente æterna, infinitæ sapientiæ, potentiæ, & bonitatis esse conditum conseruari & gubernari: Verum etiam eidem deberi obedientiam, iuxta notitias honestorum et turpium, Quas tanquam radios suæ sapientiæ mentibus hominum infudit, & non præstantes obedientiam meritò ab ipso grauissimis & ineuitabilibus pœnis puniri. Deinde manifestissimum est, neq; Ecclesiam neq; uitam communem doctrina de ratione & quantitate anni carere posse. Voluit enim Deus Ecclesiam certo scire, se solum ab æterno fuisse, mundum uerò ab ipso certo tempore conditum esse, duraturumq; ad metam ab ipso constitutam, uoluit etiam certò notum esse, quando & quibus testimonijs se patefecerit, Quando Filium miserit, ut pro genere humano uictima fieret: Ideoq; statim in ipsa creatione anni metas constituit

ipſe, cùm dixit: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos. Quantæ eſſent futuræ tenebræ hiſtoriarum, contractuum, & omnium ciuilium negociorum & actionum huius communis uitæ, ſi anni ratione deſtituerentur? Conſtat autem ſolam Aſtronomiam ueram explicare de anno doctrinam, Quare uel ob hãc cauſam ab omnibus ſtudiosè diſcenda eſt. Cumq; primus Ptolemæi liber contineat prima principia, quæ in ſphæricis elementis quoq; traduntur, adhortor noſtros auditores, ut frequentes ad eius explicationem adſint. Auſpicabor, Deo iuuante, 18 Ianuarij, hora & loco conſuetis. Interea comparent ſibi auditores libellos, qui uenales extant in taberna Schrammij.

Die 12 Ianuarij.

Sebaſtianus Theodoricus
VVinſemius.

IN ALTERAM AVICENNÆ CANTICORUM partem.

POſtquàm nunc (auxilio Dei optimi maximi) explicauimus priorem partem Canicorum

eorum Auicennæ, continentem priorem partem artis Medicæ, quæ dicitur Theorica, in qua traditur, quid sit sanitas, quid morbus, quæ causæ horum, qui effectus & symptomata &c. Consequens est, ut alteram etiam partem libelli & artis explicemus, quæ dicitur Practica, in qua docetur ratio regendæ & conseruandæ sanitatis, & curandorum morborum. Idq; publicè significandum duximus, ut si qui sint, quibus hæc studia regendæ ualetudinis curæ sint, seq; auditoribus nostris coniungere uelint, sciant se facultatem habere accedendi & audiendi. Et studia nostra eis nunquàm defutura esse persuasum habeant.

Auspicabor (iuuante Deo) ad diem Iouis proximum, hora secunda, loco consueto.

Die 12 Ianuarij.

Iohannes Herman
Doctor.

LECTVRIS

S.

SEmper ita iudicarunt homines sapientes & docti, præcipuam in qualibet arte laudem obtinere eos Libros, qui contractis quasi

collectisq; in corpus quoddam ſuccinctum, diſperſis rerum uerborumq; materijs Methodo quadam concinna artem complectuntur. Infœliciter enim uerſari in artibus ac diſciplinis eos, qui duabus hiſce rebus deſtituuntur, nimirum in uniuerſalibus Methodo, In ſingularibus, exercitatione, prudenter eruditiſſimi quiq; teſtatum reliquerunt.

Extant autem eius generis ſcripta in ceteris facultatibus admodum celebrata. In noſtra uerò profeſſione ac facultate, Inſtitutionum liber, conſentientibus Iuriſperitorum ſuffragijs, tantam hoc nomine commendationem conſecutus eſt, ut Iurisconſultus doctus minimè cenſeatur, qui Inſtitutiſta bonus non ſit. Nam ex profundiſſimo illo Legum ac materiarum Oceano potiſſimas de perſonis, rebus, obligationibus & actionibus doctrinas, uelut certis quibuſdam regulis (quæ uitæ communis rectrices ſunt) comprehenſas continet, & iudicia diſcentium maturius format, & ipſos diſputationum Iuris cardines, ac fundamenta ſtatim ob oculos ponit, Quibus cognitis, fœliciter mari ſeſe committere, ac difficillimas quaſq; diſputationes intrepidè aggredi ſtudioſis licet. Omninò enim ijs, qui legum ſtudia ſectantur, & ad Rempublicam aliquando acceſſuri ſunt, opera danda eſt, ut iuxta

Imperatoris

Imperatoris præceptum animas prius quàm linguas eruditas reddant. Quòd rectius fieri nequit, quàm si ipsa doctrinæ Iuris fundamenta ex Methodico hoc Institutionum libro primum diligenter discant. Nec peruersum quorundam errorem sequantur, qui linguis primum uel natura, uel adfectatione ad garrulitatẽ edoctis uix primo Institutionum uestibulo salutato, ad fori actiones, & iudicum subsellia sese conuertunt. Horum enim audacia & temeritas quantum & disceptantium negocijs bonisq; causis periculum creet, & honestißimo ordini nostro dedecus adspergat, nemini obscurum esse potest.

Olim Senatus Romanus decreuit, ut ex Optimatum filijs, sex singulis Ethruriæ populis in diuinandi arte instituendi traderentur, ne ars, seculi illius iudicio, diuina, ob hominum uilitatem aut uanitatem à religionis autoritate ad quæstum turpem abduceretur. Simile decretum meo quidem iudicio Iurisprudentiæ quoq; ad conseruandam illius maiestatem ac dignitatem, non immerito optandum est, ut scilicet non nisi optima ac honestißima quæq; ingenia Iuris ciuilis studio destinentur, qui non umbram tantùm doctrinæ adfectent, sed præceptis legum fontibus solida eruditione instructi, uirtutis potius ac sapientiæ laudem quàm quæstum & ostentatio-

rem inanem quærant. Non pauci enim eo morbo laborant, ut uideri quàm esse docti malint. His igitur, qui meliorem sententiam nobis monitoribus ac ductoribus sequuntur, fidem ac diligentiam meam in explicatione Institutionum ita, ut spero, probabo, ne uel in nostro quid desiderent officio, uel præstiti illos studij ac laboris pœnitere queat. Auspicabor autem cras, Deo dante, primum Lib. Instit. hora prima in Collegio Iurisconsultorum. 13 Ianuarij.

Iohannes Schneidewein I. V. D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

INseruit utiliter ciuitati & Ecclesiæ huic multos iam annos uir bonus & honestus Arnoldus Pladeis, Præfectus scriptionibus erarij Ecclesiastici, qui & illo loco suo, & quibuscunq; in rebus alijs opera ipsius publicè & priuatim expetitur, eum se præstat, ut fidei, diligentiæ, industriæ, officij, facilitatis in gratificando, & benè merendo de omnibus, laudem sibi peperierit, & bonorum atq; intelligentium omnium studia & fauorem sibi conciliauerit. Huius filius IOHANNES cùm externis & internis causis

causis concurrentibus, longo iam tempore tabesceret, hesterno uespere hoc morbo suo cõsumptus est, anno uitæ tricesimo primo. Obseruauit autem Hippocrates in ætate hominis quasi limites morbi huius, tempus id, quod est ab anno 18 usq; ad 36. quos in hoc etiam nostro non est tabes egressa. Ita autem est mortuus, ut et salutarem fidem nostram religiosissimè profiteretur, & hanc, pietatis sententijs pluribus pronunciatis, in se confirmaret, & mortem suam depositum esse diceret, respiciens ad Tertulliani dictum, cuius est sententia memorabilis: Si apud Deum deposueris iniuriam, ultor est: si damnum, restitutor: si dolorem, Medicus: si mortem, resuscitator. Ita ille suam se mortem apud Deum in Christo deponere sensit, pro qua uitam expectaret æternam. Sepelietur autem hodie hora tertia, & efferetur funus ex ædibus honestæ uiduæ Francisci Dehnen. Quia uerò & unus ex ordine nostro fuit, & Stipendiarius Academiæ, etiam hac de causa par est, nostros ad funeris deductionem conuenire, quod & ut faciant, scholasticos hortamur, ut hoc officio nostro optimum patrem consolemur, qui senio & dolore conficitur.

P P. 11. Calend: Februarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HEsterno die mortua est pia & honesta materfamilias Heduuiga, uxor uiri & ciuis optimi Philippi Rencij VVircepurgensis, à longi morbi diuturnis cruciatibus benignè liberata, ut mors hoc etiam modo ei seruiret, quam Apostolus, scribens Corinthijs, docet nostram esse, sicut mundum & uitam, præsentia & futura, πάντα ὑμῶν εἶναι, ut seruire saluti piorum hæc omnia oporteat. Sed & in tota uita pietas huius spectata fuit, & in morbo, integri fermè triennij, patientia eximia, & in confessione fidei suæ & religiosa inuocatione, constantia usq; ad extremum, cùm moriens sese uoluntati diuinæ subijceret, & opem & protectionem huius ardentibus precibus imploraret. Huic funus fiet hodie hora duodecima. Cuius deductio cùm à nobis expetatur, & mortuæ pietas, & mariti superstitis erga omnes officiosa uoluntas, & in benè merendo perspectum studium, & sui unamquenq; officij consideratio, ad hanc gratificationem excitare debet, quam qui impetrari à se patientur, ij indicato tempore ad ædes Rencij in platea consulari conueniant.

P P. 3 Calend: Februarij. FA-

FACVLTATIS ORATORIÆ STVDIOSIS S. D.

IN uniuerſo ſtudiorum genere, & curriculo, ij, quorum aliquis debet eſſe in uita uſus, non tantùm in Eccleſiæ aut Reipublicæ gubernatione fœlici, ſed qui alioqui circumſpectè in tanta noſtræ ætatis perfidia, & flagitioſa linguæ licentia, infimo loco inter politicæ ſocietatis homines uerſari cupiunt, in hoc attenti ſint, ut ſumma diligentia, & accurato ſtudio à primis ſtatim annis, quibus in honeſtis artibus inſtituuntur, diſcant, & animis infigant, uim, naturam & ſignificationem uocabulorum, ſiue eam propriam eſſe, ſiue aliunde per ſimilitudinem ſumptam conſtet. Experientia enim edocti, ut fateantur, neceſſe eſt, eos non aliter decipi, qui uocum uim non tenent, quàm falluntur in computando, qui ignari ſunt Arithmetices. Hiſtoriæ omnium temporum oſtendunt, & extra Eccleſiam homines Ethnicos ambiguitate ex obſcuritate uocum, & ſententiarum in extrema pericula coniectos, & in ipſa Eccleſia magnas turbas & tempeſtates diſſenſionum, quibus toti cœtus diſiecti ſunt & diſſipati, ex ſententijs & uocabulis, quorum uis & natiua ſignificatio abie-

cta fuit, extitisse. In historijs Ethnicis hic lusus familiaris fuit Diabolo, qui æquiuocis uerbis oracula inuoluit. Sicut Pyrro Epirotæ prædixit, tùm fatum ei impendere extremum, cùm lupum uideret, aduersus taurum pugnare, quod postea illi contigit. Nam Ægis in foro erant simulacra sculpta, lupi & tauri inter se pugnantium uetustæ memoriæ causa posita, eò cùm uenisset cum exercitu Pyrrhus angustia loci circumuentus, & pressus ab hostibus, dum frustrà eluctatur, ictus tegula deiecta ex alto ab anicula, occubuit. Cùm igitur adolescentes intelligant errores sæpè non leues in controuersijs scriptis, ex æquiuocis oriri, circumspiciant, quæ sit uis ac natura uocabuli, quæ significatio congruat ad præsens negocium, quæ in professione aut arte sit intelligenda, ut ex eadem conueniens explicatio sumi potest. Huius præcepti usum ut declarem ijs, qui student proprietati sermonis latini, constitui enarrare Orationem elegantem & uenustam Ciceronis pro A. Cecinna, ut nobis sit occasio declarandi statum finitiuum, & quidem rationem explicandi incidentem quæstionem περὶ ἐκτὸς καὶ διανοίας. Hæc Oratio hoc quoq; nomine nobis sit quàm commendatissima, quòd continet eruditam disputationem & Encomia doctrinæ Iuris

ciuilis

enim tantam dicit esse uim, ut neq; inflecti gratia, neq; perfringi potentia, neq; adulterari pecunia possit. Insigne, nobile ac illustre in hac Oratione pro Cecinna exemplum nobis proposuit Cicero, quo declarat graues controuersias non uerbis, sed æquitate dijudicandas, æqui & boni dignitatem literarum aucupijs opponendam. Quicunq; enim in uerbis Ius constituunt, Iuris utilitatem oppugnant, omnem æquitatis religionem uersutia & calliditate peruertunt, legum denique; uim ex amplissimo æquitatis campo, ad uerborum angustias reuocant. Hanc Orationem plenam eruditionis, prudentiæ & amplissimæ disputationis deinceps usitata repetitione examinabimus, cuius initium, Deo studia nostra gubernante, faciam ad proximum diem Iouis hora consueta.

Benè ualete.

Albertus Lemeiger.

RE-

RECTOR ET CONSILIVM PVBLICVM Academiæ VVitebergensis.

SI considerarent Scholastici, Magistratui obedientiam deberi etiam propter conscientiam, ut Apostolus loquitur, maiore diligentia gubernarent uitam & mores suos, ne contra leges & statuta laudatissimorum Principum, & præstantissimorum uirorum, à quibus hæc Academia fundata est & gubernata, & successores horum, delinquerent, ijs tamen, qui incogitantia peccant, ignosci facilius potest, Si qui uerò in contemptu manifesto sese contumaciter opponunt nobis, & leges scholasticas nostras uiolant, eos & iusto iudicio Dei tradimus atq; permittimus, & quomodo hoc profanum genus à nobis etiam, assumpta opera & ope omnium, coherceri possit, uidendum.

Hoc autem ingente cum dolore nostro experimur, à multis iam annis non fuisse maiorem & petulantiam adolescentiæ, & legum contemptum, quàm hoc tempore, quo legibus optimè est constituta Academia nostra. Cumq; ueteres & nouæ leges interdicant armorum gestatione scholasticis, nunc gestari atq; usurpari hæc comperimus petulantius, quàm unquàm antea,

&

& afferuntur ad nos querelæ, tàm à ciuibus quam noſtris, quibus ſe et impetitos, & pulſatos atq; direptos, ſpoliatos pallijs & capitis tegumentis ſignificant à graſſatoribus nocturnis, ante adhùc nonam & decimam horam noctis, & conſpecti ſunt, aliàs ſex, aliàs undecim, cum gladijs & haſtis, & facie tecta obuerſari in oppido, qui uim & direptiones tales uſurpauerint. Hanc tãtam turpitudinem noſtrorum, ut publicè commemoremus, neceſsitas nobis affertur, quod cum quanto dolore noſtro faciamus, non eſt difficile æſtimare, & tamen non commemoramus omnia. Quantopere pudere nos communitatis noſtræ neceſſe eſt, & Illuſtriſs: Principem munificentiæ ſuæ, in hac beniguiſsimè conſeruanda, pœnitere, & nos laborum publicorum & priuatorum noſtrorum oportet, Si exiſtunt in hac, qui ad latrocinia ſe & rapinas exerceant. Huius igitur ſodalicij capitalem audaciam ut reprimamus, uitam etiam impendere parati ſumus. Atq; poſt implorationem opis diuinæ, in præſentia oramus omnes bonos, quibus res ſcholaſtica noſtra & exiſtimatio huius curæ eſt, ut in hac coniuratione detegenda nos pro uiribus adiuuent quocunq; modo opera ipſorum quoquo tempore poſtulabitur, & ipſi ſua ſponte nauari poſſe intelligent, Cum Magiſtratu etiam oppi-

dano

dano hoc agemus, ut inquirat apud ciues, & ùigiles publicos instruat. Ab Illustriß: autem Principe nostro paulò post amplius aliquid impetrabimus. Quia uerò heri periculosè uulneratus est unus ex scholasticis nostris, autorem iniuriæ, scholasticum & ipsum, carceri inclusimus, ut ad pœnam custodiatur, & exemplum statui possit, quo uiolentia & insania reprimatur eorum, in quorum corda intrauit Satanas, ad quos uerbis & commonefactionibus frustrà agi scimus & intelligimus. Cætera igitur res docebit, & oramus Deum per Christum, ut nobis adsit

P P. 7 Id: Februarij.

GEORGIVS MAIOR
PIO LECTORI S.

COEpimus enarrationem septem Psalmorum pœnitentialium, in quibus & doctrina pœnitentiæ, et imagines tristißimæ & quasi uiuæ hominum ucrè & seriò agentium pœnitentiam nobis ideò proponuntur, ut & nos, his exemplis commonefacti, & magnis ac pluribus tetris peccatis polluti & contaminati, tandem flectamur ad pœnitentiam, & uitæ dissolutißimæ emendationem.

Cor-

Conqueritur in hoc Psalmo 38, cuius Enarrationem hodie hora tertia, Deo iuuante, ordiemur, Propheta, sua uulnera, propter insipientiam & stultitiam suam, cum ea contemnens & negligens in stulta securitate pœnitentiæ medicina & emplastro, in principio & iusto tempore, non curauerit, putruisse & corrupta esse, & comparat peccata sua ὑπωπίοις, quæ neglecta medicatione, fiunt ὕπουλα, & tandem cum putredine et fœtore tetro rumpuntur, & difficilius curari quàm initio possunt.

Talia sunt peccata nostra, ulcera à nobis stultis & securis neglecta, non mox adhibita pœnitentiæ medicina, tabo & sanguine corrupto computrescentia & tetrum fœtentia. Hæc sua uulnera agnoscit & sentit hic Propheta, & accusat stultitiam suam, quòd ea neglexerit, non curauerit, ne sic putrescerent, cum inquit: Putruerunt & corrupta sunt uulnera mea, propter insipientiam meam.

Sed ô immensam & inenarrabilem horum nostrorum temporum, non modo stulticiam & cæcitatem, sed & stuporem & ἀναλγησίαν, quam in maxima parte hominum, & præsertim in iuuentute magno cum dolore uidemus, quæ cum plena sit ὑπωπίοις & ulceribus, sanie & tabo & diro fœtore diffluentibus, tamen hæc

sua

sua ulcera nec sentit, nec de ijs admonita uult ea tangi, sed furenter omnem manum medicam repellit, ut uerè hoc tempore de omnibus statibus & ordinibus senibus & iuuenibus, Principibus & subditis οὐδὲν ὑγιὲς, & illud Prophetæ prædicere possis:

Omne caput languidum, & omne cor mœrens
A planta pedis usq; ad uerticem, non est in eo sanitas.

Vulnus & liuor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo.

Hanc ἀναλγησίαν καὶ ἀμετανοίαν quid sequeretur aliud, quàm quod ibidem Propheta prædicit?

Terra uestra deserta, ciuitates uestræ succensæ sunt igni.

Regionem uestram coram uobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in uastitate hostili.

Huius pœnæ Exempla sunt hoc tempore nobis uicinæ regiones, Vngaria & Liuonia in Oriente, et in Occidente Gallia regnum florentissimum & potentissimum, quasi ob oculos & in conspectum positæ, quàm & prodigia cœlestia toties iam uisa & conspecta, ut prorsus in contemptum uenerint, nobis prædicunt & certò minantur, quæ omnia tantum abest, ut homines

ad pœ-

ad pœnitentiam flectant, ut inde etiam magis securi & efferatiores & Pharaonico more indurati magis fiant.

Hæc sunt opera Principis, cui potestas est aëris, qui est spiritus, nunc agens in filijs contumacibus, id quod horrendum est, homines ad imaginem & similitudinem Dei creatos, ut sint Templum Dei, fieri organa & spelunças Diaboli, quibus hic princeps mundi ad ludibrium & in contumeliam Dei pro suo libitu abutitur, ut secum in æternum exitium abducat.

Non igitur simus insipientes, stulti & securi, ne putrescant & corrumpantur uulnera nostra, ne ὑπώπια fiant ὕπελα, sed à Diabolo sauciati, afflicti & cõtusi, sentientes ulcerum nostrorum dolores, putredinem & fœtorem, agamus pœnitentiam, quæramus Medicum nos miseros Lazaros ad se ultrò uocantem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos, petamus & credamus nobis remitti peccata, & non imputari sordes & putredinem uulnerum & ulcerum, propter Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, qui uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, correctio super eum, ut nos haberemus pacem, cuius liuore, nostri liuores sanati sunt, & sic sanati ac fide

iuſtificati, habentes pacem erga Deum, per Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum, faciamus fructus dignos pœnitentiæ, ſimul & quotidie ardenter petentes hanc Dauidis precationẽ in hoc Pſalmo: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me, fateamur nos dignos pœna, & ad eam patienter ferendam, cum Propheta hic dicente: Ego ad flagella paratus ſum; nos ultrò offeramus, ſed ut pœnam commeritam mitiget, & ne in furore nos arguat, neq; in ira corripiat, ſicuti Pharaonem, Saul, Sennacherib, Iulianum, Iudam & ſimiles, toto pectore deprecemur, tum certò futurum eſt, ut pœnam mitiget, nec omnem furorem ſuum accendat, & ut Dominus relinquat nobis ſemen, ne quaſi Sodoma fiamus, & quaſi Gomorræ ſimiles ſimus, ut inquit Propheta.

Die 8. Februarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

AMiſit hac nocte, uel potius præmiſit, quinquennem filiolam CATHERINAM Vir Clariſſimus D. Caſpar Peucerus &c. Hoc unum, ad impetrandum ab omnibus

omnibus, qui in Academia nostra uiuunt, officium id quod significationibus talibus quæritur, satis esse posset, etiamsi nihil adderetur amplius. Nam & qui uir sit D. Peucerus, & quæ familia huius, etiam exteris notum est. Cumq; affinitatem contraxerit cum æterna memoria celebrando parente & præceptore nostro D. Philippo Melanthone, soceri merita erga hanc Academiam ingentia, ipse publicis & priuatis officijs suis ita repræsentat, ut usu & fructu horum desiderium mortui consolemur. Etsi autem his moribus & temporibus uitam præcidi salutari exitu inter maxima bona est, & filiolæ D. Peuceri nostri ualetudo eiusmodi fuit, ut uita longa sperari non potuerit, ex qua ad cœleste πολίτευμα migrauit sanctorum, qui sunt cum Filio Dei, quem in innocentia ætatis suæ coluit & inuocauit. Nos tamen & dolore afficimur & affici par est, piorum parentum, qui unus est ex maximis, qui in hac uita accidunt, præsertim, cùm hoc funus in sobole sua primum uideant. Et liberorum familiæ huius singularis est & mirifica charitas inter se & coniunctio, ut obuersans oculis & animo luctus & quiritatio horum nõ possit non admodum nos cõmouere. Multa etiã in funesta domo patremfamilias intelligentem & considerantem conturbant.

Has igitur omnes ægritudines honestißimæ familiæ, lenire ei officijs nostris ſtudeamus, & in præſentia deductione officioſa, qua proſequamur funus, quod efferetur hodie hora tertia. Debemus hoc ſanctæ animæ D. Philippi Melanthonis, *qui* Peucerum *unicè dilexit, & diligi à nobis optauit, Et ipſius* Peuceri *eximijs ingenij donis, quæ glorioſa ſunt* Academiæ *noſtræ, tum publicis eiuſdem erga omnes, & priuatis erga pleroſq; noſtrum beneficijs. Cùm aũt noſtrum* πολίτευμα, *ut* Apoſtolus *loquitur, in cœlis ſit, in qua* Repub: *iam cum ſanctißimis animabus aui & auiæ & familiaribus cæteris, etiam teſtis unius* Baptiſmi *ipſius pientißimæ, hæc* Peucerina *noſtra uerſatur, Nos etiam eodem aſpirare uita & moribus noſtris declaremus.*

P P. 4 Id: Februarij.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

Poſt mea fata ſub hoc tumulo CATHARINA *quieſco*
Corpore, mens uiuit læta Deum aſpiciens
Filia Peuceri neptisq; Melanthonis, hæres
Sum uitæ æternæ munere Chriſte tuo.

STV-

ANNO 1563.

STVDIOSIS IVRIS CIVILIS S.

NOn est dubium, quin omnium ornamentorum, quæ plurima diuinitus indita sunt generi humano, summum & maximum sit lux illa noticiarum naturalium lucentium in mente hominis, & discernentium honesta & turpia. Etsi enim in hac corrupta natura hæc lux est obscurior, & Diabolus pulcherrimam illam harmoniam, quæ fuit in natura integra, motuum cordis & normæ recti præscriptæ in mente hominis, horribiliter turbauit, Tamen hoc ipsum, quod nobis adhuc superest reliquiarum (ut ita dicam) ex illo naufragio, præcipuum decus est in homine, referens in eo qualemcunq; imaginem Dei, & secernens illum ab omnibus alijs creaturis carentibus ratione. Neq; enim quisquam ita uesanus est, qui in dubium uocare ausit, quòd hæ noticiæ uniuersales sint radij, & scintillæ lucis diuinæ, transfusæ in hanc naturam, & uelut umbræ conspicuæ in hoc antitypo, deducentes nos ad aliquam cognitionem Dei Archetypi, ac testentur illum esse mentem iustam, æqualem, prudentem, auersantem libidines &c. & quòd illæ ipsæ duces sint ac rectrices totius uitæ humanæ, & communis societatis.

Constat autem in his pulcherrimis principijs fontes suos habere nostram professionem, & inde extructam esse longo rerum usu, & uirorum prudentum diligentia, legum scientiam, ex perpetua regula honesti & æqui sancita diuinitus in mente hominis. Neq; enim Iuris ars (ut quidã inepti somniant) incertarũ opinionum est cumulus, sed nectit prudẽs Iurisc ãsultus telõ opinionũ suarum ex cõmunibus thesibus, eoq; disputationes omnes, tãquàm ad prima fundamenta & fontes reuocat, & ostendit sententiã legis cum æterna & immota iusticiæ diuinæ regula conuenire. Cogitent ergò iam adolescentes, quanta sit dignitas & maiestas huius doctrinæ, & consideratione tantarum rerum ad amorem & agnitionem eius inuitentur: Vident sanè ijs, qui se huic studio dedũt, quasi perpetuum quoddam esse, & domesticum cum diuinitate cõmertiũ, & uersari eos in assidua contemplatione iustitiæ, prudẽtiæ, ucritatis, æquitatis diuinæ &c. Deniq; scholas Iurisconsultorum, uelut officinas esse iusticiæ, in quibus non secus atq; auri uenas abstrusis terræ uisceribis reconditas, ità ductus atq; meatus lucis cœlestis in nos trãsfusæ, trahentes nos ad aliquam naturæ diuinæ consideratione, et deducentes nos ad amorem Dei & pietatis, scrutamur atq; inuestigamus: Nihil dicam iam de innumeris bonis, quæ huius doctrinæ benefi-

beneficio toti generi humano conferũtur: q. hostia tuta sint aliqua Ecclesiæ, in quibus sonat doctrina de Deo, q. aliquid pacis est ac trãquillitatis publicæ in hac uita, q. artiũ honestarum quædam habemus studia, Certè hæc omnia legibus & legum doctrinæ meritò accepta referimus, Sed relinquo ista: Vel illud solùm q. scholæ nostræ templa ac theatra sunt iusticiæ atq; prudentiæ diuinæ, satis esse arbitror, quod mouere honesta ingenia debebat, ut uitam omnem in ijs consumere libenter uelint: Debemus profectò hoc ingens beneficium Dei, ut et alia, agnoscere, totoq; ei pectore gratias agere, q. suæ prudẽtiæ, suæ iusticiæ & summorum in se bonorum participes nos fecerit.

Est autem inter alias doctrinæ Iuris partes præcipua ea, quæ Vltimas uoluntates continet, ac docet, quomodo extrema Iudicia nostra, de rebus in hac uita multis sæpè laboribus atq; ærumnis partis (ut Iurisconsulti uerbis utar) ritè & ad præscripta legum dispositа relinquamus. Eã Iuris partẽ posthac auditoribus nostris publicè proposituri sumus. Adiungemus etiam, ut habeant auditores exempla præceptoriũ, & uideant aliquẽ eorum usum, Prælectionẽ, Processus Iudiciarij, & domesticũ disputationũ exercitiũ, ac speramus, iuuante Deo, pro nostra tenuitate nos assiduitate scholasticis operam nostram probaturos esse.

Auſpicaturi autem ſumus die Martis proxima hora nona in Auditorio Iureconſultorum, atq; inchoaturi iſtam tractationem à legitima Teſtamenti factione, ibi amplius, quæ ſit ratio noſtri conſilij, auditoribus, auxiliante Deo, expoſituri ſumus.

VViteбergæ die 13 Februarij.

Vitus VVinſemius filius,
I. V. D.

IN PRÆLECTIONEM COMPVTI.

INgens Dei beneficium eſt, quòd in ſola Eccleſia inde uſq; ab initio conſeruauit hiſtoriam annorum mundi continuam, ut ſeries patefactionum doctrinarum, & quæ religio prima & antiquiſſima eſſet, ſciretur. Verum eſt enim illud Tertulliani: Primum quodq; uerißimum eſt, Deterius quodcunq; poſterius. Nec uerò hiſtoriæ conſeruari potuiſſent ſine annorum certa quadam & erudita annotatione, quæ tota ex motibus corporum cœli dependet. Cumq; Deus ita inſtituerit metas regulariſſimas, ut Solis quidem curriculum per Zodiacum, annuum ſpacium, Lunæ menſtruum definiret: Vult certè aſpici cœlum, & has ipſas metas

metas temporum ex cœlo & astris obseruare & numerare. Frustrà enim constitutæ essent metæ anni non obseruantibus. Initium anni uox diuina in lege constituit, & eo tempore celebrari iubet esum agni, quo & Filius Dei uictima pro genere humano oblatus est. In Diluuij historia ordine numerantur menses duodecim, quæ narratio ostendit eandem fuisse anni magnitudinem omnibus temporibus. Quare cùm Philosophica studia nostra etiam Ecclesiæ seruire debeant propter eam ipsam causam, doctrina de anni ratione cognoscenda & amanda est, quia singulare est Ecclesiæ decus & ornamentum. Prætereo nũc eas commoditates, quas toti hominum societati suppeditat. Quanta enim in politica uita confusio & barbaries futura esset, si anni rationem ignoraremus, si spacia præteritorum seculorum & seriem historiarum retrò animis legere, & comprehendere non possemus? Quæ tenebræ religionis, & rerum maximarum in historijs, contractibus, iudicijs, secuturæ essent, si nulla esset annorum distinctio ac numeratio? Significo igitur de consilio & uoluntate Præceptorum mihi iniunctum esse, ut cùm Plinij editio nondum sit absoluta, interea studiosis doctrinæ Astronomicæ gratificer, monstrando rationem Calendarij seu

computi Ecclesiastici, de temporum distinctione, ordine, metis & calculatione: Cuius doctrinæ cùm nullum extet scriptũ methodicum, quod proponi adolescentibus cum fructu aliquo in scholis posßit. Conabor eam integrè complecti & dictare, adiutus ijs, quæ à præceptori meo obseruandißimo Matheseos artifice præstantißimo Erasmo Reinholdo olim accepi: In qua tractatione multa fient in motuum doctrina illustriora & utilitas Astronomiæ præcipua conspicietur, Denique infinitæ uoluptates aliæ accedent, quæ inuitare liberalia ingenia ad cœli, & stellarum contemplationem, & admirationem poterunt. Inchoabo, Deo iuuante, ad diem crastinum.

Bartholemæus Schonborn
VVitebergensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HEri uesperi mortua est CATHERINA, uel ut Græci hoc nomen scripserunt, Æcatherine, filia V. CL. D. Iohannis Hermãni Medicinæ Doctoris et Professoris, Collegæ nostri, ætate trimula. Hanc quartam amittit in nondum octo annorum coniugio suo.

Nota

Nota est pietas & integritas uiri optimi, & ingenium rectum, & in bene merendo de omnibus tàm arte sua quàm officijs cæteris facilitas & studium. Cuius uirtus & doctrina decorata est grauiß: iudicio Clariß: uiri, & de hac Academia & doctrinæ studijs præclarißimè meriti, senis omni honore uenerandi, D. D. Melchioris Fendij, quòd affinitatem ei cum hoc contrahere libuit, & hunc maritum elegit filiæ unicæ. Ea uerò est generi erga socerum pietas, ut in hac hic acquiescat, & ille Scipio sit senectutis huius, & quæ pietas Romanæ familiæ priscis temporibus hoc nomen Scipionis peperisse scribitur, eam nobis in his honestißimis familijs Collegarum nostrorum cernere liceat. Vtriusq; igitur dolore afficimur, & affici nos par est. Et adhortamur scholasticos & cæteros nostros uniuersos, ut hodie hora tertia ad deductionem funeris frequentes conueniant. Puellula est in eo numero, de quo scriptum est: Horum est regnum cœlorum. Patri tamen tot filiarum tàm breui tempore, & auo tot neptium funera sustinere graue.

Sed tales humana mouens affectio luctus,
Naturæ & patrio uis pia corde ciet.
Saxea nec data sunt, nec ferrea pectora nobis,
Mollia sed molli uiscere sensa gerunt.

Et

Et fletus tamen & triſtes cohibere querelas,
Mœſtitiæq; aliquem conuenit eſſe modum.
Nõ lachrymæ reuocãt perfunctos munere uitæ,
Corpus ubi ingeſta iam tumulatur humo.

Sicut in quodam carmine ſuo fecit D. Ioachimus Camerarius V. CL. Et huius uitæ calamitates pijs etiam eò ualent, ut caro & ſanguis mortem diſcat minus reformidare.

P P. 11 Calend: Martij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERgenſis.

VEtus eſt, ex malis moribus bonas leges natas eſſe, Quòd autem hoc anni tempore uulgo licere & permitti ſoleant ea, quæ & decoro contraria ſunt, & Apoſtolus à perſona Chriſtiani hominis, quæ eſt grauiſſima, aliena eſſe docet, & fieri uetat. Contra hos igitur mores improbos commonefactiones piæ exiſtunt, & neceſſariæ apud nos, edictis publicis quæ ſingulis annis repetuntur. Cùm autem diſſolutio in uita & moribus augeſcat, maiorem etiam ſeueritatem uſurpari oporteat, & edicendo & animaduertendo. Sed quid addi à nobis poſſit commonefactionibus & edictionibus hactenus propoſitis non reperio, & uſurpata in

his

his uehementia pœnas aggrauat diuinas uiolantibus. Sit igitur unum pro multis Apostoli Petri, deberi obedientiam Magistratui propter conscientiam, Cùm quidem per se nihil possit dici maius aut grauius, quàm eos, qui hanc non præstent, habere Deum iratum, & esse in potestate Diaboli. Ad improbos tamen uerbis & subiectionibus minus proficitur, ut his comparcendum esse uideatur, & animaduersionum potius seueritas intendenda. Ita nunc de sententia Consilij publici Academiæ nostræ, solenni edicto iterum edicimus, ne quis personatus noctu aut interdiu in publico uagetur. Cætera sunt in legibus ueterib. & recentibus nostris, quorum ignorationem prætexere facinori nemo potest, cum extent publicæ, neq; hæc excusat quenquã, neq; excusare debet. Illis itaq; profanis, quos neq; pudet quicquam, neq; metuunt quenquam, neq; legem se tenere putant ullam, qui in ebrietate & crapula uitam degunt impuram & facinorosam ὧν ὑπερηφανίᾳ καὶ πλησμονῇ ἄρτων, ut Propheta loquitur, his, inquam, iram Dei denunciamus, quæ propter tales grassatur in terris, Ex humanis autem pœnis aduersus hos usurpabimus eas, quæ statutis nostris expressæ sunt, & consilium publicum nos docuerit. P P. Hilaribus Christianis. 9 Calend: Martij.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

EXercetur hoc tempore non uno modo domus Reuerendi uiri ſacræ Theologiæ Doctoris eximij, & huius Eccleſiæ gubernatoris & præſidis, D. Pauli Eberi, V. CL. Nam & ipſius ualetudo uariè iam tentata eſt per dies pluſculos, & dum conualeſcere incipit, ſimul & uxor & ſocrus, & filiarum altera, & famulæ duæ, grauibus, neq; periculi expertibus catarrhis correptæ ſunt. Sic ϖῆμα δ' ὁμοιῳ ἐπὶ ϖήματι ϰαίνει. Sed Socrus ætas & imbecillitas morbo hoc ſuperata ſuccubuit. Hæc nata Noribergæ in familia plebeia, Schatzerorum, cùm ciue quodam ſuo Kufnero nupta fuit, qui fratrem habuit Lipſiæ, cuius filij duo ſuperſtites ibidem negociantur honeſti & honorati homines. Hoc marito mortuo ſecundis nuptijs coniuncta fuit Reuerendo uiro D. Vincentio Stango, qui in multis Eccleſijs harum terrarum utiliter docuit, & in urbe Lipſica inter primos Euangelicæ ueritatis inſtauratores operam nauauit. Ab his parentibus uxor procreata eſt D. Eberi noſtri, quæ & ſua & mariti pietate matrem uiduam ad ſe recepit, & in domo ſua aluit

duit per annos iam duodecim, usq; ad uitæ exitum. In qua ita uixit, sicut sanctas decet, & κατάσημα ut esset ἱεροπρεπὲς, cùm omnem hanc quietem senectutis suæ ad lectionem sacræ scripturæ & institutionem domesticam suorum conuerteret, & precibus publicè & priuatim operam daret, & à sacris concionibus audiendis nihil se abducere pateretur. Particeps autem benedictionis, de qua Psalmus canit, Vidit florentem domum filiæ, & nepotes & neptes suas, & inter amplexus horum, & studia suorum singularia, felicissimè consenuit, prouecta ætate usq; ad annum uitæ undeoctogesimum, ex qua heri in salutari confessione sanctissimæ fidei suæ ita migrauit, ut à natura potius quàm morbo consumi uideretur. Huic funus fiet hodie hora quarta. Nostri igitur officij quid sit, sine commonefactione omnes intelligimus. Scribit Petrus ψυχῶν κάμνουσαν ἔγγυς εἶναι θεοῦ, & talibus officiosissimè operam nos dare par est. Quid uerò debeatur ei, qui & speculator est in domo Dei, & excubat pro salute nostra, pietas per se agnoscit atq; statuit.

P P. 6 Calend: Martij.

DE-

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACademia VVitebergensi, D. Iohannes Maior Ioachimus, Poëta laureatus.

QVàm benè uiuebat paradysi in sede, priusquàm
Deficeret mortale genus, nec mente feroci
Rectorem excuteret summũ, & se lege teneret.
Tunc & noticiam firmam rerum omnium habebant
Pectora, tum larga se illis cum luce ferebat
Obuius, inq̃; animis Deus omnib. omnia agebat,
Et lucis radios propria de mente refundens
Totum hominem pleno lustrabat lumine recti.
At postquàm in uetitũ rucrent, et pectore uicto
Serpentem acciperent Stygium: tum protinus omnes
Cœlestûm excussæ dotes, & tecta tenebris
Prouida lux, hominumq̃; imis præcordibus ater
Succeßit serpens, & sancta habitacula diuûm
Turpauit, delensq̃; Dei sacrum instar in illis
Ingentes tenebras offudit mentibus ægris,
Quas radij solis, neq; lucida tela diei
Discuteret, penitusq̃; errorẽ abstergeret omnẽ.
Vt facimus tamen ipsa suum mens noscere posset,

Antiquosq̃;

Antiquosq; status æui miseramq; ruinam:
Scintillæ exiguæ ingenti de luce relictæ
Manserunt animo, sed & hæ quàm in parte pusilla,
Quàm densis squallent tenebris, qua in sorde uidetis.
Ceu Luna in nimbo tristi cùm in nocte tenetur,
Luceq; pallidula sensim inter nubila fulgit:
Aut rude ut apparet speculum, nulla arte politum.
At Pater immenso Nati deuictus amore
Ne tota intereant manuum monumēta suarum,
Partem aliquā humani generis de faucibus Orci
Raptat, anhelantemq; sua dat luce potiri
Spiritus ut renouat præcordia lumina uerbi,
Et tenebras remouens iterum primordia lucis
Inchoat, & lapsas reuocat sub pectore uires.
O utinam nossent aliqui, quos nosse decebat,
Qualibus & quantis degant in cladibus æuum,
Et propius bona suspiciant quæ Filius adfert
Demissus nobis, & grata mente sonarent
Quòd cœtū in terris sibi tanto in turbine rerum
Adscrit æternus Genitor per munia Verbi,
Quòd nostris animis Natū proponit habēdum,
Visentem has terras uera sub imagine carnis

Quò Sathanæ euertens opera impia, rursus adornet
Lapsa Dei in nobis simulacra, iterumq; resingat
Informans uerbo proprioq; è Flamine partem
Mentibus insinuans sua nos habitacula reddens,
Quà sedem colat æternum, indeiectaq; seruet.
Aut multi hæc uoluunt animo bona summa Deumq;
Ritè colunt, studijs celebrantes munera Nati.
Inq; propaganda doctrinæ uoce, laborem
Et studium acre Deo uigilanti pectore præstant,
Atq; uiam monstrant miseri qua iungimur ipsi
Auulsis quibus ille iterum iam à fœdere Ditis
Communem sese, nec non communia secum
Dona sua efficiat nobis, & propria donet.
Hæc cuius fugiunt animum solatia uitæ,
Mortua ei uita est propè iam uiuo, atq; uidenti,
Perpetuaq; gerit plenam formidine mentem,
Nec reperire potest palanti corde receptus,
Sed miser incerto fluitans errore uagatur.
Ergò opus ô iuuenes solerti mente uacare
Doctrinæ studijs: nonnullo hæc dona labore
Proueniunt, nulloq; usu: pater ipse sciendi
Haud facilem esse uiam uoluit, namq; arte ministra
Suscitat hæc, studijs acuens mortalia corda,

Ille

Ille ſuam Verbum meditantibus annuit auram,
Nec temerè effundit uotis non percitus ullis:
Et per eam Chriſtus ſuccendit pectore lucem
Noticiæ Patris, atq; ſui: diuinaq; dona
Vſibus acquirent uires, uelut ignea lampas
Mota iubar latè iacet, & reſplendet in aura.
Hac tu militia gaudes Deus, his Pater addis
Auxilium ſolitum, & manifeſto numine ducis.
Prætrea refert aliorum noſſe reperta,
Et placidè doctas audire, & reddere uoces:
Idcircò ſiſtam qui non ſe credere noſtræ
Cenſuræ ueriti ſpecimen ſuper arte dederunt:
Et nunc luce palàm fas prono accedere greſſu,
Et doctas tentare operas, quæ copia cuiq;
Doctrinæ, & qui ſit ſtudij profectus in illis.
Tu modò ne noſtris te ſubtrahe cœtibus oro
Nate Dei, Nam te noſtris medium affore dictis
Olim pollicitus, roburq; animosq; daturum.

Die 25 Februarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERgensis.

VIxit in hac Academia integrum sexennium in studijs pietatis & literarum placidè & uerecundè optimus iuuenis CASPAR LVDOVICVS Leobergensis, Silesius, quem propter ingenij bonitatem & discendi cupiditatem atq; diligentiam Respub: patriæ ipsius apud nos aluit, cum spe optimâ, quæ & minimè frustrata ipsam fuisset, si uita ei suppetiuisset ad conficiendum hunc cursum studiorum suorum, à cuius meta non longè abfuit, cùm & ætate & profectu fermè maturuisset ad Ecclesiasticas functiones obeundas, & nauandam operam in propagatione doctrinæ cœlestis. Sed Deus eum occulto suo iudicio è uita euocauit. Correptus enim quartana febri, longo tempore cum hac conflictatus est, & tandem ab hac consumptus heri decessit, in religiosa inuocatione Filij Dei et fidei in hunc suæ professione, cùm iam quartum climactcrem septenarium ageret.

Sepelietur autem hodie hora quarta, & efferetur ex ædibus honesti ciuis Iacobi Bernuci. Itaq; hortamur scholasticos, ut deductione

sua

sua funeris exequias cohoneſtent, & ſe mortales eſſe cogitent, in qua conſideratione ſi diligentius uerſaremur, minus eſſet in uita malorum eorum, quæ noſtra culpa nobis inter nos concilianus. Ideò monitoribus nobis opus eſt, Deum oranus, ne immittat nobis inclementiores quàm nos & Rempublicam ferre atq; experiri utile fuerit.

P P. 3. Calen: Martij.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACademia VVitebergenſi, D. Iohannes Maior Ioachimus, Poëta laureatus.

ERgò tot in caſſum fundi plerunq; labores
Aſpicimus, dum quiſq; ſuæ contraria ſorti
Appetit infœlix, nec iuſſo in munere perſtat
Propria non curans, alienaq; ſegniter urgens
Ah miſer, in neutro quicquam fœliciter auſus.
Maxima pars curis conſumit inanibus æuum,
Nec meminit uitæ exiguæ, immenſiq; laboris
Quem fas haurire ingenio, ſi euadere ad auras
Mente agitat, plenoq; cupit Dei amore potiri
Dulci noticia rerum cœleſtium abundans.
Præcipuus uerò labor eſt in gente piorum
Fundere uota Deo, & dictis conferre uiciſſim

Iudicia, ut ueros possis exquirere ueræ
Doctrinæ sensus, incorruptosq; tueri.
Hæc opera in terris postquam exercemus agendo,
Ne dubitate uiri, medio stat in agmine uiuens
Filius ipse Dei, sancto qui pectora Flatu
Irradiat, penitusq; mouet studia, atq; labores
Adiunctum q; illis cœtũ, & socia agmina seruans
Per mundi casus, & fata extrema gubernat.
Altera sed nuper pars est exacta laboris,
Tunc ubi concilium sanctis de rebus habentes
Contulimus dicta, atq; horum exploruimus artem
Publica doctrinæ quib. hîc monumẽta paramus.
At nunc officij quando pars altera restat:
Hos quoq; cõgressus numero celebrate freqnẽti
Docta manus iuuenũ, cùm sint pia uota ferẽda,
Debitaq; ex merito soluentur præmia honorum
Egregijs uirtute uiris, qui ritè probarunt
Profectus super arte suos, quid cœlica passim
Contineat doctrina Dei, fonesq; sophorum.
Fas equidem alterius surgenti applaudere honori,
Virtutemq; ornat Deus, & uirtute uicissim
Ornari cupit, & dignis sua præmia reddi
Imperat, hinc passim tot honorum nomina, totq;
Clara ferunt monumenta uiris insignibus arte

Qui

Qui populos latè magna ditione gubernant.
Quippe honor ardentes agit ad ſtudia optima rerum
Quarum præſidijs hæc neſcit uita carere,
Diſcendi & ſtimulos acres ſub pectore uertit.
Quarè agite, & pariter cœtum hunc celebrate fauentes
Confeſſi quòd & has in honore reponitis artes,
Queis ſine non poterunt reliquæ conſiſtere fundo:
Tum pia quòd iunctis poſcatis numina uotis
Vt tantis uitæ ærumnis, rerumq; ruina
Sanctum ex hoc numero Chriſtus ſibi colligat agmen
Et ſtudia & ceptos exire impunè labores
Numine concedat placido, atq; hæc docta theatra
Cuſtodes uerbi, ſtabilemq; in ſecula ſedem
Eſſe ſinat, donec redeat magno agmine cinctus
Filius ipſe Dei, magniq; ipſe agminis inſtar
Summus erit cœlo credentum doctor et auſpex,
Et ſocios operum in terris, fidoſq; miniſtros
Imperij uocet in partes, & præmia honorum
Temporaq; inſigni cingat decorata corona
Cõuentu ſuperũ in medio & in agmine diuum
Ante alios ubi docta cohors fulgebit Olympo.
Syderis in morem, aut radiantis imagine ſolis.

Die 28 Februarij.

ANNO 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NOn tantum medicina φαρμακευτικὴ, quæ morbis, sed etiam χειρουργικὴ, quæ uulneribus medetur, utiliter inseruit societati humanæ, & multi Homericum uersum, quo celebratur Medici inter cæteros homines præstantia, de Chirurgis interpretantur, quales fuisse Asclepiadas duos constat, cùm ijdem an φαρμακευταὶ etiam fuerint, quæri soleat, Etsi quantopere Chirurgiæ, quæ est uetustißima, illa altera Medicinæ parte opus sit, facile est æstimare, Vt in hoc genere omne punctum ferat is, qui utraq; facultate instructus est, nam & unus homo præstare utrumq; potest, & ubi se diuiserunt, is laudatur, qui quamplurimum præstat. Exercuit autẽ Chirurgiam apud nos non infœliciter uir honestus FABIANVS SCHVBART Lignicensis, qui & aliquando in literis uersatus cognitionem linguæ latinæ sibi comparauit, & facultatem legendi atq; intelligendi libros eos, quibus in sua arte rectè instrueretur, & hoc modo inter minimè uulgares artifices locum sibi fecit, atq; humanitate, fide, & diligentia in omni officio, professionem ornauit. Hic ex multarum dierum febri heri mortuus

tuus est, ita placidè, ut obdormiscere putaretur. Cùm uerò & propinquitas & populares huius expetant à nobis, ut funus nostra deductione honestemus, hoc officium nostrum negare eis alienum à pietate & humanitate fuerit.

Efferetur autem hodie hora duodecima ex ædibus, quas incoluit, in foro oppidi.

P P. Calend: Martij.

RETCOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IActat ille in Satyra de conducendo Rhetore Thulen agere, Sed quæ nostris temporibus in Septentrione sint, & ultra etiam Thulen huius, doctrinæ studia, quanta ingeniorum ibi copia, & qua felicitate in omni genere doctrinæ uersentur, ante oculos est interq; manus nostras, cùm & in illis locis multas esse præclarissimè constitutas scholas sciamus, & ad nostrates Academias permultos inde discendi cupiditate excurrere uideamus, atq; ita apud nos uersari pleroſq; experiamur, ut profectus memorabilis laudem alijs præripiant.

Venit autem ad nos superioribus annis ex insula maris Balthici Sclandia, quæ hodie pars

est incliti regni Daniæ, cuius Cherſoneſus antiqua Cymbrorum ſedes est. Inſulæ autem illius portus, & princeps ciuitas Haunia, ſede regia & Academiæ nomine celebris est. Ex hac igitur ora patriæ ſuæ ſtudiorum cauſa in noſtram Academiam migrauit doctiſsimus iuuenis, pietate & uirtute præſtans, ANDREAS NICOLAVS, & in hac ita uixit, ut ſummos in ſtudijs Philoſophiæ honores conſecutus ſit, & optimarum artium Magiſter publicè renunciatus, & propter pietatem & doctrinam ſuam carus fuerit omnibus. Hic cum iam maturaſſet ad nauandam operam Eccleſiæ & patriæ, occulto iudicio Dei ex hac uita euocatus heri deceſsit. Sicut autem antehac uita inculpata probauit δεσπέσαν ſuam, ita hoc extremo tempore ſuo fidem in Filium Dei religiosè ſuis profeſſus, ſeq; conſideratione dilectionis huius erga genus humanum ſuſtentari, omnibus etiam publicè docentibus, & qui priuatim ei beneficiſſent, gratias agi mandauit, atq; hoc modo pietatem ſuam erga Deum & homines moriens fuit teſtatus. Huius igitur funus ut ſcholaſtici & cæteri noſtri frequentes deducant, eos hortamur, quod efferetur hodie hora quarta ex ædibus D. Pharmacopolæ. Cumq; in feſtam Academiæ diem incidat, qua Magiſtri Philoſophiæ

phiæ renuncianmur, eo ualere hoc debet, ut commonefiamus ita uitam degendam esse, ut & ad exitum salutarem instruamur, & uiuentibus nobis et mortuis glorioſa ea esse poſsit, quomodo funeſtam hanc diem reddi grauc nemini, utile omnibus fuerit.

P P. 6. Non: Martij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

AMultis iam annis pietatem suam & studium ardens eruditionis & doctrinæ declarat constante affectione erga Academiam noſtram celeberrimam Transyluanorum natio, qui Ptolemæo Iazyges Metanastæ, & à quibuſdam Daci mediterranei esse putantur, atq; ab ijs Dacis, qui uersus Istri ripas sunt, & Alpes accolunt ita diſcriminari, ut Transyluani cognominentur, cùm à ſitus & loci ratione hoc cognomentum factum esse manifeſtum ſit. Est & ad Albam Iuliam adhuc locus, qui nomen habet Hozyg, quod ad Ptolemaicam Iazygiæ appellationem alludit. Vbi & multa monumenta Romana extare adhuc dicuntur, & nomiſmata uetcrum effodi, & rudera atq; ruinæ ibidem apparere eiuſmodi, quæ magnas

magnas ibi extructiones aliquando fuisse doceant. Hæc igitur siue Dacia siue Iazygia Transyluana, cùm ab antiquo Romanorum & Sarmatarum colonijs occupata fuerit, posterioribus temporibus peculiares principes habuit, & ex his ultimum Gyulam, qui Vngariæ regis Stephani auunculus fuit, & ab hoc Stephano, quod bellum ei propter religionem intulisset, ditione expulsus est, ante annos plures quingentos quinquaginta, atq; ita Vngariæ regno tum adiecta est prouincia, quo eodem tempore simul à Scythica religione ad Christianam, eiusdem regis Stephani pietate atq; opera conuersa est. Hic enim primus ex Regibus Vngariæ Christianus factus, Imperatoris Henrici II. cognomento Claudi & Sancti, sororem Giselam in matrimonio habuit, eaq; occasione in illa loca religio Christiana peruenit. Hodie autem, cùm Ecclesijs nostris in ueritatis cœlestis professione sincera coniuncta Transyluania, & domi in optimis artibus & disciplinis suos educat, & de tàm longinquis locis in Scholas publicas Germaniæ nostræ ad discendam doctrinam Ecclesiæ & uberiorem ingenij cultum eos ablegat. In nostram quidem Academiam de remotioribus locis maiore numero & frequentius hactenus nulli commeant quam Transyl-

ni. Ex horum gente oriundus honestus iuuenis STEPHANVS ROTH, patria Cibiniensis: quod oppidum unum est de septem Saxonum, à quibus regio Septemcastrensis appellatur, & à Cibino fluuio nomen habere uidetur, ad cuius ripas non est alius locus nobilior: Inde igitur ante paucos menses ad nos uenit, & quòd in aëre & diæta apud externos, ut fit, scabies eum occuparet, impatiens huius, sine consilio Medici, & nondum purgato sanguine, & ea medicamenta adhibuit, quibus hæc naturæ expulsio reprimeretur, itaq; quòd eijcere conata fuit, intrò repulsam magis corrupit sanguinem, & eiusmodi morbum in corpore commouit, quo natura oppressa ægrotus extingueretur, cùm mensem fermè grauiter decubuisset. Quæ monendæ etiam adolescentiæ causa significamus, ut in ualetudine curanda cogitantior sit & cautior. Decessit autem heri placidè, in confessione fidei, & sepelietur hodie hora 12. Itaq; & Scholasticos & cæteros nostros hortamur, ut ad deductionem funeris ante ædes N. N. Collegio uicinas, indicato tempore conueniant. Cumq; erga omnes consortes fidei hac in parte officiosos nos esse Pietas iubeat erga tales tamen hospites, cur magis esse debeamus facile intelligitur, & quod lex uetus præcipit hospites

honestos

honestos εὐφημῶς καὶ οἰκείως προσδέχεσθαι καὶ ἀποστέλλειν, hoc nos non tantùm uiuis, sed mortuis etiam studiosè præstemus.

PP. 8 Id. Martij.

STVDIOSIS SACRÆ THEOLOGIÆ.

HOra tertia ordiemur usitatam hoc tempore repetitionem Psalmi 22 de passione, morte & resurrectione Domini nostri IESV CHRISTI, et eius æterno sacerdotio ac regno. Afferant igitur auditores animos sobrios ad tantarũ rerũ cõsiderationem, nõ ebrios uoluptatibus, & cogitemus, cùm Filiũ innocentẽ propter mea & tua peccata, aliena, non sua, ita horribiliter castigauerit Pater, quanto horribilius puniturus sit nos reos & nocentes, non agentes pœnitentiam propter propria peccata. Sit igitur in hoc Filio pro peccatis nostris crucifixo, in conspectu horribilis ira Dei aduersus peccata nostra, & totius humani generis, ut flectamur ad pœnitentiam. Sit item in hoc Filio propter iustificationem nostri resuscitato in conspectu immensa misericordia æterni Patris erga nos, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit

credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Postremò cogitetur & hoc dictum Pauli: Charitas Christi constringit nos, iudicantes illud, quòd si unus pro omnibus mortuus fuit, Ergò omnes mortui fuerunt, & pro omnibus mortuus est, Vt qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.

Die 5 Aprilis.

Georgius Maior D.

AGON CHRISTI.

Nimirum hos nobis casus, hæc fata canebat
Christe tua, & Solyma luctus super urbe futuros
Sacharias uates, docuit post exitus ingens
Cum turba aspiceret rorantẽ sanguine & unda
Transuerso in ligno, plantasq; & utrosq; lacertos
Distentum, et magna Patrẽ cũ uoce uocantem,
Ne uerò Deus, alme Deus, ne desice Nato,
Desertus ne adeo tibi, nec mea uulnera curas.
Nil nostri miserere, mori sed deniq; cogis?
Et nati casum hunc oculis Pater aspicis æquis?
Omnia compleui, id rebus nunc defuit unum,
Fata uocant, eia extremum Pater excipe flatũ.

Tum

Tum uerò Solymam incendebant luctib. urbem
Matres atq; uiri: resonabat planctibus æther
Non aliter quàm cùm duri in certamine Martis
Iosias tristem oppeteret de uulnere mortem
Inter & Adremmon, tuáq; inter rura Megid-
don,
Flebant ingentem, atq; ingenti uulnere uictum.
Lamentis, gemitúq;, & fœmineo ululatu
Castra fremunt, scindũt uestes, laniãtq; capillos.
Hîc uerò exuperat dolor, & lõgè altior exit
Dum causſas iræ ingentes in crimina nostra
Mente agitant, iræ, quæ tàm caput extulit alte,
Vt mortem Nati unigenæ precium esſe reatus
Ipſe Pater uellet, nulloq; à ſanguine ſacro
Placari, niſi Chriſte tuo, quod deniq; fuſo
Iuſticiam ille ſuam rigidam, immotamq; per æuũ
Expleri cuperet, factisq; & morte rependi
Debita neglectæ, Natiq; cruore redemptos
Non alio precio Deus inferiore uolebat.
Quin agite, ac altè perpendite, quàm dolor
ingens
Tentauit Dominũ, & luctam cũ corde peregit,
Vt ſeſe abiectum uocat, & ſine luce relictum.
Stabat acerba gemẽs Mater, Soror additur unà
Spectatrix fati, tantarum & conſcia rerum
Corda gerunt, norũt quid agatur funere in illo
Languentes deſiderio pro ſorte futura,

Et

Et Nati reditus, expectatosq; triumphos
Attonitis inhiant animis, certamq; secant spem:
Imò in corde tamen tantus dolor æstuat illis,
Penè omnis fidei scintilla ut uicta fatiscat.
Quin & mœsta suum ostendit Natura dolorem
Extincto genitore suo, Sol ordine uerso
Officium mundo negat, & se subtrahit orbi,
Datq; animum in luctus, & tanti conscia fati
Terra tremit, rumpitq; sinus, & murmure tristi
Pertentat mundum, penitus ui deinde dehiscens
Infernas aperit sedes, & functa sepulcris
Corpora sancta Patrum desuetam emittit ad auram.
Non equidem hæc sine mente Dei, sine numine fiunt,
Dum nos ira Dei doceat pro labe dolere,
Quam non admissam dum tu pie Christe lucbas,
Aspera saxa tuo doluerunt fissa dolore,
Nos saxis gerere his corda asperiora, nefandum est.
Sed iuuat hanc propius fatalem inquirere luctam,
Quà primùm iratus Pater, et lex ardua Patris,
Culpaq; mortalis, tortorq; immanis Auerni,
Fœdaq; Mors dirum intendens lethaliter ictum
Se Christo obijciunt hostes, præsensq; minantur

Exitium: huic triſti correpunt membra pauore,
Sanguineusq; fluit toto de corpore ſudor.
Nox erat, & terras animantia feſſa per omnes
Depoſitis curis reparabant membra quiete:
Ecce Dei Natus ſeſe nocturnus agebat
Cydronis ad riuum, & mortis iam fata propinquæ
Voluebat, ſanctoq; uiam ſermone leuabat,
Palantes ſocij fuſo ut Ductore ferentur
In diuerſa uiæ, cœtu, numeroq; ſoluto,
Quos uictor ſuperas ut primum ſurget ad auras
Agmine compoſito coget Galilæa per arua:
Atq; ita Sachariæ uatis prædicta recenſet.
Ventum erat ad pingui conſertum Pallade montem
Sub cuius radice uirens ſeſe extulit hortus
Delitias Domini, qua luce & nocte precatum
Aßiduè uenicbat: ibi hunc pro tegmine inibat,
Nam nec quà poſito ferret ſe uertice habebat.
Omen ineſt rebus: Si læta Pallade fœtum
Intramus montem, pacataq; crimine mens eſt,
Et Flatus ſacer, ipſum oleũ quod pectora ſanat,
Fulcit ope infirmos, tum rectis uota ferunur
Paßibus, & cœli nubes, & ſydera tranant.
Interea ſocios octo in conualle relinquit
Anxius, ipſe tribus graditur comitatus in hortũ

Qui

Qui rutilos uultus, & maiestatis honorem
Spectarant in monte sacro, nunc sortis eosdem
Afflictæ testes, & uilis imaginis optat. (fata,
Ergò horti in medio ingreditur sua tristia
Sicut Adã in riguo quondã nos perdidit horto.
Multa sed hic passus, dum Patris sustinet iram,
Irarum, & fluctus in sese transtulit omnes.
Namq; quiescenti similis, penitusq; latenti
Maiestas Verbi diam non exeruit uim
Ad tempus, pressisq; latens sese abdidit armis.
Hinc iræ sensu, & nostræ præ pondere culpæ
Soluitur in luctus, & mẽs formidine tristi (gra,
Cõtrahitur, prõptãq; animã caro strangulat æ-
Genua labant, & corde cruor per membra re-
pulsus
In guttas resolutus abit, tum pectore sensus
Vertuntur uarij, nec uim uitare potestas,
Cunctaturq; metu, lethumq; instare tremiscit.
Occurrunt diræ facies, inimicaq; culpæ
Numina magna Dei: mors plurima obambulat
artus,
Ora modis pallent miris, stant uerba palato,
Arrectæq; horrore comæ, cor liquitur æstu,
Intus & assiduò curarum tunditur ictu,
Exterius quatit ossa tremor, uigor omnis in
auras
Exhalat, mors atra caua circumuolat umbra.

Sternitur hinc toto proiectus corpore terræ
Deficiente animo: casu tremit excita tellus,
Semianimesq; micant artus, collapsaq; membra.
Irarum hunc fluctus omnes, ceu magnus aquæ
mons
Magna mole premunt, hic omnia sustinet unus
Crimin. ſupplicium q; ſuo cum ſanguine pendit.
Continuò ad ſeſe ſocios uocat, atq; ita fatur:
In me omnis collapſa animæ uis, triſtis ubiq;
Luctus, ubiq; pauor, & plurima mortis imago
Quæ luctãtem animã, nexosq; reſolueret artus,
Ni uires ſors omnipotens daret, abditaq; intus
Stirps mihi mortalem ſuſtentet diua figuram.
Sed uos qui mecum caſus manſiſtis in omnes,
Durate, & ne me, ne in tanta pericula miſſum
Linquite me ſolum, aut ueſtros ſubducite uultus,
Orandum eſt, ne ſollicitis ſpes excidat omnis
Tentatura animum uobis, capturaq; mentes.
Qui miſer eſt, non ille hominum conſortia uitet,
Damna feret leuius fido quæ credit amico.
Hæc effatus, & in uerbo ueſtigia uertens
Euolat à ſocijs, & flexo poplite fertur
Ad terram, fundẽsq; preces terræ adplicat ora,
Talés inde ſuo rumpebat pectore queſtus:
Eripe me genitor, finemq; impone labori,
Ærumnæ exhauſtum ſatis eſt, quin protinus
auſer

Si

Si fas est genitor, quæ deinde pericula restant.
Ipse dehinc ab humo surgit, sociosq; reuisit,
Et Petrum aggreditur qui forte ingenua membra
Fusus humi, toto proflabat pectore somnum,
Petre, refert, potes hoc sub casu ducere somnos,
Non agere excubias noctem nõ amplius unam?
Non hoc ista sibi poscit nunc ocia tempus,
Cernis quæ miserũ circumstet turba malorum?
At non ipse animi infelix, non lumine somnos
Accipio, ingeminant curæ, rursusq; resurgens
Ira Dei immeritum torquet: nec plura locutus
Defecit luctu, & terram prono ore momordit.
Atq; illi in media lucta celer Alces ab alto
Occurrit cœlo, & dictis mœstum erigit ultrò.
Nec mora, nec requies, rursum uelut agmine facto
Mors audet cum gente Erebi, nigroq; Tyranno
In Christum glomerare manum, & concurrere bello.
Verus at Israël lucta congressus acerba
Stat mole opposita, et manet indeiectus ad iram
Horribilem Patris ætherei, uincitq; precando,
Fidendo, & uictor spolia ampla ex hoste reportat.
Quis potis est tantã pollenti pectore luctam
Fingere pro rerum grauitate, & põdere facti?

Mortis amaritiem saltem contingimus ipsi
Labrorum tenus, ille omnem perpotat abundè.
At guttæ indicium fecerunt triste doloris,
Sanguineæ guttæ monumenta ingentia luctæ
Ingentis luctæ, qua demum victor ad auras
Euasit superas, quanquàm cor tabuit hausto
Humore, aut testæ arentis, uel graminis instar.
Iamq; reuersus erat, somno uidet esse sepultos
Denuò, & alloquitur: Nam quæ uos tanta resoluit
Demde quies tanta rerum iam instante ruina
Turbine correptus quando ferar ad uada lethi.
Surgite, & hic mecum uotis pia nectite uota,
Et procumbite humi prostrati, & tendite palmas,
Hostis adest, eia, date uota, & fidite uerbo,
Neu uinclis trepidate meis, ego victor Auernum
Eruam, & æqua solo fumantia tartara ponam.
Tertia lux simul os terris ostendet honestum.
Ingentes stygiæ spectabit cædis aceruos.
Fidite ne pedibus, quãquam facienda per hostes
Est uia, & excipient manib. atq; in trabe figẽt,
Non omnis consumpta salus, victoria restat,
Arma parate animis, & spe deducite bellum.
O Patre nate Deo patrium qui Christe furorem
In te uertisti nos ut clementia rursus
Excipiat,

Excipiat, faueatq; reis, iramq; parentis
Supplicibus superas uotis, tuaq; alta trophæa
Nostra facis, medio tu fessis turbine lethi
Affulge, ut tenebris nigrescere singula circum
Incipiunt, conditq; natantia lumina somnus,
Aspera tu pro me succede in prælia lethi,
Vicisti mortem, & uictam sine acumine teli
Vlterius uidêre, tua est uictoria mortis.

Iohan: Maior Ioach: D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

INgentis dilectionis in Deo erga genus humanum argumẽta habentur præcipua, quòd & illa æterna atq; infinita mens, extra omnem naturam & corporum concretionem, infinitæ potentiæ, bonitatis, sapientiæ, effectrix et causa omnium quæ creata sunt & condita, hanc massam carnis nostræ certo tempore assumpsit in Filio, & creator creaturam induit, & in hac natura nostra cruciatus grauissimos & mortem ignominiosam subijt, & factus est κατάρα æterno Patri, ut genus nostrum à morte & maledictione, in quam fraude Diaboli inciderat, liberaret, & imaginis eius, cum qua condi-

tum est, integritatem in hoc instauraret, & uitam ei repararet. Hic enim Filius Dei à condito mundo cum genere humano se paulatim coniungere cœpit, & cum patribus locutus est, & familiariter uersatus, donec tandem completo tempore eo, quod præfinierat, carnem nostram prorsus assumeret, & in hac ea perficeret, quæ diximus. ἡ γὰρ ἀγάπη τὸν θεὸν λόγον ἐπὶ γῆς ἀεὶ παρόντα ἐλθεῖν διὰ σαρκὸς ἔθυ σώπησεν. Hanc dilectionem Euangelium Iohannis & Paulus Apostolus celebrat, cuius dilectionis atq; beneficij magnitudo, etsi tanta est, ut neq; animo concipi, neq; uerbis comprehendi, neq; admirando hanc saciari pietas possit, Multo tamen & maius esse argumentum uidetur φιλανθρωπίας diuinæ, & admirabilius, Filium Dei peracta hac tanta re æterni consilij sui de redemptione generis humani, naturam assumptam non deponere, sed ei placere, ut in omnem æternitatem hanc retineat & conseruet, neq; hæc cũ genere nostro coniunctio ipsius unquàm ut dirimatur, & is homo, qui pro nobis cruci affixus, & hoc corpus, quod mortem & cruciatus & uulnera pertulit, & immortalitatem corpori nostro recuperauit, ad omnes electos extent monumentum æternum rerum maximarum, quod intuentes æterno gaudio, & uoluptate

ptate non desinente, compleantur. Ita igitur post cruciatus perpessos superata morte ad immortalitatem resurrexit Filius Dei, uerus Deus & homo, Iesus Christus, & imbecillitate tantum carnis nostræ deposita, proprietatem huius discipulis suis & fidelibus alijs ostendit atq; declarauit, & postea in cœlum intulit, ut hoc iter aperiret, & hanc sedem conciliaret omnibus credentibus in eum, & seruientibus ei pietate uera, quos & ministros suos uocat, & ibi esse uult, ubi ipse est. His duabus rebus, resurrectione in uitam & in cœlum ascensione Christi, fides nostra consumatur, & salus absoluitur, neq; enim in morte retineri eum oportuit, qui uictor mortis, & eorum, quæ hanc intulerunt, esse debuit. Huius uictoriæ argumentum primum est, in uitam reuersio eius, qui mortem & cruciatus pro peccatis nostris subijt. Atq; hic quidem fidei apex est, nam ei, qui mortem superauit, & quod cõsequens est peccatum (cuius illa ὀφείλημα est) debetur sedes cœlestis, quæ ab æterno præparata est generi humano, sicut scriptum est Matth. 25. & reparata morte Christi, ut in resurrectione Christi contineatur omnis fiducia salutis nostræ, & spes uitæ melioris, quæ post hanc uitam contingat credentibus Euangelio, atq; ita religio nostra uniuersa. Qualis

igitur fides & religio fuerit eorum, qui Synesium & baptisarunt, & Episcopum fecerunt Ptolemaidos, quæ priscis Barce est, cùm nondum crederet resurrectionem mortuorum, nos quidem non intelligimus, de quo cùm Synesius quadam Epistola sua profiteatur aliquanto commodius, Euagrius tamen hoc literis mandare ausus fuit, & causam huius rei ita exponere, ut non uideatur improbasse, quòd inter cætera multa proponere ijs possumus, qui negant unquàm fuisse errores in Ecclesia. Quia uerò resurrexit Christus, demonstrauit esse resurrectionem, quam profitetur fides nostra, & Apostolus hoc modo argumentando concludit: Itaq; caro nostra exuta omni mortalitate atq; imbecillitate talis futura est, qualem iam gestat Filius Dei. Hoc, ut iterum dicamus, partum est nobis cruciatibus & morte Filij Dei, & ueri hominis Iesu Christi, & perfectum resurrectione huius. Eaq; uirtus atq; efficacia huius statim se, sub ipsum tempus huius, exercere cœpit, ut prodirent corpora sanctorum de monumentis ijs, quæ moriente Christo aperta fuêre. Quam collationem æternæ salutis nostræ suauissimis imaginibus adumbrauit nobis eadem φιλανθρωπία Dei, agno paschali, cuius sanguine auertitur percussio angeli, ut transeat, & traductione gla-

glorioſa populi ſui per mare rubrum ſinus Arabici, cùm educeret hunc ex Ægypto in terram promiſſam, Ante quem exitum Paſcha primum, id eſt, ſolenne feſtum tranſitus huius, celebratum eſt anno à condito mundo, conſentiente de Hebræis rationibus calculo omnium, 2453, à quo tempore primi Paſchatos uſq; ad Chriſtum natum, aliqui ita conſummant tempora, ut numerent annos 1507, alij duobus, alij tribus annis plus numerant, Ita Paſcha uetus celebratum eſt ad minimum per annos 1541, cùm Chriſtus noui fœderis Paſcha inſtituerit, & agni paſchalis ἀντίτυπον ſe exhibuerit, anno uitæ in terris ſuæ 34 uertente. Inde hoc nouum Paſcha celebratum eſt deinceps per annos 1528, ut hic annus uertens, qui eſt ab initio mundi ad minimum 5523, Paſcha noui fœderis reducat milleſimum quingenteſimum & uigeſimum nonum, atq; ita deſunt tantùm anni 12, uel ad ſummum 15, ut exequentur inter ſe tempora celebrati utriuſq; Paſchatos, noui & ueteris, qui cõplebuntur circiter annũ Chriſti 1575. Tantarum rerum memoria cùm his feriis Paſchalibus in Eccleſia peculiariter celebretur, uacare nos par eſt uniuerſos, ut aliàs ſemper, ita imprimis hoc tempore, cõmentationibus de his miniſterij Eccleſiaſtici publici & priuatis

priuatis nostris, ut cogitemus eò, ubi sedet Filius Dei ad dextram Patris, inq; his commentationibus & fide resurrectionis nostræ, præstemus officia pietatis & caritatem nobis inter nos debitam, atq; in nobis & alijs parcamus ci carni, quam gestat Filius Dei, & quæ in hac uita templum Dei esse in pijs incipit, Parantes nos hoc modo πρὸς τὴν ἀπάντησιν τοῦ Χριστοῦ καὶ τὰ τῆς μεγάλης ἡμέρας τῆς ἐπιφανείας αὐτοῦ. Complectitur enim per se resurrectionis recordatio, & postulat à nobis considerationem eius diei, qua aperientur cœli, & ostendet se de cœlis iudex, & audientur tubæ Dei, & resurgent mortui, & fiet iudicium iustum, & reddetur unicuiq; pro opera sua, quod debebitur. Qua consideratione facile repelletur omnis cogitationum & factorum lcuitas & immundicia. Et qui his rebus non mouentur, ijs quid amplius dici possit non uidemus. Cùm autem in more sit huius Ecclesiæ, ut ad diem Paschatos oblato munere ad aram declaret ordo noster reuerentiam suam erga ministerium Ecclesiasticum. Hortamur nostros uniuersos, ut hoc officiosè præstent.

P P. 4 Id: Aprilis.

IN

ANNO 1563.

IN HELENAM EVRIPIDIS.

AVspicabimur ad diem Iouis proximum, Deo iuuante, interpretationem Helenæ Euripidis, cuius Tragœdiæ inuentionem et dispositionis Oeconomiã homines docti uehementer admirati sunt, mirabilis in ea uarietas est, & multũ ingenij ac doctrinæ. Fingit Helenam in Ægyptum abductam, & eius umbram seu nebulam à Paride raptam, eamq; tanti belli & tantorum motuum causam fuisse, cùm inter se duæ partes orbis terrarum tot annos durissimo bello collisæ sunt, nec tertia immunis ab hoc luctu fuit. Quid uerò uoluerit Euripides hac imagine significare, satis adparet, Nam causæ maximorum motuum & perturbationum in mundo plerunq; leues sunt & friuolæ, nonnunquam etiam uel prorsus uel propemodum nullæ. Sectantur homines inanes umbras, sicut Narcissus imaginis in aqua uisæ amore contabescit, Et dum furiosa cæcaq; cupidine illam Helenæ speciem ex nebula factam prehensant, fit, ut sæpè et sibi et multis alijs patriæq; exitium accersant, κακὰ γὰρ ἐπίσασθαι πλείω τῶν δεινῶν λάτρω, Helenæ species est, quæ hominum mentes dementat, & in errores abripit, Verè enim dictum est:

Si

Sic pereunt homines, Heleuæ ſua cuiq; cupido eſt,
Hei mihi quàm multis exitio illa fuit.
Tu uerò fugito, Chriſtumq; in uota uocato,
Qui uitat laqueos, hic ſapienter agit,
Incolumem ſic te cœleſtis cura parentis
Præſtabit &c.

Partes in hac fabula ualdè illuſtres ſunt, & uix ulla alia ſententias grauiores habet. Quid enim dici poteſt grauius? quid dulcius? quàm quod hic Theonoe ait, ſibi ſacellum iuſticiæ diuinitus conditum eſſe in pectore. Sic enim inquit:

Eſt mihi iuſticiæ, ſacratum in corde ſacellum,
Illius eſt ſolus conditor ipſe Deus.

Nos uero hoc addamus:

Vaſtari hoc templum prohibe mitiſsime Chriſte,
Fœdari ſedem ne patiare tuam.

Sæpè mecum miratus ſum, tantam in pectore homimis Ethnici lucem eſſe potuiſſe, ſed Deus hac benedictione dignatus eſt Iapeti poſteritatem propter pietatem erga parentem. Non dubito, quin huius fabulæ explicatio iucunda futura ſit liberalibus ingenijs. Ego, quod ad me attinet, fidè, ut ſpero, & diligentia audito-

auditoribus satisfaciam, nihil enim amplius promittere possum. Deus uobis discentibus & mihi docenti Spiritu sancto suo clementer adsit, ut & uester & meus labor fructuosus sit in Christo Iesu Redemptore nostro, Amen.

14 Calend: Maij.

Vitus VVinsemius D. senior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

REdit iam tertium dies luctuosissima Academiæ nostræ, 13 Calend: Maij, qua ante annos tres ex hac mortali uita ad alteram immortalem euocatus fuit patronus, præceptor & parens noster Philippus Melanthon Vir CL. cuius merita erga hanc Scholam, Ecclesiam Christi, & bonas literas, atq; adeò studiosos ueritatis & eruditionis amantes, in toto orbe terrarum uniuersos, qui iam uiuunt, aut in hanc uitam nascentur deinceps, memoriam & celebrationem merentur atq; reperient sempiternam. Quæ ut nostro loco solenniter præsti-

præstemus, qui hoc ingente bono peculiariter præ alijs, & domestico atq; familiari, usi sumus: nunc tertium ei ita parentabimus, ut publicè de ipso Orationem haberi curemus, qua admoneamur de beneficijs, quæ per ipsum Deus terris contulit, & gratijs pro his agendis, & conciliati boni custodia commendetur suo loco unicuiq;. In qua parte pietatis laudem erga Magistrum suum aliquoties iam alijs præripuit, unus ex præstantissimis nostri temporis Poëtis, & uctcrũ laudi proximus, D. Iohannes Maior, Collega noster, qui hanc prouinciam solennis & anniuersariæ celebrationis talis, in se bis recepit, & hoc anno tertium sibi deposcit. Confidimus etiam deinceps, quàm diu hæc Schola stabit, nunquàm defuturos, qui hoc munus cupidè & studiosè obeant: uniuscuiusq; tamen fidem & officium tempus ostendet atq; declarabit, cui nostro loco reseruamus cætera. Hortamur igitur Scholasticos, ut cras hora nona ad audiendam Orationem D. Maioris in schola noui Collegij conueniant, hancq; operam dent pijs manibus præceptoris sanctissimi, cuius memoriæ piæ illa dies ab Academia nostra consecratur.

PP. 14 Calend: Maij.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Mortuus est hac nocte uir optimus & doctißimus, & optimarum artium Magister, MICAEL IACOBVS Ascanienſis, qui cùm ſe præcipuè earum diſciplinarum ſtudijs dediſſet, quæ excellenti nomine à Græcis μαθήματα appellantur, tantùm in his profecit, ut in his docendis operam nauare Scholæ noſtræ potuiſſet, præſertim cùm Græcæ linguæ ſcientia præclarè eſſet inſtructus. Et conſtituerat ille Euclidem totum, & initia doctrinæ motuum cœleſtium publicè legere, ſi uita ſuppetiiſſet. Sed & animi contentione perpetua, & diæta non optima, & quod corporis etiam κράσις talis eſſet, morbum contraxit melancholicum, quo extinctus eſt, antè tamẽ, quàm caput & cerebrum ille occuparet, & mentis ibi actiones ὀργανικὰς perturbaret. Itaq; & mente integra permanſit uſq; ad extremum halitum, & pietatem ſuam atq; fidem in Filium Dei multis ſuis ſermonibus declarauit, & commemoratione ſententiæ apud Iohannem: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret pro peccatis huius &c. (qua ſententia re-

ligionis noſtræ ſumma comprehenditur) huius igitur recitatione uitam ſuam clauſit. Sed, Omnia tum bona ſunt clauſula quãdo bona eſt. Etſi autem dolemus hoc bonum præreptum eſſe rei ſcholaſticæ & ſtudijs communibus, ipſi tamen M. Iacobo noſtro gratulamur ſalutarem exitum, & pro hoc Deo gratias agimus, cùm quæ res aut ſpes his moribus & temporibus uitam iucundam reddere poſſit, non uideamus. Efferetur autem hodie hora quarta ex ædibus honeſti ciuis Matthæi Kirchhoffs. Itaq; Scholaſticos & cæteros noſtros hortamur, ut indicato tempore ad funeris ceremonias conueniant.

P P. 10 Calend: Maij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VEnit in hanc Scholam ſuperioribus diebus, adoleſcens bonus & diſcendi cupidus, PETRVS STADLERVS, natus in ditione Tirolenſi, & 4 Calend: Aprilis profeſſus apud Rectorem nomen ſuum, cùm propter egeſtatem domeſticam ſuis hic ſumptibus uiuere non poſſet, commoditatem expectauit condi-

conditionis, qua sustentaretur, Interea capitis doloribus correptus, grauiter ægrotare cœpit, cumq; eum malè curaret paupertas, in ualetudinarium nostrum receptus est, Vbi nihil omissum fuit omnium, quæ ad corporis & morbi curam pertinuerunt, Sed & malum iam inualuerat, & noua symptomata acciderunt, ut natura succũbente heri mortuus sit sub horam nonam uespertinam. Ei hodie hora quarta Academia funus faciet, quod Scholastici ut prosequi uelint, eos hortamur. Cumq; hic alter sit, cui intra bimestre spacium in ualetudinario nostro ex publico sumptus dati sunt, quorũ prior, Deo iuuante, euasit, superato morbo non minus periculoso quàm Stadleri huius fuit, quod tempori eo delatus esset, atq; ita curando aliquid profici posset. Hæc igitur cùm ita se habeant, simul hoc etiam hortamur Scholasticos, ut Elcemosynas suas benignè conferre uelint ad hanc curam pauperum in ordine nostro, quando iterum hæ à Rectore nouo colligentur. Et ut posthac de ijs, quibus publico hoc beneficio opus est, ut in ualetudinarium recipiantur, De his igitur ut tempori significent, ne mora periculum augeat, quo grauis culpa contrahitur, Et per se in ualetudine hominis nihil paruum est, nihil contemnendum.

P P. 6 Calend: Maij.

ANNO 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERgensis.

ETsi leges & Statuta uniuersitatis scholasticæ nostræ, de studijs & uita eorum, qui in hac uiuunt, typis expressa in medio sunt, & lectioni patent omnium, Vsurpatur tamen solennis & publica recitatio horum, ut & adducantur hoc modo ad lectionem Scholastici, & occasio sit commonefactionum, quas tempus & disciplina publica quoquo tempore requirit. Hanc recitationem fieri curabimus ad meridiem hodierni dici, id est, mox hora duodecima, ad quam uolumus et postulamus, ut omnes nostri in noto, & ad huiusmodi cœtus destinato loco conueniant, Et ut aliàs priuata lectione, ita tum de uocc recitatoris publici leges scholasticas, & commonefactiones etiam necessarias nostras audiant atq; cognoscant. Ita & officium debitum Magistratui unusquisq; præstabit, & curam studiorum cõmunium & disciplinæ suam declarabit, & res eo ctiam ualebit, ne quis ignorationem in hac parte aliquam prætexere culpæ possit, quæ & non excusat, & per se est turpissima. Cætera suo loco reseruamus.

P P. 7 Calend: Maij.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

SIcut cæteris communitatibus ciuilibus ita etiam Scholasticis nostris Magistratu opus est. Atq; existimari posset, quòd per se est consentaneum, Scholasticos magistratus minus habere difficultatis & laborum, cùm gubernationi præsint eorum, qui pietatis & uirtutis atq; optimarum artium studium profitentur. Qui tamen hos gerunt atq; administrant, ij quales sint, experiuntur. Et quæ sint tempora, qui mores, ante oculos est, quorum peruersitati se opponere, & cum his pugnare, non est neq; laborum neq; periculorum expers. Et accedunt difficultates aliæ. Scholæ autem præcipua pars sunt Ecclesiæ, & sine institutione longa, sine literis, linguarũ & artium cognitione, & uaria atq; copiosa doctrina, neq; pastores in Ecclesia salutares fieri possunt, neq; religionis ueritas conseruari, neq; ciuilis societas consistere. Inde unicuiq; ratiocinari licet, quantum & religioni & Reipublicæ intersit pias scholas saluas esse atq; incolumes. Hoc uerò sine consilio gubernationis rectæ fieri non potest.

Cùm igitur legibus Academiæ craſtino die Rector nouus creãdus ſit, qui præſit rei ſcholaſticæ hoc ſemeſtri æſtiuo. Hortamur noſtros uniuerſos, ut cras hora 6 in ædc Arcis ad hæc ſcholaſtica Comitia noſtra cõueniant, & Renunciationem Rectoris noui placidè expectent, atq; pro Eccleſia & Republica preces ſuas cum noſtris coniungant, ut hæc res utriſq; felix ſit & ſalutaris, & Deus nos & ſcholam noſtram benignè tucatur & conſeruet.

P P. Pridie Calend: Maij.

RENVNCIATIO RECTORIS NOVI.

ANnus iam agitur ducenteſimus decimus, ex quo Rudolfus primus, Dux Saxoniæ &c. hoc loco Ædem extruxit, & omnibus Sanctis, ut tum religio fuit, conſecrari uoluit, & Collegium eorum conſtituit, qui ſacris in hac operationibus præeſſent, & publicas preces facerent. Legimus enim in Annalibus noſtris, hæc facta Anno Chriſti 1353. quæ Rudolfi conſtitutio aucta deinceps à ſucceſſore fratre Vinncelao, & Rudolfo Filio, & alijs illuſtriſſimæ familiæ illius, cùm duraſſet annos 149. laudatiſs: Princeps Fridericus III.

&

& Ædem à maioribus fundatam nouæ extructionis huius opere quo nunc conſpicitur, inſtauravit, & ſcholam publicam Academiæ noſtræ in hoc oppidum introduxit Anno Chriſti 1502. ut noui ornamenti acceſſione hoc oppidum & ditionem ſuam uniuerſam augeret, In qua re diuinitus & excitatum & confirmatum animum fuiſſe incliti Principis, res docet. Fuit tum annus nonageſimus tertius, ex quo Academia Lipſica à Friderico primo fundata fuit, qui & primus Septemuiratus Imperij dignitatem à Rudolfi poſteritate ad noſtrorum Principum familiam, quæ eſt Marchionum Miſniæ, translatam accepit. Sub id tempus turbata Bohemia, & bello exorto propter profeſſionem purioris doctrinæ Chriſtianæ, quæ pio ſtudio Iohannis Huſſi tum repurgari cœpit, ex Pragenſi Academia multi diuerſarum nationum ſcholaſtici in urbem Lipſicam confluxerunt, eáq; occaſione Lipſica Academia quaſi colonia quædam Pragenſis Academiæ extitit, Anno Chriſti 1409. Huſſus poſtea anno à fundatione Academiæ illius ſeptimo, cùm à Concilio Conſtantienſi uiuus combureretur, prædixiſſe ſcribitur interfectoribus ſuis, futurum, ut poſt annos 100. facinoris ſui rationes redderent Deo & Eccleſiæ, quam prædictionem eucntus probauit. Sunt

enim à rogo Huſsi uſq; ad introductionem Academiæ noſtræ anni 86. in qua deinceps anno huius decimo ſexto Lutherus ex ijs, quæ Huſſus commouerat, quædam reſumpſit, quæ poſtea explicauit atq; conſtituit, Ita conſummantur anni à morte Huſsi uſq; ad Lutheri curſum incipientem 102. Optimum autem & ſapientiſsimum principem Fridericum noſtrum, quid magis ad Academiæ huius fundationem excitare potuit, quàm boni publici conſideratio, quo patriæ, Eccleſiæ Chriſti, & ditioni Saxonicæ commodaretur, & conſeruarentur ea ſtudia, quibus ad incolumitatem religionis & Reipub: opus eſt? Et obuerſatum tamen animo & oculis ipſius exemplum gentilis ſui Friderici Primi, qui in uicina urbe Lipſica Vniuerſitatem ſcholaſticam ferme centum annis antè fundaſſet, neriſimile, Et hoc etiam ueriſimilius, fatorum, ut loquuntur, arcanam concurriſſe impulſionem, id eſt, ut diximus, incitamē Deo animum eius ad hanc rem commotum, cum & ex ijs, quæ Huſſus diſputando ad populares ſuos commouiſſet, Lipſica Academia extitiſſet, Et, quod nunc poſt euentum intelligimus, propè eſſet tempus, quo Deus caliginem obductam doctrinæ ueritatis remouere decreuiſſet, & producere ad hanc rem atq; excitare non in alijs, ſed in his locis,

per

per quos tanta res ageretur, Aberant enim adhuc tantùm anni 15 ad complendum centenarium ab Huſsi rogo. Tum igitur, cùm in Academia Lipſica duo præſtantiſsimi uiri in quadam Medica quæſtione diſſentire cœpiſſent, (ſicut à ſenibus noſtris me audiuiſſe recordor) & poſtea ad diuerſos Principes ſecederent, illo diuortio horum alter apud Fridericum Saxoniæ Ducem &c. huius Academiæ conſtitutionem adiuuit, & alter ut triennio poſt Francofortenſis uicina fundaretur, perfecit. Qui noſtræ Academiæ operam nauauit, fuit Martinus Pollichius Mellerſtadius, qui idem & Friderici animum confirmauit, cum initia Scholæ ſe non darent præclariſsime. Quare & anno octauo, id eſt, poſt fundationem ſexto, legibus primum & ſtatutis conſtituta fuit. Sed ut eo rem deducam, cuius cauſa hæc narratio inſtituitur, Succeſſor Friderici Iohannes, qui bonitatis laude omnes ſui temporis Principes ſuperaſſe iudicatur, Hic igitur excultus doctrina ueritatis, tandem à Rudolfo fundatũ in hac Æde ſacerdotũ Collegium cum Academia coniunxit, ut unum corpus ex utriſq; conficeret, ante annos circiter 30. quam donationem patris deinceps Filius Iohannes Fridericus, laudatiſsimæ memoriæ, ad poſteritatem firmauit. Ita durauit Rudolphica huius

Ædis & Collegij fundatio annos circiter 176. & postea in scholasticam Vniuersitatem est conuersa. Atq; ita omnibus Sanctis, quibus pietas fundatoris hanc munificentiæ talis benignitatem suam destinauit: Verè iam seruit per annos fermè 50. Quomodo enim de Ecclesia Christi, in qua sola sancti sunt, per totum orbem terrarum, deq; scientia Sanctorum hæc Schola hoc toto tempore mereatur, unicuiq; cogitare in promptu est, nos dicere & nostra uoce proclamare putidum existimari possit.

Sunt autem per se inseparabiliter connexæ Scholæ et Ecclesiæ, & Scholæ pars sunt Ecclesiæ preciosissima, quæ diuino consilio semper additæ Ecclesijs fuere, & adiungi adhuc oportet, quod sublatis scholis & amissis literis, Euangelij etiam lux extinguatur.

Primi in Ecclesia doctores fuerunt patres illi prisci, Adam, Noe, Sem, Abraham, Ioseph, & in politia Mosaica sacerdotum collegium ad tabernaculum quasi schola quædam fuit, unde populus doctrinam petijt, quæ ut in hoc conseruaretur, omnibus temporibus Deus Prophetis excitatis lucem huius accendit, ne unquam extingueretur, quorum in successione seriem repetamus animis à Samuele usq; ad Iohannem Baptistam, post quem Christus docere cœpit, & Apostolorum

stolorum scholam habuit, & 70 discipulorum peculiarium. Acceptum à Christo morem retinuerunt Apostoli, & publicè & priuatim docuere, alibi alij. Sed Iohannis schola illustris fuit Ephesi, ubi domesticos auditores habuit, inter quos Polycarpus fuit, qui postea multos annos Smyrnæ docuit, & Irenæum instituit, qui in Pannonijs & Gallia doctrinam propagauit. Similes deinceps scholas semper fuisse in Ecclesijs frequentioribus apparet. Et Petri & Pauli discipuli aliquot in Germaniã nostram uenerũt, qui doctrinam Christianam in hac eõstituerunt. His successerunt deinceps Canonicorum Collegia & monasteria, quæ magno numero ubiq; locorũ tum fuere condita. A Canonicis tamen postea docendi munus in monasteria translatũ, quæ de causa facile est suspicari. Sed cùm superstitio crescceret, & monachorum ocium ceremoniarum operis impediretur, Scholæ publicæ constitui cœpêre, quas Academias appellant, in quibus omnis diuina & humana sapientia doceretur, cùm sine literis, linguarum & artium cognitione, & uaria & copiosa doctrina neq; pastores & doctores in Ecclesia salutares fieri possint, neq; religionis ueritas conseruari, neq; ciuilis societas consistere. Ita igitur hæc Ædes, & Collegium in hac constitutum, & reditus huius,

huius, in eum usum, quem error temporum intercesserat, post annos à fundatione circiter 170. quasi postliminio reducta sunt.

Ad cuius rei memoriam, & propter perpetuam & non separabilem Scholarum cum Ecclesijs coniunctionem hac Ædc ad Comitia hæc scholastica nuper uti cœpimus, & placuit Senatui Academiæ, ut Rector deinceps in eadem crearetur, & hoc loco renunciaretur, Ad sepulcra nimirum eorum, quibus nostra debemus omnia, primùm ducis Rudolphi, qui Ædem hoc in loco, & Collegium in hac, & pensiones huic debitas, primùm fundauit; cuius ossa ex ædc monasterij Franciscani in hanc translata sunt, & post aram iacent ibi, ubi monumentum uidetis ipsius & coniugis, quæ fuit regis Polonici filia, humile & tenue. Postea ad alterum sepulchrum huius Ædis instauratoris, & fundatoris Academiæ, Friderici Tertij, & Iohannis Primi, qui Rudolfi constitutionem Academiæ attribuit. Et deinceps ad Lutheri & Melanthonis, qui huic Academiæ primum & æternum decus conciliarunt. Ad horum igitur sepulchra hæc illustrißimæ munificentiæ testificatio, & eiusdem usurpatio solennis, quasi in re præsenti ad omnes Sanctos ut fieret, Academiæ placuit.

Quod

Quod fauſtum igitur ſit & felix, & rei ſcholaſticæ noſtræ uniuerſæ ſalutare, conſentientibus ſententijs Conſilij publici creatus eſt Rector Academiæ ad hoc ſemeſtre æſtiuum, Eccleſiæ Chriſti & ſacræ Theologiæ in Schola noſtra Doctor & Profeſſor publicus, D. PAVLVS CRELLIVS, Vir CL. Quem publico nomine & more ſolenni Rectorem renuncio, ut omnes ſubditi iurisdictioni ſcholaſticæ pro Magiſtratu legitimo eum habeant atq; agnoſcant, Et debitam ei obſeruantiam & morigerationem præſtent. Ego uerò, ut debeo, prouinciam hanc depono, & tibi, Magnifice D. Rector, de hac cedo, & hæc inſignia Magiſtratus huius Epomidem Purpuræ ſericæ & ſceptra trado, imò cum ſigillo Vniuerſitatis noſtræ, & libro publico, & clauibus Fiſci, ſuo loco traditurus cætera. Tuæq; fidei rem ſcholaſticam commendo, Et oro propicium Deum, Patrem Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ut gubernationi tuæ, & pijs laboribus atq; ſtudijs omnium in hac Academia docentium & diſcentium, benedicat, & publica & priuata noſtra ad laudem & gloriam ſanctiſſimi nominis ſui, & Eccleſiæ atq; ſocietatis humanæ ſalutarem uſum dirigat, prouehat, gubernet, cuſtodiat & conſeruet.

FINIS.

EPI-

EPIGRAMMA RE-

VERENDI VIRI, ET PATRIS D. Martini Lutheri ſanctæ memoriæ, de Fonte montis Teichelij ad VVitebergam, cuius aquæ in oppidum ductæ ſunt Anno Chriſti 1544.

Nunc primùm editum & de Archetypo manus ipſius expreſſum, ita ut ſequitur:

DE FONTE OREADVM VVitebergenſium.

QVi mare, qui fontes, qui flumina cuncta creauit,
Me quoq; iußit aquæ particulam eſſe ſuæ.
Corpore ſum paruo, ſcatebris exilibus ortus,
Magni, Me, ſed opus, glorior eſſe Dei.
Negligor incultus, diſperſis undiq; uenis,
Et ſqualere ſinor, per loca fœda luto.
Ruſtica, more ſuo, me ſpernunt, turba coloni,
Fons, quibus, haud dignus, qui colar, eſſe pu-
Forſan, ſi propior meliorib. urbibus eſſem, (tor
Fontibus urbanis cultior ipſe forem.
Non mouet Agreſtis tamen hæc iniuria uulgi,
Dimoueor nullis à bonitate malis.
Seruo meas undas puras, nitidasq; miniſtro,
Gratis, ingratis, omnibus æquus agor,

Seruio

Seruio nanq; Deo largo, pincerna benignus,
Gratuito munus largior inde meum,
Non moror, argenti nihil, aut habeas nihil auri,
Hausturus gratis, Diues inopsq; ueni.
Sic Deus ingrato dedit, & facit, omnia mundo,
Cuius ad exemplum, me iuuat esse bonum.

CARMEN IN HORTVM D. EVSEBII MENII, Collegæ & fratris sui charissimi.

Hortus odoratis surgit pulcherrimus herbis
Consitus ante urbem uicinæ ad mœnia portæ,
Quà sedes sacra exuuijs magnisq; Lutheri,
Consortisq; operum fidi, doctisq; Philippi.
Fons scatet in medio sanis uberrimus undis
Occulte medicans scabie liuentia membra,
Cuius ubi experti uires, lymphasq; potentes,
Insignes quondam arte uiri, uatumq; Micyllus
Optimus, & qui se Grynæum uoce ferebat,
Cum sæpè abluerent tepefactis corpora lymphis:
Tum fonti nomen Vatum tribuêre sacrorum
Olim qui fato uires habuêre medendi.

Imminet

Imminet inde ſuper Lenæo germine florens
Ad Solem expoſitus collis, debinc ualle reducta
Depoſitæ ſulcis plantæ, & de matre reciſæ
Excruêre caput mixtis in fronde racemis.
Adde tot herbarum ſpecies, arbuſtaq; læta
Æquis inter ſe ſpacijs digeſta per hortum.
Hic ceraſis locus, hîc cæram ſimulantia pruna,
Caſtaneæq; nuces, & mala Cytonia ramis
Luxuriant, ipſamq; grauant ſua pondera matrem.
Antè aditus uerò domus eſt accommoda Muſis,
Seceſſum & curis quærenti, aut rebus agendis.
Hortus in hos uſus colitur tibi candide Meni
Cum feßi ſtudijs recreamus corpora eundo,
Atq; graues curas ſancto ſermone leuamus
Dum morum, & uitæ laxari frena frequenter
Cernimus, & nuſquam leges, & recta ualere
Conſilia, aut fato urgenti ſuccumbere mentes:
Quandoquidem quibus eſt melior ſententia menti,
Eliſi, ſpretiq; abeunt, aut dicere muſſant.
Aduenient tamen illa dies, qua quemq; manebunt
Præmia pro factis, ſeu recta & improba geßit,
Et meliora pijs uerſa uice currere fata
Incipient, terſæq; genis in gaudia abibunt
Iuſtorum lacrymæ: tunc & gens improba labem

Morte

Morte luet merita, sæuoq; accincta flagello
Tisiphone æternũ pœnas cum sanguine poscet.
Hæc ita, cùm uiridi uestigia ducimus horto,
Solamurq; animos cõpecta ab imagine florum
Quos Pater omnipotens putrefacto è semine in auras
Protrudit sub uere nouo, uarijsq; colorum
Ornat imaginibus, quali non luxit amictu
Rex Salomon, quamuis regum ditissimus esset,
Et dubitamus adhuc an curæ simus, & ullos
Obseruans homines sedeat Deus altus Olympo,
Qui longè flores superamus, queis Pater ipse
Subsidio Natum misit, qui sanguine uitam
Perpetuam referat, cùm flos qui uiuidus exit
Tantum hodie floret, cras nutrimenta daturus,
Materiemq; focis. O qui uiridaria campi
Aspicitis, reuocate animum, & spe pascite mentes
Ecquid larga tuo messis tibi prouenit horto?
Si tantum solamen habes, si commoda tanta
Non magno ex horto, quæ nec uel Adonidis horti,
Aut nemora Alcinoi dederant solatia menti.
Vir erat in Solymis Arimathide natus in ora
Nomine Ioseph us, tanta qui solus in urbe
Conscriptos inter patres comes hasit Iesu
Regna Dei sperans, & uitæ secla futuræ

Cùm mare, cùm tellus, renouãdaq; machina cœli
Corruat, & claras redeant animata sub auras
Corpora, quæ tumulis pridem liquefacta iacebant.
Sæpè illi gelidus circum præcordia sanguis
Diriguit, quoties rabida agmina circumspexit
Consessu in medio patrum, quos gloria Christi
Obliqua inuidia, stimulisq; urgebat amaris,
Dum cernunt latè Solyma increbescere in ora
Nomen & acta uiri, sese & sua sacra uicissim
Concidere, & ueram doctrinæ exurgere lucem.
Ergò hortum arboribus cultum, & benè olentibus herbis
Ante urbem eduxit diuino in monte Moria,
Quò sacri proaui tumulos habuêre frequentes,
Et uita functi placida iam in morte quierunt.
Tectum erat huic horti in medio, pulchriq; receptus
Arte colorati, curisq; ingentibus æger
Huc gressus tulit, hîc petijt solatia uitæ.
Per se pulchra quidem uitæ argumenta futuræ
Hortus habet, uarijsq; micat pulcherrimus in-
Augurijs passim, mutandæq; omina formæ (dex
Ante oculos, interq; manus sunt plurima nostras.
Nã Zephyris resoluta sinũ terra alma quotãnis
Producit fruges quæ iam in tellure latebant

Rura

Rura gelu dũ claudit hyems, dũ læta recũbunt
Germina, cumq; ſuis moriuntur frõdibus herbæ,
Nec ſuus eſt hortis decor, & ſua gratia ruri,
Sub terris enecta iacent inſecta, ſuisq;
Semina putreſcunt ſulcis cumulo obruta arenæ.
At ſimul aſcendens radios iacit ætherius Sol
In terram, et ſparſo reuocat genus omne calore:
Surgite uermiculi, uos ſulcis condita grana
Surgite, & aërias pictum caput ædite in auras,
Aſſuetæ & ripis uolucres, & fluminis alueô
Mos quibus hyberno ſe tẽpore condere in undas,
Surgite, tẽpus adeſt, nec enim mora libera uobis.
Ecce cateruatim ſurgunt uelut agmine facto,
Et uarios fœtus uario de germine trudunt,
Omnibus & plãtis uita eſt, uita omnibus herbis.
Semine ab exiguo tot gignit grana papauer,
Tot folia, & capitum uarijs diſcrimina cellis.
Hæc ne Deus paruo in grano tua magna poteſtas?
Tũne nouas putri producis ſemine fruges,
Et uerbo aërias in luminis elicis oras?
Nonne idem ualeas generoſo è ſemine carnis
Antiquos renouare ortus, uitamq; caducis
Inſerere exuuijs, animamq; inflare ſepultum
In cinerem, atq; nouas hominum producere formas
Mente Deo ſimiles, & membra micantia Soli?

Hei quàm parua manet noſtras fiducia mentes,
Quanquàm aliquem cœlo Dominum, rerumq; parentem
Conſcia mens trepidat, quanquàm illum uoce ſalutat
Seruatorem orbis, rerumq; ſub orbe potentem.
Cur dubitant homines duræ ſolatia uitæ
Hinc trahere, & lapſis melius confidere rebus?
Quandoquidē uiuūt animæ poſt funera noſtræ,
Quas mox corporibus iunget Deus, altaq; cœli
Æternis habitanda dabit penetralia ſeclis:
Et quia magna dedit, nō addere parua negabit,
Vel ualidam uitam, uel quod uitæ exigit uſus.
His, alijſq; modis mulcebat ſenſa Ioſephi
Parua domus, ſed quæ nō paruos ſtabat ad uſus:
Namq; ſacrum uiuo monumentum in pumice fecit
Quod premeret moriens, & dulci in pace quietē
Carperet, optatum ſupremæ lucis ad ortum.
Hæc molem hanc uiridi uoluit cōſiſtere in horto
Relligio, & tumulo tantos impendere ſumptus,
Dulcia uenturæ dum ſperat tempora uitæ.
Certa fides fuerat, carnem cum ſanguine noſtram
Cœleſtis regni ſolio non poſſe potiri
Ni prius in cinerem tumulo reſoluta fatiſcant.
Ergò ut ſupremam fati perpenderet horam,
Et nullā humanis unquàm ſpem poneret auſis:

His

His monitus signis, atq; hæc exempla uolutans,
Sede uoluptatis media, uiridiq; recessu
Triste parans bustum, signis ornauit & arte.
Ah quoties duro fessus molimine rerum
Deuotum carpebat iter per amæna uireta
Spe reprimens curas, et corda oblita laborum:
Ah quoties palmas ad cœlum utraſq; tetendit,
Concepitq; preces: Pater ô supreme, laborum
Siste modū, & fatis tandem me subtrahe mundo
Molliter ut gelido componam membra sepulcro
Nascentes inter flores consertus, & herbas,
Hic ubi mille auium ſpecies dāt gutture cantus,
Et blanda rerum auctorem cum uoce salutant.
Hic liceat Nati uultum uenientis, & ora
Expectare tui, quando cum murmure magno
Turbinis igniuomi terramq; polumq; cremabit,
Corporaq; excibit tumulis, & sistet Olympo,
Quæsitorq; hominum uitas, & crimina discet.
Hic tumulus fuit artis opus. Quid pendula iactas
Mausolæa Pharos? Quid amænis splendida signis
Educis monumenta, & molem ad sydera tollis,
Et myrrha, & fumis nos est condire Sabæis?
Namq; sacerdotis perfunctus munere summi
Filius ipse Dei felicia busta Ioseph
Lustrauit moriens, ucroq; sacrauit honore

Dum ſua in ipſius componit membra ſepulchro.
Illa domus certè eſt ſanctis ornata figuris
Quam uoluit Pater ipſe hominum, mundiq; redemptor
Poſthabitis paſsim coluiſſe tot arcibus orbis.
Idem qui poſitus luſtrauit buſta Ioſephi,
Ille etiam tumulos ſacrauit, & antra piorum,
Non opus eſt illis luſtrali aſpergine lymphæ,
Nec qui Romana defertur puluis ab urbe:
Sed metus ille foras fido de pectore agatur
Omnia ſuffundens inamæno horrore ſepulchri.
Hæc ſuper egregrio pro tempore luſimus horto
Propter aquæ riuum proſtrati in gramine molli
Dum florum aſpectu mœſtos recreamus oeellos,
Cætera per terras torpent penè omnia luctu,
Tàm triſtis rerum facies, miſeraq; ruinæ
Ante oculos, fatisq; ægrè obluctamur acerbis.
Aſpice quàm cupidè ſuſpirent omnia finem,
Principium æterni Veris, quo cuncta latebris
Condita, perpetuæ data imibunt lumina lucis.
Illa dies dulci amplexu fidiſſima quondam
Pectora coniunget, quæ mors diſſoluit acerbo
Funere, & ante diem ſpoliauit lumine uitæ.

Iohan: Maior Ioach: D.

RECTO.

RECTORATVS REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI DOMINI PAVLI CRELLII, sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, à festo sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi usq; ad diem sancti Euangelistæ Lucæ. Anni 1563.

AVDITORIBVS MEDICINÆ.

QVo ordine progrediendum sit in artibus omnibus, ut integrè illæ comprehendantur, sæpè Galenus cùm aliàs monet, tùm uerò in nono Methodi præcipuè: οὐχ ὅσιον ὅστι τέχνης οὐδεμιᾶς ἐπισήμην κτήσασθαι χωρὶς τοῦ μεθοδικοῦ μέρους τινὰ δία τῶν καθόλου λεγομένων θεωρημάτων, ἄσκησιν δὲ δία τῶν ἐν μέρει λαμβάνειν παραδειγμάτων. οὔτε γὰρ ὅιόντε χωρὶς τοῦ γυμνασθῆναι τελειωθῆναι ἐν τοῖς κατὰ μέρος ἐπὶ τῶν καμνόντων, ἃ χρὴ πράττειν, οὔτ' ἄνευ τῆς τοῦ καθόλου γνώσεως. ἐν

ἐκείνοις μὲν γὰρ ἡ μέθοδος, ἣδ' ἀσκήσις ἐν τοῖς κατὰ μέρος. Hunc ordinem ſequuti nos quoq; tradidimus hactenus auditoribus noſtris initio uniuerſalem medendi methodum. Deinde & rationem curandi morbos particulares partium corporis interiorum, quos cùm doceat cognoſcere Galenus in libris de locis patientibus, horum enarrationem methodo particulari adiũximus: Reſtat methodus medendi febribus & tumoribus præter naturam, qui affectus inter uniuerſales ſunt morbos. Ne quid deſit igitur auditoribus noſtris, etiam hac in parte explicandos in poſterum ſuſcipiemus, Libros Galeni ſcriptos ad Glauconem Philoſophum in urbe Roma, quorum prior febrium, poſterior tumorum præter naturam διαφόρων tradit. Cumq; doctrinam de febribus ualde illuſtrent libri de Criſibus, horum enarrationem partitis in tempora operis adijciemus. Idq; ſignificandum duximus maturè, ut ſeſe auditores noſtri rebus neceſſarijs præparent & inſtruant. His abſolutis, Deo adiuuante, de ſimplicium medicamentorum facultatibus & eorundem miſcendorum ratione aliquid proponemus, Vtile futurum, ut confidimus, non ijs tantùm, qui ad artem primùm accedunt, ſed & proiectioribus. Benè & feliciter ualete. Calend: Maij.

Caſpar Peucerus Doctor:

AVDI-

AVDITORIBVS DIALECTICES.

EXcurrit in uicinas regiones, uir CL. Collega & amicus noſter Magiſter Petrus Vincentius ad negocia certa, quæ præſentem ipſum requirunt, expedienda. Quare per aliquot ſeptimanas à nobis aberit & conſuetis laboribus in Academia noſtra ſuperſedere cogetur, quam intermiſſionem auditores pro ſua humanitate patienter ferent. Ipſo autem abſente ne uideantur ſtudijs iuuentutis deeſſe, qui rei literariæ conſultum cupiunt, conſtituerunt de Dialecticæ explicationis continuatione, ac mihi iniunxerunt, ut poſthac finita oratione Ciceronis pergere uelim in declarandis ijs præceptis, quæ in quarto libro reſtant. Intelligo enim Dominum Magiſtrum Petrum huius artis explicationem feliciter perduxiſſe ad doctrinam locorum. Quare de conſilio & ſententia eorum, qui ſtudijs Philoſophicis præſunt, ſignifico, quòd deinceps diebus Lunæ & Martis horâ nona matutina pertexere uelim doctrinem in arte diſſerendi utiliſſimam locorum, quam τοπικὴν nominant, quæ utriq; arti Dialecticæ & Rhetoricæ communis eſt. Locorum enim doctrina tàm diſputandi, quàm dicendi de

qualibet re proposita materiam & argumenta indicat & ostendit. Non hic quæritur explicatio simplicium uocum, sed confirmatio & demonstratio connexionis iustæ, aut separationis subiecti & prædicati in propositionibus integris. Atq; ideò inuentum Dialectici nominant argumentum, quod arguat & ostendat, utrum extrema rectè coniungantur aut separentur in conclusione. Hanc partem, quæ principem locum in Dialectica obtinet, in qua & usum superiorum præceptorum demonstrabimus, Deo nostra studia gubernante, ordiar, finito mercatu Lipsico. De prælectione Rhetorices, quam Aristoteles initio suæ Rhetoricæ pronunciat esse ἀντιστροφον τῇ διαλεκτικῇ propter cognationem harum artium, hisce diebus significabo. In morali Philosophia explicatio à Petro nostro deducta est ad quæstiones, in quibus uir immortali gratitudine celebrãdus pater & præceptor noster Philippus de contractibus & negocijs ciuilibus eruditè & sapienter disputat, & in controuersijs obscurioribus horum temporum, iudicia adolescentum instituit & informat. Hanc materiam plenã eruditionis & sapientiæ Christianæ diebus Mercurij hora tertia continuabo. Valete. Calend: Maij.

Albertus Lemeiger Hamburgensis.

ABRA-

ABRAHAMVS VERNERVS PHILOSOPHIÆ ET artis Medicæ Doctor, Salutem dicit rei herbariæ Studiosis.

NIhil indignius esse Medico, quàm ignorare discrimina & uires earum rerum, quibus aluntur ac fouentur corpora, quibus sanitas, quando adest, conseruatur, amissa restituitur, cùm ad hunc finem curam omnem cogitationemq; & operam dirigat, nemo est qui dubitat. Reperiuntur tamen, qui quod in earum sese rerum cognitione atq; consideratione non exercuerunt, cæteros ijsdem deditos non tantùm contemnunt insulsè, sed oderunt etiam acerbè atq; iniustè prægrauant. Cuius illi contemptus pœnas dant uicissim, quando deridentur & exagitantur ab aniculis, Myropolis & Agyrtis. A Myropolis etiam decipiuntur magno cum probro ipsorum detrimento ac dedecore artis, pernicie ægrotorum, in quos hæc flagris digna insciti redundat. Quid crudelius est, quàm ægro omnibus humanis præsidijs destituto corpus uitamq; suam Medico commendanti, & promissionis diuinæ fiducia aliqua spe opis atq; auxilij quod implorari atq; usurpari DEVS præcepit, huic ergò exhibere aut

aut propinare aliquid, quod quale sit, an medicamen sit uel uenenum, an id sit, quod usurpatum in similibus morbis legitur ab alijs uel diuersum, nescias, & niti iudicio ac indicio alterius? Non disputo, quàm deceat earundem rerum uel ignorantia uel neglectio, hominem Philosophum in naturæ contemplatione uersantem, & augustum Philosophiæ nomen titulo profitentem. Hoc enim quomodo tueri queat, si terram magna florum uarietate uestitam intueatur, non secus ac picturam elegantem aspicit brutum, aut si rerum ignarus, sola gaudeat imagine, non uideo. Taceo de manifesta & certa utilitate, quæ ex ea cognitione redit ad singulos in cura & gubernatione propriæ ualetudinis, de incredibili suauitate, quæ oboritur animis, quando inter deambulandum cum, natura suas opes æstiuo tempore ceu ostentante, uelut cofabulantur, discunt ex ea, ad quos usus tantas opes discrimine tàm multiplici prompserit atq; effuderit. Taceo de euidentibus sapientiæ, potentiæ & bonitatis diuinæ uestigijs, quæ in plantarum uarietate expressa confirmant, in animis adsensionem de prouidentia, & excitant mentes ad agnoscendum Deum Architectum, ac uera gratiarum actione celebrandum. Nemo est, qui sublatis in cœlum oculis, stellarum

rum discrimina recensens ac distinguens, uimq; animo recolligens, admiranda sese uarietate in orbem elementarem effundentem, non ita afficiatur, ut inesse stellis uim diuinam cogitet, profectam ab aliqua æterna mente Architectatrice, atq; execretur furores Epicuri, Democriti & similium fingentium fortuitos uagosq; Atomorum concursus atq; cohæsiones. Illa ergò procul posita, nec explorata integrè, nec firmiter comprehensa, nec usus tàm certos & notos promittentia, tanta cum auiditate & uoluptate spectamus ac discimus: Proxima, quæ prima demißis in terram oculis occurrunt, quæ manibus decerpimus, ac proterimus pedibus, quæ corporibus uires uitamq; sufficiunt, ac prorogant, quæ exhausta reficiunt, instaurant languefacta, reuocant enecta, fastidimus atq; aspernamur, tanquàm ad nos non pertimentia? Fateri me necesse est, accidere nobis in his disciplinis, quod uniuersim omnib. in alijs rebus accidit, ut simus θαυμασαὶ τῶρ ἀτόπωρ, καὶα φρονταὶ τῶρ ἐιο θότωρ, Captamus peregrina & obscura, negligimus quæ ante pedes sunt, quanq̃ nolim hæc in eam partem accipi, quasi obijciam & extenuem studia Astronomica, uel abducere inde coner scholasticos. Sed hæc coli cupio ita, ut illa non omittantur, sed ut utraq; coniun-

coniungantur. Nam & in singularum plantarum non tantùm specie sola, sed multò magis admirandis uiribus, ijsq; plurimis, ac sæpè dissimilimis, non minus inest diuinitatis, quàm in cœlestibus, & præsentem refert quælibet herba Deum, ut præclarè cecinit Stigelius. Quod cur quispiam inficietur, non intelligo, quòd perpetua hæc sint, illa intercant, cùm illæ ipsæ animæ statæq; ac ratæ uicissitudines ortus atq; interitus plantarum, quibus propagantur indiuidua, & conseruantur species, nihilo incertius uel obscurius de potentia diuina testificentur, quàm perpetuitas cœlestium. Si quis uerò casu natum putat, ut certos morbos, certa remedia obtundant ac profligent, certis partibus certa opitulentur præsidia, humores etiam certos, certa ducant & extrahant καθαρτικά, hunc mentis inopem esse atq; rationis, uideo. Cùm autem per annos aliquot nihil in hac schola de plantarum differentijs prælectum sit, decreui de consilio & iussu præceptorum enarrare libros Dioscoridis, qui cùm in hoc genere superarit cæteros, quotquot extant, meritò autoritate publica scholarum antepositus est uniuersis, & in scholis retentus. Et ut sit occasio adolescentes assuefaciendi ad cognitionem plantarum ἀγχὶ ἄνθοφόρων, omisso priori libro, qui plan-

tas

tas exoticas ac peregrinas describit, & unguenta, ac priore parte secundi, ubi animantia & eorum partes recensentur, quæ Medicis in usu sunt, ordiar à frugum, leguminum, & culinariarum plantarum descriptione. Hæ enim plantæ passim reperiuntur. Interpretabor autem textum Græcum, & Pliniana conferam, quæ partim ex Dioscoridis, partim ex Theophrasti libro sunt desumpta. Ducam etiam auditores ad ἀυθοψίαν, & tribuam prælectioni harum horam nonam, diebus Mercurij, Iouis, Veneris & Saturni. Significaui autem hoc maturius, ut studiosi sibi exemplaria comparare possint. Diem verò, quando sim inchoaturus, post peractas has nundinas Lipsicas, indicabo publicè. Valete.

Die 2 Maij.

ORATORIÆ FACULTATIS STVDIOSIS.

ARistoteles, cuius sapientiam in Philosophicis disputationibus non immeritò omnis ætatis literarum cultores suspiciũt & præ cæteris artificibus celebrant, etiam de poëtica scripsit, & in ijs, quæ de hoc genere ad nos peruenerunt, inter cætera hoc præceptum præscribit,

præscribit, Præstandum esse, ut Oratio habeat sensum quendam morum ad personas accommodatum qui efficitur, cùm personis suus decor, sui mores, sui affectus attribuuntur. Quod ipsum quatuor rebus perfici ostendit. Primùm, si τὰ ἤθη, id est, mores in personis fuerint χρηστὰ, hoc est, probitatem quandam præ se ferant. Secundo, si fuerint ἁρμόττοντα, id est, rectè conueniant & congruant personis, ut castißimis moribus excellentem Lucretiam conuenienti oratione probam appellare poteris, quam laudem Helenæ non eodem modo rectè tribues. Sic non fœminam ut uirum fortitudinis encomio ornare decorum erit. Etsi enim τὸ ἀνδρεῖον quiddam ἁρμόττον est cõueniens homini, tamen non est ἁρμόττον mulieri, quod Ismene Sophoclea disputat. Tertiò addit Aristoteles, si ὅμοια fuerint, quasi dicat, sibi rectè constent & personis aptè congruant, ut maledicentia commodißimè Thersitæ congruit, sed non Vlyßi, licet sæpe iratus uideatur. Quartò iungit, ut sint ὅμαλα, & æquali tenore procedant, cuius rei artifex est Sophocles, qui ita continuo habitu & ductu personas turpes describit, ne uideatur in tota oratione admiscere ea, quæ rapiantur in malam partem à potentibus,

tibus, qui sibi talium scelerum conscij sunt. Etsi autem hæc, quæ commemoraui, Aristoteles Poëtis præscribit: tamen ad omne genus scripti hanc admonitionem rectè adhiberi posse, omnes qui prima artium dicendi initia gustarunt, facilè intelligunt. Omninò necesse est eloquentiæ studioso, ut in omnibus scriptis intueatur penitus personarum mores, naturas, studia, iudicia, ætatem, officia, dignitatem, & ad hanc attemperet rerum uerborumq; copiam, in extruenda & conformauda oratione. Sicut boni pictores faciunt, qui dum proprias & ueris similimas imagines referre studeut, cogitationem non modò ad formam, sed etiã ad adfectus accommodant, ut uel placidi, uel irati, uel tristis, uel lenis hominis effigiem rectè exprimant. De hac igitur ratione accommodandi se ad personas pertinent ea, quæ apud Rhetores de mouendis affectibus præcipiũtur, in quo genere longè superat reliquos artifices Aristoteles, qui integram artem Rhetoricam eruditè & copiosè præscribit, ex quo Cicero quicquid in Oratorijs scriptis sapientiæ, ingenij & acuminis laudem meretur, sumpsit, ac suis libris magna cum uenustate ac laude optimæ imitationis inseruit. Quicunq; igitur non tantùm hoc de affectibus, quod animam orationi addit, sed in-

tegram artis Rhetoricæ doctrinam expetit, multa lectione & accurata consideratione legat, & cognoscat Aristotelis in hac arte libros, in quibus hoc totum, quod Oratorem præcipuè ad omnia genera negotiorum instituit, traditur. Ad horum librorum lectionem ut Oratoriæ facultatis studiosos præparem & inuitem, constitui pro officio mihi demandato deinceps proponere eos libros, in quibus sanctæ recordationis Philippus Melanthon de omni genere studiorum, præclarè meritus, initia huius artis proposuit, ad quam doctrinam cognoscendam necesse est, ut auditores afferant meditationem homine studioso dignam, quam deinceps usu augeant & corroborent, nec cum magno suo malo fastidiat uaga & inconsulta iuuentus honestas commonefactiones, sed patiatur se excitari uersibus poëtæ Gratij, qui Ouidij tempore uixit, quibus nobis utilitatem exercitij commendat ex Antithesi desidiæ & diligentiæ, cùm ait.

O rerum prudens, quantam experientia uulgo
Materiam largita boni, si uincere curent
Desidiam, & gratos agitando pendere fines.

Negligentibus & aspernantibus hæc præcepta satis grauis pœna erit paulò post, ipsa insciti, quæ ubi ad munus docendi, aut quamcunq; gu-

berna-

bernationem accesserint, desidiam eorum ulciscetur. Initium autem prælectionis Rhetoricæ faciam ad proximum diem Iouis, hora septima. Crastino Die, uolente Deo, hora nona incipiam declarare doctrinam Locorum in quarto libro Dialectices. Valete.

9 Maij.

Albertus Lemeiger
Hamburgensis.

IN GRÆCÆ GRAMMATICES PRÆLECTIONEM.

AD diem Mercurij proximum hora nona ante prandium, auxiliante Deo, iterum auspicabimur prælectionem Græcæ Grammatices, nam eam propter recens aduenientes, & iam primùm incipientes auditores perpetuò in schola conseruari oportet. Sumam autem hunc diem uacuum, ne quid cæteris operis decedat, & propter compendij commoditatem in manibus retinebimus libellum olim à Reuerendo & sacrosanctæ memoriæ Præceptore nostro scriptum, cui singulis in locis regulas & obseruationes Vrbani adiungam, Neq; hoc loco commemorabo, quàm necessaria, quàmq; uti

lis sit cognitio Grammatices, præsertim in aliena lingua, id enim reipsa & experientia satis testatur, & nobis subinde in quotidiana tractatione scriptorum ostendendum est, Non tantùm enim infeliciter, uerùm etiam turpiter uersantur in omni genere doctrinæ, qui fundamentis Grammatices destituuntur, ut iam non dicam, quòd arrogantia perpetua comes est huius insciticæ, qua non alia deformior, neq; nocentior pestis est in uniuersa uita. Me etsi senem laboribus scholasticis iam defatigatum non pigebit huius operæ, dum modò discentium studia iuuem, et si mihi diuturnior uita diuinitus concessa fuerit, paulò post interpretationem Homeri quoq; operis nostris adiungam.

Oro æternum & clementissimum Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nobis uires suppeditet, & tranquillitatem concedat ad hæc nostra studia Ecclesiæ & Reipub: summe necessaria, ut labor noster sit felix & fructuosus in Christo Redemptore nostro, Amen.

16 Maij.

Vitus VVinsemius
senior:

THEO-

THEOLOGIÆ AVDITORIBVS.

NEgligi hoc tempore ſtudia doctrinæ ſacræ à maxima diſcentium multitudine, magno cum dolore aſſiciunt & deplorant ſapientes, Ac qualis paulò poſt barbaries ſecutura ſit, & dominatura in Eccleſia, non uano mutu præſagire animis incipiunt. Quanta enim nunc paucitas ſit ſolidam doctrinæ ſacræ cognitionem expetentium, Eccleſiæ paſſim experiuntur, quæ idoneis doctoribus ac gubernatoribus deſtitutæ & orbatæ, quærunt quidem atq; expetunt alios cupidè, ſed proh dolor paucos reperiunt idoneos. Hæc uero quibus de cauſis fiant, in præſenti non diſputabimus, certè faſtidium lectionum ſacrarum, & quaſi nauſeabunda harum neglectio fontem mali illius & periculi ingentis ſatis liquidè demonſtrat, & coniecturas non bonas prudentibus ſubijcit. Quare ut periculum hoc ab Eccleſia & poſteritate noſtra auertatur, excuſcitent ſe boni, & ſtudijs ſacris deſtinati & conſecrati, ad paulò ardentiorem & magis ſeriam doctrinæ cœleſtis cognitionem, & ſimul Deum oreut, ut & ſtudia ipſorum regat, & ad ſalutem Eccleſiarum dirigat, & lucem accenſam & conſeruatam

tam hactenus, deinceps quoq; extingui nō sinat. Monemus hæc etiam hanc ob causam, ut si quos iuuet fontes Mosaicos cognoscere, sciant nos cras hora septima absolutis ijs, quæ lectioni Mosis præmittenda duximus, ad ipsum Geneseos textum accessuros esse.

Die 16 Maij.

Paulus Crellius Doctor & S. Theologiæ Professor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

ETiam Ethnici uctercs pauperum rationem habendam esse censuerunt, præsertim eorum, qui doctrinæ aut religionis causa onere illo insuaui grauarentur, Nam inde sunt commonefactiones & præcepta de beneficentia grauissimè excogitata, quale illud est uulgatū: Ζεὺς ἐπιτιμᾷτῶν ἱκεταῶντε ξενῶντε. Item illud: ξενοῖς ἐπαρκῶν τῶν ἴσων τεύξῃ ποτέ. Quare cùm & in nostro cœtu magna sit multitudo pauperum, qui duriter hic uiuunt, & ordinis nostri illa ferè fortuna esse soleat perpetua & solennis, ut qui minimum habent sumptum

ptuum & præsidiorum necessariorum, studijs doctrinarũ destinentur ac consecrentur, Senatus Academiæ grauissimis de causis rationem inire coactus est, qua illorum egestati ac necessitati consuleretur, qui morbis aut alijs casibus aduersis oppressi uictum ac sumptus ad ualetudinem tuendam aut reparandam necessarios non habent, itemq; collectio publica ad fiscum Nosocomij nostri post singulos Mercatus Lipsicos decreta est, & instituitur à nobis, non ut sumptu iuniores & tenuiores grauentur, sed ut miseris illis, qui alioqui uel negligerentur uel prorsus perirent, quomodocunq; prospiciatur. Iustum est enim aliquid ad procurationem pauperum contribuere, eos, qui rebus ac sumptibus necessarijs ita instructi sunt à suis, ut non solum mediocriter ijs sufficiant, sed etiam abundent aliquibus, quæ melius ac rectius collocari ab his non poterunt. Nec dubitamus motos iri bonos imaginis illius mirabilis cogitatione, qua Filius Dei Lazarũ ante fores diuitis iacẽtem in Luca pingit, cui ab Epulone luxurioso spreto & neglecto caniculi tamen ulcera sua lingendo demulcent ac leniunt. Talia cogitabunt boni delimenta esse communium ulcerum et ærumnarum contributiones illas & collectas scholasticas, Quia collati ad imperia & Harpyas in his uo-

races & luxuria diffluentes, uerè ſumus canicularũ ſimiles, qui ſaturati Eleemoſynis ac micis abiectis & pedibus potentum conculcatis fragmentis benefacere alijs egentibus conamur, Sed erigamus & exuſcitemus nos ad has collectas dulciſſima promiſſione Pſalmi: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Nec dubitemus Deum benedictione ſua effecturum eſſe, ut quæ pauperum cauſa nobis detrahimus, & ad uſus communes conferimus, locupletiſſimè nobis ſarciantur & compenſentur, ut monet & conſolatur dulciſſimum Pauli dictum 2. Corinth: 9: Qui ſeminat in benedictionibus, etiam in benedictionibus metet. Item: Qui ſubminiſtrat ſemen ſeminanti etiam panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen ueſtrum, & augebit incrementa frugum iuſticiæ ueſtræ. Quæ quidem benedictionis diuinæ incrementa, & hi, qui beneficentiæ illius fructum percipiunt, precibus ſuis, & pia inuocatione petere atq; impetrare non deſinent.

Datæ die 16 Maij, quo die olim poſt exitum ex Ægypto mane Deus demiſit in arborum folia & herbas Manna, caq; innumerabilem in deſerto multitudinem Iſraelitarum annos integros quadraginta in deſerto aluit, ut Exod. 16. dicitur

dicitur. Comprobans exemplo hoc dictum, quod non modò egentium, sed omnium in universum hominum consolatio esse debet: Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod ex ore Dei egreditur.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

NOn iudico esse quenquam, qui non statuat necessariam esse in hac tota consuetudine uitæ publicè & priuatim rectè loquendi scribendiq; curam & diligentiã, non tantum in explicatione cõtrouersiarum Ecclesiasticarum, sed etiam in omni artiũ genere, in legum disceptatione, in iudiciorum processu, in deliberationibus ac consilijs Principum & Regum, denique in pactis & contractibus. In his omnibus enim cùm opus sit oratione, utrumq; præstandum est, ut utiles & cognitu necessariæ doctrinæ rectè cognoscantur, cùm nemo, ut Cicero inquit, eloquens esse possit in eo, quod ignorat, postea, ut res cognitione perceptæ proprio & perspicuo orationis genere efferantur, & oratio non sit confusum chaos & cumulus inanium uerborum, temerè & sine iudicio ac prudenti

delectu copulatorum. Videtis hoc tempore, cùm in Ecclesiam irrepserunt horribilia certamina diuersorum iudiciorum in multis grauissimis controuersijs dissonantes sparsi sententias ab illis, qui curam accurate & perspicuè dicendi neglexerunt. Quare ut huic malo occurramus, aliqua studia eloquentiæ necessaria sunt. Nec disputo de excellenti illa, quam ne quidem sperare possumus, sed de communi facultate, quam ingenia non ignaua, nec barbarico discendi fastidio ebria assequi possunt, si diligentiam adhibeant, si optimorum authorum exempla intueantur, si denique formam bonæ orationis eligant, & imitari studeant, atq; assiduis exercitijs confirment. Cùm autem sine cura imitationis homines rectè loqui non possint, eligamus formam omnium optimam, quæ in scriptis Ciceronis eloquentiæ principis proponitur. Studiorum gubernatores præceptis artis Rhetoricæ semper in Academia addi uolunt enarrationem Orationũ Ciceronis, in quibus interpres ostendat principalia membra, quomodo oratio paulatim crescat, cùm propositioni positæ adduntur aliæ rationes uicinæ ut argumenta, uel consequentiæ. Ostendendæ sunt & figuræ, quæ ornandi causa orationi

tioni inſeruntur tanquàm lumina. Hæc ſi quis obſeruat, rectius bonorum authorum ſcripta intelliget, & facilius ea imitabitur, nec eſt, quod quiſquam ſperet, ſe animaduertere compoſitionem Ciceronianam poſſe, niſi diligenter ſeriem membrorum obſeruet. Hoc igitur conſilio nunc quidem delegi Orationem pro Murena deſignato Conſule florentiſſimæ Reipublicæ Romanæ, quòd hæc multis alijs argumenti ſplendore antecellere, & rerum uarietate utilis atq; iucunda, genere quoq; Orationis aptiſſima ſtudijs adoleſcentiæ uideretur. Continet hæc Oratio multa ornamenta & inſignes locos communes, laudationem militiæ & eloquentiæ, deſcriptionem multarum forenſium conſuetudinum, uituperationem Stoicæ doctrinæ, diſcrimen officiorum liberalitatis, & ambitus. Eſt igitur dulcis & iucunda oratio, cuius explicatio amantibus ſermonis elegantiam & proprietatem erit grata, ad quam, Deo uolente, accedam proximo die Iouis.

Die 19 Maij.

Albertus Lemeiger
Hamburgenſis.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

ITa condita eſt natura hominum, ut uel lætetur rebus ipſi conuenientibus ac gratis, uel econtrà, doleat aduerſis & inſuauibus. Et eſt ſenſus ille læticiæ ſeu delectationis & doloris contrarij, ultimus in re qualibet finis diuinæ ordinationæ, ſed maior aliàs & acrior, aliàs minor & lentus magis pro obiectorum inter ſe differentia & uarietate. Vt autem ſummus doloris gradus eſt iræ & maledictionis diuinæ ſenſus, ita eidem proximus eſt & acerrimus parentum dolor, quem ex calamitate, aut turpitudine, aut morte natorum concipiunt. Quemadmodum & lætitia ex horum fœlicitate & rebus ſecundis concepta, ſumma eſt, poſt miſericordiæ diuinæ & reconciliationis cum Deo agnitionem, & pacis illius ſenſum, de qua Paulus inquit: Iuſtificati fide, pacem habemus. In funeribus ergò infantulorum, cùm dolere honeſtos ac pios parentes cernimus, adoleſcentes ſinguli de ſuis parentibus & de σοφῶν horum, qua ipſos complectuntur, cogitent reuerenter & attentè, ut de gratitudine & officijs, quæ σοφῶν illi menarrabili debemur, ſemetipſos commonefaciant,

faciant, Et in regendis moribus ac uita uniuersa magis sint circumspecti ac seduli, ne scelcribus aut turpitudine aliqua se polluant, aut calamitates sibi tales accersant, quæ parentes postea extinguant dolore atq; interficiant. Hæc cogitent Scholastici hodie hora duodecima, cum pia funeris ceremonia efferetur filiolus uiri docti THOMÆ Calixti, Et eò libentius ad cohonestandum funus hoc conueniant, & ad hanc se cogitationem accendant & excuscitent, Quia heri tristissimum exemplum aspexerunt, cùm adolescens honestus ab alio Sicario scelerato interfectus est. Hic quanto in dolore futuri sint utriusq; parentes, cùm & scelus & calamitatem natorum audient, seriò & sollicitè adolescentes honesti considerent. Ac non solum uiuant modestius, sed simul etiam Filium Dei orent, ut Spiritu suo ipsos regat, seruet ac protegat, ne similibus uel sceleribus uel calamitatibus ipsi quoq; implicentur. Cæterum de infantibus cum scriptum sit: Sinite paruulos uenire ad me, quia talium est regnum cœlorum. Non dubitent parentes istum quoq; infantulum non amissum, sed ad Dominum præmissum esse, & adscitum in numerum illorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hac ergò se consolatione erigant, & luctum

rum moderentur. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, custos Ecclesiæ suæ clementer nos omnes respiciat, gubernet ac tueatur, Amen.

Die 24 Maij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

SÆpè his diebus cogitanda sunt opera & testimonia miranda, quibus Deus ex sede sua arcana & luce inaccessibili prodiens, sese & uoluntatem suam generi humano ostendit, Et quales conditi homines fuerint, quidq; fieri ab his uellet, data lege declarauit, Quid item in his innouandis & ad imaginem amissam immutandis ipse faciat, & facturus sit, effuso in Apostolos, & horum socios ac συμφυτίκους Spiritu sancto, testatus est. Annus enim hic à Pentecoste prima est 3072. cùm ad rupem Sinaicam uox legis inter tonitrua, fulgura, & alia testimonia terribilia repetita, & Ecclesiæ sexcentorum millium uirorum ab ipso Filio Dei λόγῳ, & Oratore Patris sonante & promulgante hanc, tradita ac commendata est. Ab altera uerò Pentecoste noui Testamenti cùm post assum-

assumptum ad cœlos, & ad dexteram Dei collocatum eundem Filium Dei hominem factum, Dominum nostrum Iesum Christum, Spiritus sanctus uisibili ac corporali flammarum & uariantium linguarum testimonio in Apostolos effusus est, annus nunc agitur 1529. Tot annos quod & seruauit Ecclesiam Deus, & præsentiæ suæ in hac testimonia subinde ostendit multa & illustria, etsi beneficium est planè inenarrabile, & celebratione ardentissima dignum: Tamen maiora sunt & magis miranda opera, diuersis illis annis facta, repetitio scilicet Legis, & missio Spiritus sancti. Hæc ergò meditemur, & cogitemus ardenter & reuerenter, & ut cogitationem adiuuet & accendat ipse Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, & Spiritus sanctus, toto pectore precemur. Et quia repetitio legis horum operum primum est, & missionem Spiritus sancti antecedit, inde considerationem ordiamur.

Condiderat Deus homines ad imaginem & similitudinem suam, & transfuderat in eos sapientiæ, iustitiæ, & cæterorum bonorum suorum radios, & cùm templa sua eos esse uellet, addiderat & flammam illam amoris & ardoris substantialis, qua Pater Filio, & Filius Patri copulatus est in tota æternitate, Vt illo quasi

uinculo

uinculo ac glutino toti diuinitati arctißimè deuincti essent, Vero igitur & ardenti amore complectens homines, hos ipsos sapientiæ & iusticiæ radios in ipsos sparsos legem & normam eis esse uoluit, quam cogitantes de Deo subinde intuerentur, & in uitæ actionibus exprimerent, imò illũ ipsum Spiritum suum motuũ & actionũ humanarum omnium rectorem & agitatorem lucere & conspici inter homines, & ab eo regi & frenari ipsos uoluit, non tantùm ut iner ipsos pax esset, sed ut commonefacti hac ipsa sapientiæ suæ similitudine et ductore Spiritu, agnoscerent conditorem, & cogitarent talem esse, qualis in hac sapientia ostenditur, uidelicet, sapiens, uerax, bonus, beneficus, iustus, castus, misericors, uindex scelerum. Hoc quantum bonum sit, & quod aliud mirabilius aut maius cogitari aut expeti ab hominibus potuit? Cohorrescant ergò pectora & mentes nostræ, cogitantes & lapsum primorum hominum, & miseriam nostrum omnium, quæ lapsum tristißimum secuta est. Nec existimemus leue malum esse, quòd amißis optimis illis muneribus ac donis diuinis, & excusso rectore Spiritu sancto à Deo auulsi, & iræ ac maledictioni æternæ & iustißimæ subiecti fuimus. Nam norma illa sapientiæ & iusticiæ diuinæ, & Spiritus sanctus cum hac

norma

norma in homines effusus, ut bonum erat planè inenarrabile, & obedientiam ac conformitatem ab hominibus requirebat summam & perfectissimam: Ita simul ad iram, reatum & pœnas tristissimas & æternas obligabat homines, si norma hæc sperneretur, & uel minimum quiddam contra hanc committeretur. Quare cùm & spreta sit à primis hominibus, & primi illius contemptus, & contagionis hũc secutæ labes in nos propagata sit, consideremus quanta hæc & ingratitudo fuerit, & quàm nunc tristis sit nostra ad originem & creationem primam comparata conditio.

Rursus uerò & consilia diuina & nouæ amoris inenarrabilis testimonia cogitemus, quæ post lapsum edita & ostensa sunt hominibus. Etsi iustissima erat ira Dei, uicit tamen hanc, & superexuberauit in Patre æterno immensitas misericordiæ, & in Filio amor erga homines gratuitus: Is enim cùm deprecator pro nobis factus esset, & deriuasset in sese pœnam nobis & peccatis nostris debitam, impetrauit, ut bona amissa per eum nobis restituerentur. Et reddito Spiritu sancto rursus cum Deo copularemur receptæ iustitiæ & uitæ æternæ. Propter ipsum ergò & per eum legis & sapientiæ illius mirandæ summa & formula eruditissima, in Pen-

tecoſte prima ante annòs, ut dictum eſt, 3072. in cacumine montis Sinaici repetitur, Quia uult teſtatum facere Deus, ſe amiſſam illam & uiolatam ſapientiæ & iuſticiæ ſuæ regulam non habere pro derelicta, nec fruſtra hanc in homines conditos ſparſiſſe ac transfudiſſe, Sed uelle ſe eam aliquando fieri & reſtitui in hominibus, Et certò fore inter homines aliquem, qui legi & ſapientiæ huic conformis futurus, & obedientiam integram præſtiturus eſſet, per & propter cuius obedientiam recepti cæteri rurſus ad illius ſapientiæ ſimilitudinem reſtituerentur. Interea uerò, donec hæc reparatio & reſtitutio bonorum amiſſorum conſumata perficiatur, hanc ipſam légis à ſe repetitæ normam uult teſtimonium eſſe ſeueriſſimi aduerſus naturam ream & immundam iudicij, quòd accuſatos homines & de reatu horribili conuictos, ad deprecatorem & iuſticiæ ac uitæ æternæ reparatorem adigeret. Cumq; huius ſuæ lucis & ſapientiæ ſcintillas aliquas etiã in natura hac deprauata reliquerit, ſimul & flammas dolorum acerrimorum in cordibus executrices & uindices huius ſapientiæ ſeruat ac fouet, quibus, quod uoce ſuà & teſtimonijs mirandis ad rupem Sinaicam promulgat, reipſa comprobat & atteſtatur. Quin ne illa à ſe repetita & uoce Filij pro-

proclamata sapientia fabula putetur paucorum quorundam astutia ad frenandos homines cogitata, Ipse custos & executor suæ uocis, adest generi humano omnibus temporibus, rapit & retrahit ad pœnas scelcratos, etiam cùm magistratuum & iudiciorum manus uel effugerunt uel astutè eluserunt, iuxta dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Omnis anima polluta incestis libidinibus euomctur ex terra, Has non esse inanes minas & sonos tantùm humanos, in exemplis pœnarum omnibus temporibus conspicitur.

Hac ergò legis sapientia in Pentecoste ueteri repetita ac tradita, multa uult doceri homines, Vult intelligere eos, quòd sit Deus, & qualis sit, uult commoneficri, quòd non casu aut hoc modo conditi sint, quales nunc post lapsum, proh dolor, facti sunt, sed quòd sapientiæ huius similitudinem in creatione sui communicatam acceperint, Quòd conformitatem cum hac sapientia ab ipsis conditor iustus requirat, Quòd amissam non habeat pro derelicta, Quòd reparari & restitui ipsam uelit, Quòd hac ipsa repetitione naturam huic sapientiæ dissimilem accuset ac commonefaciat de quærendo & complectendo reparatore, Deniq; quòd & naturalem noticiam

reliquam in hominibus, oſtendat radium eſſe lucis diuinæ, ſparſum in mentes noſtras, ut teſtimonium ſit uiuum & efficaciſſimum, oſtendens reuera eſſe Deum, & adeſſe hunc hominum ſocietati, & uiolatæ huius ſapientiæ acrem & ſeuerum eſſe uindicem, & uelle eo ipſo naturalis illius lucis autoritatem eſſe maiorem, quia audiunt à Deo eam noua uoce propoſitam eſſe.

Sunt hæc & bona ingentia & illuſtria amoris diuini erga homines teſtimonia, quibus & alia fuerunt connexa & adiuncta beneficia innumerabilia, cùm ſacerdotij & regni certi forma in illis ipſis rupibus, Sinaicis, non tantùm propter populum & poſteritatem Abrahæ, ſed propter omnes gentes deſcripta & conſtituta eſt, tanquàm ſchola & officina publica doctrinæ traditæ diuinis teſtimonijs. Sed multo ſunt maiora, & magis miranda ea, quæ in Pentecoſte altera poſt annos 1542. priorem ſubſecuta, geruntur & fiunt. Cùm enim iam miſſus & exhibitus eſſet promiſſus ille, & à lege ſignificatus redemptor hominum, & reparator iuſticiæ & uitæ amiſſæ, & iam perſoluto λυτρῳ propiciationis noſtræ, in cruce & morte acerbiſſima uictima factus eſſet, & reſurrexiſſet à mortuis, uictor peccati & mortis, redemptione

ptione æterna inuenta, & non ſolum maſſam à ſe aſſumptam, ſed multos ex ijs, qui dormierant, ex ſepulchris ſuis excitos, ſecum ad cœlos & cõſuetudinem cum Deo æternam eduxiſſet, collecturus deinceps Eccleſiam æternam uoce & miniſterio Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum & doctorum, quos ſedens in dextera Patris omni tempore miſſurus, & dono daturus eſt Eccleſiæ, effundit idem ille redemptor in pectora & corda magni & numeroſi cœtus, ſonantis & audientis Euangeliũ, etiam legem illam uiuam, quam in Ieremia capite 31 promiſerat, hoc eſt, Spiritum illum gratiæ & precum, ut Zacharias prædixerat, qui denuo ardentis illius & inenarrabilis in Deo amoris & miſericordiæ erga nos miſeros agnitionem accendat, qui ad redamandum Deum pectora noſtra inflammet, qui ad fidem, gratiarum actionem, inuocationem & celebrationem ſeriam mentes noſtras exuſcitet, qui nos copulatos Deo, rurſus ad ſapientiæ, iuſticiæ & uitæ illius mirandæ imaginem ac ſimilitudinem aliquam aſſimilare & transformare incipiat. Qui denique ipſe arrabo ſit ei pignus certiſſimum futuræ illius ſapientiæ, iuſticiæ, lætitiæ & uitæ æternæ, quam ſanguine & morte ſua redemptor noſter Filius Dei peperit, & reſtituet tunc

consummatam & integram, cùm ex pulueribus terræ excitatos ad Deum nos adducet, ut is sit omnia in omnibus.

Hæc uerò magna & miranda bona sunt, quorum magnitudinem nec Angelorum quidem sapientia comprehendere potest, nedum nos hebetes, & in his cogitandis, proh dolor, negligentes ac penè stupidi penetrare ea, aut balbutie nostra dignè enarrare aut prædicare ualeamus, Sed sciamus uelle Deum initia aliqua harum ingentium rerum in hac uita disci & agnosci, & hoc modo ad æternam scholam nos præparari, uelle conspici suum erga nos immensum, & quauis σωργῆ paterna ardentiorem amorem & misericordiam.

Quare & in quotidiana inuocatione hoc consideremus, Et nunc in his ferijs intentio animorum maior sit & ardentior, petamus hæc incendia in mentibus nostris ab illo Spiritu, qui tunc in Apostolos effusus est, & certò adhuc in credentium & inuocantium omnium corda effunditur, excitari, accendi & seruari, Et quanquàm uilitas nostra reclamat, & tamo nos bono indignos esse iudicat, tamen credi dulcissima promissione Filij Dei Luc. 2. Cum uos, qui mali estis, dona dare bona filijs uestris petentibus solcatis, Quanto magis Pater cœ-

lestis

lestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Sciamus gratum nos Deo cultum præstare, cum hunc gubernatorem petimus. De quo sæpe repetamus animis, quòd in his ferijs publica confessione Ecclesia commemorat: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

Ita uerò hæc cogitemus, & petamus, ut non solùm non turbemus & impediamus nos ipsos furoribus cupiditatum, ebrietate, odijs, cædibus, aut alijs tumultibus, & modestè regamus mores mediocri diligentia, quam certè & debemus Deo, & præstare possumus, præsertim cùm nos iuuari & gubernari Spiritu sancto petimus, Sed simus etiam circumspecti, ne furoribus opinionum impiarum mentes fascinentur & turbentur, Eaq; in re nunc cò maiorem diligentiam præstemus, quia Diaboli nunc in delenda & abolenda lege Dei Antinomorum blasphemijs, ante non multos annos uix sopitis, & sepultis rabiosius, furere & grassari incipiunt.

Has cogitantes cohorrescamus toto pectore & quibus possumus diris furores Antinomorum execremur, Et cùm simus Ecclesiæ Dei ciues, discamus & amemus legem diuinitus traditam, & Filium Dei oremus, ut blasphemias illas ex Ecclesia unà cum autoribus harum,

propter gloriam ſuam tandem tollat ac deleat, propter ſe faciat, & propter gloriam ſuam, ne blaſphemetur, Amen.

Eſt item certum, colligi Eccleſiam æternam in hac uita uoce docentium, & hoc modo, & non aliter Spiritum ſanctum efficacem eſſe. Quare cum haud dubiè gratitudo pijs & fidelibus doctoribus debeatur, præcipimus ſcholaſticis noſtris, ut hodie more uſitato ad Aram munera afferant, & exemplo hoc teſtentur, ſe & reuerenter ſentire de miniſterio Euangelij, & alios ad reuerentiam eandem, quantum in ipſis eſt, uelle inuitare & aſſuefacere.

In feſto Pentecoſtes.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

NEc uerò exuperat quicquam, nec grandius orbi
Conceſſum munus, diuini & pignus amoris,
Quàm quòd ab arcana molitus ſede regreſſum
Ipſe ſuum numen miſeris mortalibus ultrò
Exhibuit Deus, & manifeſta in luce retexit,
Lucis inacceſſæ radijs quanquàm abditus ipſe,

Quo

Quo neq; fas acic quenquam, nec tendere sensu.
Atq; ideò emicuit, sua sensa ut condita nobis
Monstraret bonus, & dictis aperiret amicis.
Ergò etiam legis præcepta, aut sancta salutis
Gratuitæ promissa sonans, aut semper utramq;
Complexus uocem, populos sermone docebat.
Lucibus his autem quibus omnis turba quotannis
Mente pia recolit monumenta exorta superne,
Bis Pater insigni se olim patefecit honore,
Bis magno in populo miris sese extulit ausis
Ostentãs decus immensum, numenq; tremendum
Totiꝰ naturæ rerum, & quo tempore primùm
Monte Sina rapidos iaculatus nubibus ignes
Spiraretq; iras, & uerba minantia lethum.
Dum Lex de cœlo sonat, & mortalia corda
Per gentes humilis strauit pauor, incitaq; intus
Terra tremit motu, monsq; ignib. ictus anhelat.
Ille ardens ira, & radijs circum ora coruscans
Sublustri in nebula, Gnatum compellat ut ipse
Interpres det se in medium, suaq; horrida iussa
Officio Mosis populo commendet habenda:
Quandoquidem aspicere, & uultu contrà ire
Tonantem
Haud licitũ est cuiquam mortali semine creto.
Deinde aliud maius factum, multoq; tremendum

Obijcitur magis, & mortalia pectora tangit,
Cùm ſubitò ingenti cœlum diſceßit hiatu,
Flatus & in flammis, & fißis gutture linguis
Adparens, lucemq; ſacram per tecta uolutans
Cum ſonitu inuaſit credentis pectora turbæ
Argutas reſerans uaria in præconia linguas.
Hîc cùm diuerſo gentes ex orbe coiſſent
Tàm uariæ linguis, habitu quàm ueſtis & armis:
Quiſq; ſuæ tamen agnouit commertia linguæ,
Conſortesq; ſonos, Patria & diſcrimina uocum.
Nos ergò propius cupit hæc monumenta tueri
Sancta Deus, certamq; fidem prædiſcere ab illis
Doctrinæ ſtabilis mortali in gente ſonantis.
Huncq; Deum tu mente colas, uotisq; fatiges
Qui tibi ſe totics miris patefecit in auſis.
Primium equidem Sinai ſub uertice, quem ſuper ingens (igni,
Porta tonat cœli, & trifido montem implicat
Horrifico ſonitu data erat ſapientia Legis.
Exin cùm molli ſtrepitu genitabilis auræ
Miſſum Flamen erat, monſtratumq; omine aperto eſt,
Hunc flatum propria per ſe ſubſiſtere uita
Viuida qui flamma eſt mentis Natiq;, Patriſq;
Qui uiuã hanc ſpirant aurã, & per mutua ſeſe

Rurſus

Rursus amãt, uinclisq; hærẽt, & numine amico
Flamma Patrem Natũq; ardet, Natusq; Paterq;
Flammã ardẽt rursum, par est utrinq; uolũtas.
Tunc etiam patuit, Flatu impulsore quòd isto
Natura manante Dei, Natiq; Patrisq;,
Pectora nostra sibi societ Deus, ipseq; Flatus
Ceu medio uinclo iungat Christumq; piosq;,
Atq; nouæ radios accendat lucis, & inde
Iusticiam extimulet, Legi qua nitimur ipsi
Atq; Deo pariter confornem ducere uitam.
Nec detur hic Flatus cuiquam, nisi qui tibi iunctus
Christe fide uera prius hæreat, inde capessat
Si te habeat quæ dona tuo de munere manant:
Nec consors humoris erit, nisi palmes in ipsam
Traductus uitem prius almo in stirpe calescat.
Quiq; tui est exors Flatus, nil iuris apud te
Obtinet, & non ulla tenet consortia tecum.
Nec melius donum Deus, aut dare maius habebat
Naturæ nisi fida suæ commertia nobis
Transfuso Flatu, ueri qui nexus amoris
Mente ligat socia præcordia nostra, Deumq;.
Et sic condiderat mentes hominũq;, sacrorumq;
Alituum regione poli, quõ Flamine in ipsas
Diffuso, cuperet coniungi Numine, & æuum
Transigere æternum, & socia bonitate potiri,

Iusti-

Iuſticiæq; ſuæ radijs communibus uti,
Ac alere inuictam ſapienti in pectore lucem.
Hoc erat, hoc ingens monumentum, & pignus amoris
In genus humanũ, ſua cùm bona ſumma creator
Ipſe Deus facerct ſecum communia nobis,
Nempe ſuum effundens hominum in præcordia Flatum.
Heu quàm reſpondit meritis mala gratia tantis?
Diuinos nexus, mirándaq; uincula amoris
Quæ fas æternum colere, et reuerenter habere,
Rupimus ingrati, penituſq; excußimus omnes
Pectore polluto diuinæ particulam Auræ.
Factus homo fuerat diuini ad Numinis inſtar,
Vt mentem noſſet Domini, & ſe lege teneret
Illius, & iußis parens ſe ſubderet ipſi.
Inſita notities erat hæc in origine prima
Cordibus humanis, digitoq; inſculpta Tonantis
Quo Lex marmoreis demum eſt inſcripta tabellis.
Atq; hoc illud erat formari ad imaginis inſtar
Diuina quæ in mente micat, quòd conditus eſſet
Primus homo, mentis diuinæ gnarus, & ultrò
Auctori præſtare potens quæ munia uellet.
His tunc officijs illum affeciſſet honore,
Perfecto ueneraus in amore, in ſpeq;, fideq;,

Præ-

præstandisq; operis aliena in sorte iuuanda.
Cùm uerò in tenebris fædè obscurata iaceret
Dulcis imago Dei, sed enim non oblita prorsus,
Quando scintillæ diuina ab luce relictæ,
Nempe acies animi quæ res scrutatur, & usum
Naturæ rerum, generatimq; insita cunctis
Notities de lege Dei, sub mente micarent
Abditæ adhuc, nec se auderent extollere recta:
Tum missum terris Natum in uelamine carnis
Imperijs egit Pater, ut simulacra refingat
Lapsa Dei sub mẽte hominis, tenebrisq; repulsis
Deterſæ affundat menti noua munera lucis,
Sopitosq; ignes iterum sacra excitet Aura
Dans libertatem menti, quo munia obire
Grata Deo possit quæ Spiritus exigit ultrò,
Imperfecta quidem, tristi hac dũ sorte tenemur,
Sed quæ plena forent, & ab omni parte beata
Destructa iam morte olim, cui subdita uita est
Corruptã ob sortem Naturæ in corpore nostro,
Quæ penitus nequit in solidum, integrumq; referri
Hanc dum ægri uitam trahimus, mundoq; moramur,
Cùm tandem functi tumulis ui Flaminis alta
Venturi æthereas iterum sint lucis in auras.
Ergò etiam præstare omnes benefacta necesse est

Debita,

Debita, qui Christi officio, Flatuq; sacrato
Incepêre iterum simulacra ad auita refingi
Viua Dei autoris, si plena, exactaq; demum
Restitui hæc cupiãt illorũ in corpore quondam
Et Christi gaudere opibus, partemq; bonorum,
Exemplo hæredum trahere in cœlestibus oris,
Corpora cùm rursus noua inibunt lumina uitæ.
Quis furor est igitur dictis obtendere Legi,
Et sacri officium Flatus premere, ut pia lustrat
Pectora, iterq; nouum uitæ docet ire beatæ,
Effigiemq; Dei reficit, fingitq; nouando.
Improbus AGRICOLA, & comes illi ridiculus
MVS
Qui Legem factis uiolatis, & ore profano
Fatidicum Mosen Legis data iussa sonantem
Imperio Nati, medius qui munera obibat
Legati, iussus Mosi concredere Legem,
Polluitis, sacrum maculantes crimine nomen,
Et furca, stygioq; caput damnatis Auerno,
Vos genuit Dathas pater, atq; eduxit Abiras
Quos hiscens tellus uiuos transmisit Auerno
Cum furijs acti sunt ausi obtendere Mosi:
Et causa illa fori tantùm spectabat ad acta.
Vos inquam diræ Eumenides quæ uindice pœna
Multant facta uirûm cinctæ serpentibus atris
Sollicitent, pœnasq; isto pro crimine sumant:
Dira nec à uobis Legis maledicta feranur
Imprecor,

Imprecor, & ueſtros maneãt ea crimina manes,
O multò grauiora auſi quàm turpis Abiras,
Et ſcelerum conſors: uos ſanctam crimine Legem
Infandum è ſuperis conati mittere ad Orcum,
Quæ cuſtos hominũ uitæ eſt, & firma uoluntas
Diuinæ mentis, fatisq; ignara moueri.
At uos queîs melior reſidet ſententia menti,
Audite ô uocem Sinai quæ in monte ſonabat
Luce ſub hac feſta quondam, cûm lapſa dierum
Quinquaginta eſſent diſcrimina, tẽpore ab illo
Quo genus Iſacidum Pharia regione reductum eſt:
Audite, & dociles legi ſubmittite mentes:
Deinc petite & uotis donum, quod ſorte ſecunda
Luce ſub hac feſta quondam fuit æthere miſſum
Multifidæ in linguæ ſpecie, flammæq; coruſcæ:
Hoc petite, ut celebrare Deũ cum pectore puro
Vita queat, iußisq; Dei parere ſacratis.
Atq; ideò uenit cœleſti Flamen ab arce
Cœlitus effuſum, quò credula pectora firmet
Eſſe recepta iterum dilapſa in fœdera amoris
Ante Deum: Cumq; illud idem procul eijcit omnem
Mœrorem ex animis noſtris, & pectora ſanat:
Hac luce erecti rurſum agnoſcamus amorem,

Quo

Quo nos prosequitur Pater in sua iura receptos,
Atq; fide accensis animis ad uota feramur.
TE sine nil altum mens inchoat, cia age lucis
Sparge tuæ radios diuini fomes amoris,
Atq; nouã mentem, noua suffice corda renatis.
Sed quia doctrinæ lucem succendit, & idem
Flatus inextinctam uario tàm in turbine seruat:
Vult nos officium uerbi reuerenter habere:
Quare agite, ut gratæ mentis monumenta superstent,
Illis subsidio qui sunt pia uerba professi
Quisq; sua pro sorte ferat sua munera ad ARAM.

In Pentecoste.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

DE Helia narrat Epiphanius in parte illa operum suorum, quæ de Prophetarum libris tractat, multorum sermone celebratam fuisse historiolam infantiæ eius dignam memoria, Quòd lambens ubera matris, flammas ex his copiosas & ardentes rapere & attrahere

attrahere uisus sit. Vndecunq; hæc narratio orta est, sine ulla dubitatione significata est hoc spectaculo uisibili excellentia Spiritus sancti, quæ in infante isto futura, & actiones habitura esset mirificas. Nec de ueritate aut certitudine huius narrationis cum quoquam cõtendemus, quanquàm author huius grauis est, & fide dignus. Hoc cùm certum sit, Spiritum sanctum flammam esse uiuam amoris & ardoris substantialis in Patre & Filio æterno, cumq; specie linguarum flammantium in Apostolos effusum esse, heri audiuimus, grata sit nobis hæc de infantia Heliæ commemoratio. Congruit enim & nobis, qui omnes sumus infantulorum lactentium & balbutientium similes, & inclusi sedemus ceu alno materno uoci diuinitus traditæ, eiq; uelut uberibus maternis affixi nutrimentum inde nostrum attrahimus, donec quasi editi in uitæ æternæ lucem palàm cernamus Deũ, & in uirum perfectum & mensurã plenæ ætatis Christi adolescamus. Hæc ubera etsi multi Cyclopicè fastidiunt: tamen nos, qui cupidè ea sugimus, hac nos consolatione erigamus, q. flammam simul diuinã, hoc est, Spiritum sanctũ uiuificantem & lætificantẽ corda nostra in doloribus mortis, & inferorum attrahimus. Nam conspici multa & miranda Spiritus sancti testi-

monia in his, qui se uoce Euangelij erigunt ac fustentant, exempla testantur eorum, qui placidissimè ex hac uita euocantur, & media in morte læti uiuunt & exultant. Qualis heri fuit exitus adolescentis OTTONIS SERNOVIENSIS Pruteni, qui etsi nondum fuerat egressus annum ætatis decimum octauum: tamen cùm à patre Pastore Ecclesiæ Sernouiensis ad agnitionem Filij Dei piè institutus & assuefactus esset, & initia illa in Academia Regiomontana, in qua annuo spacio uixit, mediocriter confirmasset, in morbo, quem ex patria huc attulit mucteratum, ita uoce diuina & præsentia Spiritus sancti confirmari & uiuificari uisus est, ut planè non dubitent hi, qui morienti adfuerunt, eum certò in sinum Filij Dei & societatem Ecclesiæ cœlestis collectum, uita nunc & lætitia æterna perfrui. Huic Ottoni funus futurum est hodie hora 12. Id ut usitata cæremonia & honesta frequentia auditores & scholastici nostri deducant, & ante publicum diuersoriam, quod aureæ Coronæ insigne habet, conueniant, eos hortamur. Et Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut clementer nos omnes Spiritu suo sancto regat, sanctificet & uiuificet ad uitam æternam, Amen.

Feria 2 Pentecostes.

STV-

STVDIOSIS THEOLOGIÆ.

QVòd aliquandiu à me lectionum operæ sunt intermissæ, credo plerisq; causam cessationis & rationem consumpti à me temporis constare, quibus nunc impedimentis remotis (quod institutum nostrum Deus benignè regat & fortunet) decreui post nondinas denuò lectiones auspicari. Visum est autem ijs, qui studia in hac Academia communi consilio gubernant, & lectionum materias distribuunt, è re studiosæ iuuentutis fore, si Euangelistarum Historias, de natiuitate, de doctrina & concionibus, de passione, de resurrectione & læto ad cœlos ascensu Domini nostri IESV Christi, & de prima Euangelicæ doctrinæ diuulgatione ac propagatione per Apostolos, sicut illæ à Matthæo & Iohanne Apostolis, & à Marco ac Luca fidis Christi & Apostolorum discipulis ac auditoribus luculenter descriptæ sunt græco sermone, ordine explicem grammaticè, & singulorum capitum summas indicem, & ad quem locum communem doctrinæ cœlestis quodlibet dictum referri debeat, commonstrem, quæ docendi ratio non minus necessaria, nec minus utilis censenda est, quàm illa altera, quæ iustos &

prolixos commentarios eorundē Apostolicorum scriptorum tradit, cui tamen illam priorem præmitti & subseruire necesse est. Frustrà enim, imò sæpè infœliciter rerum & sententiarum instituitur longior & procul excurrens enarratio, si ignotæ sint aut negligantur uocabulorum propriæ significationes, pondera & Emphases, et phrasium uis ac genuinus intellectus, & historiæ series petita ex circumstantiarum accurata consideratione.

Nequaquam igitur omittenda in scholis est hæc grammatica seu historica Scriptorum Biblicorum enarratio, sine qua nec nativus & proprius sensus Scripturæ teneri, nec turpes hallucinationes & errores in interpretatione librorum sacrorum uitari possunt.

EXordium autem explicationis, sumam à Matthæi Euangelistæ historia, quam Deo iuuante auspicabor, die Iouis post exitum nondinarum Lipsicarum, sumpturus ad eam lectionem, de consilio Collegarum horam quartam pomeridianam, donec de alia commodiore hora dispiciatur

DEVS æternus Pater Domini nostri Iesu Christi nos suo Sancto spiritu clementer regat, doceat & adiuuet, Vt in hoc studio docendi & discendi utiliter proficiamus omnes ad agnitionem,

nem, dilectionem & seriam inuocationem Filij Dei, & ad piam gubernationem morum, & hos nidulos nostros protegat, & ab ijs pestem, famem & furores bellorum procul arceat.

Paulus Eberus Doctor & Pastor.

IN PRÆLECTIONEM COMPENDII ASTROLOGICI, de Natiuitatibus:

SI tantum uoluptatis aut delectationis gratia cum cætera Philosophiæ studia, tum præcipuè Mathematū artes cognoscerentur: esset ea causa non leuis, quæ multorum ingenia ad amorem & admirationem earum artium inuitare posset. Generosæ autem & liberales naturæ sciunt non suauitatis tantùm causa artes expetendas esse, sed multò magis Dei uoluntatem intuentur, qui cùm toti naturæ passim uestigia sui impresserit, conspici & agnosci ea iussit, & artes testimonia esse sapientiæ & bonitatis suæ, deinde & uitæ præsidia necessaria esse uoluit. Harum causarum consideratio dignitatem artium extollit, & aliquorum mentes non prorsus Cyclopicas ad cognitionem earum accendit. Est autem doctrina de effectio-

nibus Syderum cœlestium minimè obscurum de Deo testimonium, ostendens mirando consilio ita connexa esse mundi corpora diuersissima cœlum & elementa, ut hæc sine motu ac lumine stellarum non gignãt aut producant aliquid. Sed uim ac temperiem ab illis hauriant & concipiant. Estq; hæc utrorumq; συμπαθεια illustre argumentum, hunc mũdum non extitisse casu, quòd in cœlo signa etiam uenturarum mutationum & euentuum uelut picta cernimus, quæ casu aut sine mente ordinari non poterant. Cœlo itaq; demissæ in corpora mentes nostræ, quibus impressa est Dei imago recordatione suæ originis ad Archetypi, et patriæ cœlestis agnitionem affectionemq; erigendæ atq; excitandæ sunt, & simul eruditè quærenda multorum euentuum ac mutationum in elementis, naturis animantium, & moribus signa stellis impressa. Quæ consideratio ad uitam rectè instituendam & frenandos impetus, ac moderandas inclinationes naturales, deniq; ad ualetudinis curam ac conseruationem utilis est. Neq; enim dubium est, ex positu & configuratione astrorum in schemata natalitia posse de temperamẽto hominis certius quàm ex ullo alio naturæ signo iudicari. Amanda itaq; & magnifacienda est hæc pars Physices, quæ nominatur μαντικὴ ἢ προγνωστικὴ

πασῶν τῶν ἀστρολογίας, & non solùm materiales causas in corporibus, sed & remotas efficientes in stellis ostendit, quæ materiam alio atq; alio modo afficiant & mutent. Eius doctrinæ initia iunioribus tradam cum præceptis de signis Genethliacis & reuolutionibus constituēdis, & rationē iudicandi de corporum crasibus, & præcipuis cuentibus, adiungam. Valete.

Bartolemæus
Schonborn.

HEBRÆÆ LINGVÆ STVDIOSIS S.

DVlciſſimè dictum eſt in Pſalmo: In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael, quo dicto inuitamur ad agnitionē ueri Dei, qui ſe in Iſrael certis & illuſtribus teſtimonijs patefecit, & ad doctrinam ac promiſſionem de Meſsia ibi traditam, quam ſingulari beneficio Deus Prophetarum ſcriptis conſeruari & propagari uoluit. Et ipſe Chriſtus Iohannis 5 capi: ſtudium uerbi diuini nobis commendans, Scrutamini ſcripturas, inquit, quia uos uidemini uobis in ipſis uitā æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtificantur de me. Ad hanc autem Scripturæ ſcrutationem linguarum

etiam cognitionem necessariam esse experiuntur omnes, qui sacrarum literarum ac uerae pietatis studiosi sunt. Doctrina enim Ecclesiae comprehensa est in libris Propheticis & Apostolicis, quorum natiua sententia sine linguarum cognitione retineri non potest. In primis autem Ecclesiae necessariam esse Hebraeae linguae cognitionẽ res ipsa testatur, cùm fontes doctrinae cœlestis ex hebraeo sermone petendos esse nemo ignoret. Sic est & apud Esaiam capite 12: Haurietis aquas de fontibus Israel. Sed hi fontes non hauriuntur sine cognitione hebraeae linguae, quae reuera fons est & optima interpres sacrae Scripturae, sine qua Ecclesiae doctrina pura retineri, ac ad posteritatem incorrupta transmitti non potest. Nam ut certa sit sententia in fontibus & testimonijs dogmatum, necesse est & seriem membrorum in qualibet oratione, & uocum proprietatem & phrasin considerari. Cùm igitur tanta sit huius linguae & dignitas & utilitas, simus cò diligentiores in ea discenda, quod ut commodè fieri possit, & ut studiosi exercitia eiusdem linguae habeant, decreui incipere explicationem Grammaticae, quam uulgò ad autorem Eliam referunt, quae elementa huius linguae discere uolentibus, propter perspicuitatem explicationis plurimum

pro-

prodesse potest. Auspicabor autem istam prælectionem hodie hora prima in ueteri Collegio.

Iohannes Bugenhagius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

DEcessit heri ex hac uita, circa horam decimam ante meridiem, coniunx honestissimi & prudentissimi uiri, Hieronymi Crappij, Consulis in hac urbe, cum uera & assidua inuocatione Dei, ardens desiderio lætitiæ & uitæ æternæ, postquàm superata esset magnitudine morbi, qui ex depulso periculo Apoplexiæ, naturæ robore, in ingens apostema brachij sinistri, & assiduam atq; ardentem febrem desierat. Hanc, etsi nata fuit honestissimo parente, ex peruetusta & honorata huius oppidi familia Cilsdorffia: tamen alia habuisse ornamenta scimus longè præstantiora. Excelluit enim ijs uirtutibus, quas in muliere Paulus requirit, & uerè fuit ἱεροπρεπὴς, καλοδιδάσκαλος, φίλανδρος, φιλότεκνος, σεμνὴ, ἁγνὴ, οἰκουρὸς, ἀγαθὴ. Deum uerè timuit, & ardenter inuocauit toto uitæ tempore, in agnitione & fiducia

ducia Filij Mediatoris Iesu Christi, & hanc animi pietatem omnibus officijs piæ ac sanctæ matronæ conuenientibus, declarauit, in uita priuata & publica, Cumq; elementa doctrinæ pietatis rectè didicisset, his liberos à teneris sedulò imbuit, quos tanta cura ac sæueritate educauit, assuefecit & rexit, ut domestica institutio & assuefactio sobolis, in ædibus ipsius, exemplum fuerit penè in hac urbe præcipuum disciplinæ cum grauitate et honestate seueriore, accommodatæ ad normam in Decalogo præscriptam, quã illi laudem recordamur tributam esse etiam à Luthero, et fuisse iudicium simile aliorum scimus. Viri fuit amantißima, quo cũm, coniugio placidißimo & honestißimo, exegit annos totos quadraginta tres, raro tantæ fœlicitatis exemplo. Quæ res præcipuè marito iam septuagesimum annum egresso luctum auget atq; mœsticiam, quòd orbatus præsidio senectæ in hac uita unico, ipse superstes coniugi, præter spem & opinionem prosequi funus cogitur. Fructum beneficentiæ ipsius desiderabunt pauperes, erga quos fuit officiosißima. Deniq; tanta eius prudentia & uirtus fuit, ut Elizabethæ Zachariæ coniugis, aut similis sapientis & sanctæ matronæ mores referre uideretur. Decet autem affici nos luctu & orbitate optimi uiri, Consulis, mariti,

mariti, hac ipsius ætate, quæ iam uicina morti maximè indigebat cura sedulæ & solicitæ coniugis, cùm propter merita erga singulos & uniuersos, & propter onera & molem gubernationis, quam penè solus in hoc oppido sustinet: tùm propter coniunctionem & necessitudinem, quæ ei intercessit cũ D. Philippo Melanthone, qui sororem eius habuit uxorem. Quare hortamur scholasticos, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta conueniant, & Deum orent, ut ei & mœstitiam & cæteras senectutis molestias leniat. Singuli etiam & suam uitam, & Ecclesiam Deo pijs precibus commendent, cùm quidem tam multæ publicæ ac priuatæ calamitates nos de petendo auxilio diuino commonefaciant. Motus intestinos minitatur uicina Saxonia, Tempestatibus horrendis & inusitatis fluminum exundationibus non obruuntur tantùm, aut prosternuntur, sed prorsus corrumpuntur, aut in ipso flore enecãtur segetes, pascua inquinantur, & inficiuntur cæno, & sordibus. Ergò & bella, & fames, & contagia infectionum ac pestilentiæ præ foribus sunt. Harum calamitatum conspectu excuscitemur ad uitæ & morum emendationem, & ad inuocationem, ut Deus pœnas clementer mitiget.

Die 5 Iunij.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

SApienter ſcitis in Ethicis Ariſtotelis diſputari & dici: Iuſtum eſt, quod & legibus conforme & æquale eſt: τὸ μὲν δίκαιον ἄρα τὸ νόμιμον καὶ τὸ ἴσον, τὸ δ' ἄδικον, τὸ παρανομον καὶ τὸ ἄνισον. Id dictum cò cogitent ſcholaſtici diligentius, quia & eruditionem multiplicem continet, et præceptū eſt utile moribus, & non diſimile eſt eruditiſſimæ deſcriptioni peccati, quæ in Canonica Iohannis extat: ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Inter reliqua autem digna conſideratione & hoc monet, omnium uirtutum, & iuſtitiæ imprimis duplices eſſe fines, Vnum priuatum, qui per ſe & propter uirtutis decus ac pulchritudinem eligendus eſt: Alterum communem, qui communis conſociationis cauſa appetendus eſt. Nam ut non ſolum ſibi naſcitur homo, ſed natura ipſa ad ſocietatem ducitur, Ita propter utrumq; finem expetere & tueri iuſticiæ ſtudium debet, partim quia & per ſe ſummum eius decus eſt, partim quia communis ſocietatis neruus eſt. Ac ut de ſingulis iuſticiæ partibus & ſpeciebus nunc non diſputemus, ſed de

de sola illa moneamus, quæ commutatiua ab eruditis dicitur, & contractus in uita gubernat, manifesta est huius publica & communis utilitas, quia certum est non posse retineri uitam sine communicatione rerum, nec communicationem posse esse perpetuam, nisi sit mutua & æqualis. Quia si qua multitudo tantùm acciperet, & alienis bonis & operis fruereturr, nihil ipsa conferens, cæteros exhauriri & egere necesse esset. Hinc sunt eruditæ illæ sententiæ: δὸς τὶ καὶ λάβε τὶ. Item: τὰ ἴσα πόλεμον οὐ ποιεῖ. Cogitent ergò scholastici & huius iusticiæ & summæ æquitatis consideratione ab Illustrißimis Principibus & dominis harum terrarum: singulis urbibus, & in his communitatibus artificum, priuilegia certa data & inter reliqua hoc quoq; concessum esse: Ne qui alij artificia sua in urbibus aut confinio harum exerceant, nisi qui his communitatibus associati sunt, & copiam ab his exercendæ suæ artis legitimè impetrarunt. Illi enim, qui in urbibus Ius ciuitatis habent, cùm & iurati sint & obligati Principibus, & onera publica non pauca nec leuia sustineant: Iniustum est inuolare in artificia, & fructum horum præripere eos, qui prorsus & immunes sunt à publicis oneribus, & sedibus incertis uagantur. Eam

igitur

igitur ob causam iam pridem decretum ab Academia factum & propositum est scholasticis, ne qui in ædibus aut habitationibus suis sarctores ac uestium artifices foueant, aut sumptu suo alant, uel ad faciendas de integro nouas, uel ad sarciendas ueteres, Sed ut uniuersi operâ utantur eorum, qui ius ciuitatis huius habent, & publicè artem hanc exercent. Illa uerò de re cùm querimoniæ aduersus scholasticos nostros graues & multæ ad nos deferantur, & nuper tumultus propter defensionem talis lucifugæ & hirudinis iniustæ ortus sit talis, ut nisi Deus nostros texisset, cædes inde tristis metuenda fuerit. Edictum hoc de publico Senatus Academiæ consilio repetimus, ac seuerè nostris præcipimus, ut in posterum prorsus ab illo genere καπιλευμάτων καὶ πλεονεκτημάτων abstineant, Neue priuilegia communitati sarctorum ab Illustrissimo Principe concessa, temerè aut contumaciter uiolent. Si qui enim deprehendentur, sciant grauiter Senatum Academiæ in hos animaduersurum esse.

Dominica, qua recolit Ecclesia summæ & adorandæ Trinitatis memoriam.

AVDI-

AVDITORIBVS DOCTRINÆ PHYSICÆ.

QVÆ in primo libro scripti Physici D. Præceptoris, reuerendæ memoriæ, ad doctrinam Physicam pertinent, ea, Christo gratia, explicando iam absoluimus. Planetarum motus à Mathematum Professoribus rectius discent illius scientiæ cupidi, unde & nos hæc peti malumus, præsertim cùm discendi occasiones publicæ sint in medio aliquanto preclariores, quàm & ab eo scripto & nostra explicatione suppetere possunt. Quod si quis augere ea, quæ in libro Physico de sphæris cœlestibus disseruntur, uoluerit, neq; fines tamen doctrinæ Physicæ egredi, ei de sphærarum & stellarum natura quærere licebit, quomodo differat copiosius, & cur sphæris distinguatur cælum, & sphæræ non stellæ moueantur, & sphærarum motus unde sit, quid proprium habeat, quid accedat, cumq; sint contrarij motus harum, an uis fiat aliqua, ut laboret una, & altera renitatur, & quomodo una alteram non impediat. Item cùm πρώτη φορὰ secum circumagat inferiores, & aëreæ etiam regionis partem aliquam, trahendo ne an impellendo seu trudendo aut uehendo hoc fiat, id est, an ἕλξις

sit

sit ὠσϊς aut ὀχησϊς, qua superior sphæra inferiorem agit. Huc referamus & δύο ἀποριήματα Aristotelica, quare Solis & Lunæ motus non sit tàm uarius & multiplex, quàm sunt stellarum in sphæris interiectis plerisq; , cùm consentaneum sit, quo unaquæq; sphæra abest ab extima longius, eo magis uariari motus eius. Et cur tanta sit in octaua sphæra stellarum multitudo, in cæteris autem singulæ tantùm appareant. De quibus, & his similibus quærere, & tentare quid humana sapientia ueriſimiliter & consentaneum ad modum ad explicationem horum afferre posſit, studium esse iudicat Aristoteles αἰδοῦς ἄξιον μᾶλλον ἢ θράσους. εἴ τις διὰ τὸ φιλοσοφίας διψῆν καὶ μικρᾶς ἐυπορίας ἀγαπᾶ, περὶ ὧν τὰς μεγίστας ἔχομεν ἀπορίας. Etsi autem rerum uniuersitas & hic mundus non ex ijs originem ducit, quæ mundi sapientia comminiscitur, sed ex ijs, quæ Deus famulum suum Mosen docuit, cui priuato colloquio illa planè & non per ænigmata exposuit, neq; de cœli & stellarum natura præter ea, quæ hic scribit, multa habemus. In his tamen rebus & similibus alijs, multa ingenij & intelligentiæ humanæ inquisitioni Deus permisit, quæ non sunt explicata in scriptura, & diligentia sapientum

pientum hominum utiliter multa perquisiuit & explicauit, Itaq; Philosophiæ & eruditionis inquisitiones uniuersæ, quando ab ijs, quæ in sacris literis legumur, non sunt dissentaneæ, neq; à recta ratione recedunt, non tantùm ferri possunt, sed laudis etiam merentur aliquid, in quibus uincant ea ἅπερ ἂν λόγος ὀρθὸς αἱρῇ. quomodo & nos de indicatis capitibus nonnihil ad auditores nostros disseruimus, Cùmq; nihil restet doctrinæ Physicæ, in primo libro amplius, omissis Astronomicis ad secundum transibimus. Etsi enim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, communi quodam uinculo cohærent, singulæ tamen ab ijs optimè explicãtur & discuntur, qui singulas exercent & profitentur, & à nobis, quæ nostræ sunt professionis, expeti animaduerto, atq; utinam loco astronomicæ illius doctrinæ inserta esset Meteorologica, magno labore & difficultate liberarer ego, cui hæc opera imposita est, quam & publicè ostendi me recepisse, &, Deo iuuante, suo loco præstare incipiam, uel hunc etiam anteuertam, si potero. Interea in libello Physico pergemus, & cras σὺν θεῷ secundum librum inchoabimus, quo complexus autor ea est, de quibus ex libris ἀκροάσεων Aristotelis ad discipulos harum rerum utiliter disseri potest, De princi-

pijs & quasi elementis corporum, de natura, de causis, de naturali motu omnium, & quæ naturam & naturalem motum sequuntur, quæ sunt proprietates corporum &c.

Esromus Rudingerus
Pabeperegnsis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

QVæ hodie conspicietur Eclipsis, tristia omninò & infausta cùm uniuerso generi humano, tùm inprimis Ecclesiæ, & doctrinæ cœlestis minatur: Et accedunt signa alia, proh dolor, infœlicia, & multa, quæ pericula minantur ingentia, & horribilia. Illa intuentes cogitemus quid sit hominum uita, & quid paulò post, cùm euocati ex his miserijs fuerimus, subsecuturum sit, reuerenter consideremus: Ac sciamus nihil esse hanc uitam aliud, quàm iter ad æternam & beatam illam Academiam, & consuetudinem cum Deo & electis omnibus, quæ in cœlo hominibus proposita est. Ad hanc, tanquàm ad portum, quicunq; adpellunt fœliciter, hos uerè beatos & fœlices censeamus,

ſcamus, de cæteris Pindaricum illud meminerimus: τιδὲ τις, τιδ' οὐτις, σκιᾶς ὄναρ ἄνδρωπος. Nec uerò alius ad beatitudinem illam aditus eſt, quàm agnitio Dei Domini noſtri IESV Chriſti, qui de ſe inquit: Ego ſum uia, ueritas & uita. Ac propterea & uox diuina tradita à Deo teſtimonijs illuſtribus, & aliæ multæ artes ſonant in Eccleſijs & Scholis, ut his ad agnitionem Filij Dei, & ad iter hoc ſinguli non ſolum perducantur, & inſtruantur, ſed etiam inſtruendis & ducendis alijs præparentur. Hunc ſtudiorum finem ſummum & neceſſarium ſingulis, ſæpè cogitare pios adoleſcentes iuſtum eſt. Nam qui in hac uita initia lucis, & ſapientiæ illius mirandæ, quæ in Academia cœleſti expectatur, non diſcunt aut agnoſcunt, hi ſe aditum alium ad Deum habituros eſſe, ne præſumant aut ſperent. Et quod grauiſſima uox diuina monet, diligenter recordentur: Semel hominibus conſtitutum eſt mori, Deinde iudicium. Item: Hæc eſt uita æterna, ut agnoſcant te ſolum uerum Deum, & quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum. Item: Qui non credit Filio, iam iudicatus eſt. Hæc ſeueriſſima fœliciter inſtituēdæ uitæ præcepta ſeriò, & ſæpè cogitaſſe honeſtum, & doctū adoleſcentē IOANNEM TVMSER Schuabachenſem, cui hodie hora duodecima fu-

nus fiet, multa eius ante mortem dicta, inter ſuſpiria & preces aſſiduas teſtantur, quæ argumenta eſſe iudicamus indubia Spiritus ſancti in pectore eius habitantis, & lucis illius cœleſtis initia in ipſo accendentis, Quæ & cum ingenti uoluptate ac lætitia noſtra audiuimus, & nota eſſe pijs mentibus, & ſæpè ab his conſiderari, cupimus. Cùm ueniſſet ad eum conſolandum Vir Reuerendus D: Petrus Ezelius fidelis Eccleſiæ noſtræ Miniſter, & interrogaſſet eum, Num ad migrationem ex hac ærumnoſa uita paratus eſſet, & an reliquos haberet parentes, quidq; his ſignificari poſt mortem uellet? Continuò ſubiecit dulciſſimum Pauli dictum: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ac mox teſtatus eſt, non modo ſe paratum eſſe, ſed cupidiſſimè, & gemitibus ardentiſſimis migrationem hanc dudum à Deo petiuiſſe. De parentibus reſpondit, Neutrum ſe habere ſuperſtitem. Ac Pſalmi dicto ſe erigens, addidit: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autē ſuſcepit me. Poſtea, cùm inter cæteras conſolationes uoce diuina à Domino Ezelio ei & dulciſſimū Auguſtini dictū propoſitū eſſet: Omnis namq; ſpes et fiduciæ totius certitudo poſita eſt mihi in precioſo ſanguine Chriſti, In ipſo reſpiro, in ipſum confido, per hunc ſolum ad Deū peruenire deſidero, Nō habens

habens meam iusticiam, sed eam unicam, quæ est ex uno Domino nostro Iesu Christo: Id, inquam, dictum, cùm propositum ei esset, effusissimè eo lætatus, aliquoties sibi id, & inculcari petiuit, & donec extinctus est, memoriam eius assiduam cum singularis læticiæ testificatione retinuit. Talis cùm fuerit huius TVMSERI migratio, non dubitamus, eum & ad portum cœlestem fœliciter appulisse, & in numero eorum esse, de quibus in Apocalypsi scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hortamur igitur uniuersos & singulos scholastico ordini nostro addictos, ut uel eam ob causam ad deducendum funus libentius & frequentius hodie hora duodecima paulò infra ædes D. Doctoris Crucigeri conueniant, ut se exempli huius cogitatione ad migrationem salutarem singuli tantò studiosius comparent, & pijs suis precibus Ecclesiam, & seipsos, Deo commendent. Datæ 20 Iunij.

CONSIDERATIO ECLIPSEOS, QVÆ EST FACTA Anno 1563. Mense Iunio, D: 20.

H: 16. M: 16. P. M. VViteberg.

QVid tantùm è cœlo ueriẽia fata notamus,
Hei miseri, & nostra de clade inquirimus astra

Sedibus infaustis commissa, aut lumine læuo
Obuia, & in magno toties signa edita cœlo?
E rebus quæcunq; infra in tellure geruntur
Argumẽta mali, & uestram prædiscite sortem.
Penè suæ oblita est sortis pars quælibet anni,
Miscenturq; uices, & uersa lege feruntur
Omnia: Num sua habenda fides mortalibus ullis,
Decipimur toties cœli si fraude sereni?
Et Veris ratio uaria est, & inhorruit Æstas
Frigore, tempestasq; cietur turbida cœlo
Vortice corripiens hominumq;, boumq; labores.
Siqua tamen tantis manscre imperdita fatis
Frumenta, & uiridi in stipula lactentia turgent:
Flamina uentorum uiolento turbine uexant.
Serus in Autumnum quòd si seruabitur æstus,
Pallida Tisiphone stygijs armata uenenis
Dispergit morbos, & sternet corpora letho.
Vidimus & uasto cœlum discedere hiatu,
Nocturnasq; faces flammarum ducere tractus,
Atq; hinc, atq; illinc abrumpi nubibus ignes
Concursu, & cadere in terras tela ignea uulgo.
Quis uerò ueniam uotis petit, ac prece poscit
Sollicita paces uentorum, animasq; secundas,

Quis

plangit mala? Securi cœliq; Deiq;
o interea cumulamus crimine pœnas,
a peccandi simplex, sua cuiq; uoluptas
iam culpæ diuersa in sorte ministrat,
tis, illi lædunt pia numina dictis,
a faciunt de relligione cothurnos,
tros intra muros peccatur, & extra.
d quem præterita adficiunt minus, aspice quæ nunc
Portendit cœlum præsentia: Namq; ubi lucem,
Quam faustis hodie auspicijs, atq; aëre puro
Extulerat, radijsq; retexerat ætherius Sol
Fine bono clausam cupiet decurrere mundo:
Ecce intercipiet lucem soror impia fratri
A quo lumen habet, nigroq; obducet amictu,
Vsq; adeò ut tenebras omnes Acheronta putares
Liquisse, & magnas cœli texisse cauernas,
Et dimittere equos Sol languidus optet hiantes.
Vos quibus astrorum positus cœliq; figuram
Explorare labor, nimium dira omina rerum
Conijcitis: lectæ segetes, frugesq; repostæ
Damna trahēt: Nā sede sua stans humida Luna
Sub signo humenti, quà Sol quoq; luminis almi
Deponit radios, superiq; proinde Planetæ

Cõiuncti, tumidis cumulabunt flumina lymphis
Vt supercrnt amnes, & passim exuberet humor.
Ergò liquida uis, & multa grandine nimbi
Terram ad diluuiem reuocabunt, & fata læta
Vel subiti periment imbres, gelidæue pruinæ.
Inq; domo Lunæ residens, discrimina multa
Morborum intentat Saturni frigida stella.
Cumq; eadem noni posita est in cuspide tecti,
Portendit diras fraudes, sæuosq; furores
Agmina quos passim sacris operata mouebunt
Deluſa affectu proprio, ceu cætera nusquàm
Bella forent, nusquàm toto erraretur in orbe.
Iuppiter hæc paulùm Saturni incommoda lenit
Sublimis positus, quamuis à lumine læuo
Saturni premitur, clades unde ille bonorum
Portendit miseris, propriæq; incommoda sortis.
Hos etiam propria Mauors in sede locatus
Respicit obuertens radios, atq; impia bella
Seditione graui, properataq; fata minatur:
Namq; domum mortis quadrata luce tuetur.
Inde latrocinia, & morbos portendit acutos:
Adde graues motus in relligione, minasq;
Ventorum ingentes, & magna tonitrua cœli.
Sol etiam Lunæ penetrali in sede receptus,
Humida præsertim cùm sydera fixa sequantur
A tergo comites, quædam sint præuia gressu,
Hei miseris nautis signat discrimen aquarum.

Nec

Nec uerò hæc ſine mente aliqua, ſine numine certo
Proueniunt fruſtrà: Signis dedit ipſa fidem res.
Et iam pœnarum ſatis, et iam cladis abundè eſt,
Sed, fateor, culpæ noſtræ mala plura merentur,
Ni patria bonitate Deus ſua frena furori
Contraheret, ne ſacra hominum monumenta fatiſcant,
Et penitus toto Pietas intercidat orbe.
Vos autem diræ clades, uos triſte manebit
Supplicium, nullo aſſueti manſueſcere cultu:
Verba docent, & ſigna monent, & pœna probabit,
Ni ſubitò in melius uitam conuertitis, actum eſt.

Iohannes Maior
Ioachimus D.

DE ECLIPSI SOLIS,

QVÆ ERIT DIE XX. IVNII hora 4. M. 10. Sec: 19. poſt meridiem.

Signa tot à nobis grauium ſunt uiſa malorum,
Edita quæ terris, quæq; fuere polo,
Hæc ut uel ſolidum poſſint Adamanta mouere,
Aut illo ſi quid durius eſſe poteſt.
Vidimus, ut cœlum ſubitos demiſerit imbres,
Vidimus & quantas uoluerit Albis aquas.

Vidimus illuuies, ruptoq; flagrantia cœlo
Chaſmata, permagni nuncia certa mali.
Quin obducta etiam nigra ferrugine uultus
Defectum lucis lumina paſſa ſuæ.
Qui ſtatuis caſu hæc fieri, nec prodere quicquam,
Heu mihi quas pœnas pro leuitate dabis?
Talis erat, ſermone potens linguaq;, Pericles,
Argiuis radios Sole negante ſuos.
Tum ſocij rerum ſubita nouitate pauebant,
Et gelidum toto corpore frigus erat.
Ipſe gubernator claßis, penè immemor artis,
Anxius in puppi ſemianimisq; ſedet.
Ille ubi nauclerum, ueluti Iouis ignibus ictum,
Iſtas ob tenebras obſtupuiſſe uidet.
Veſte tegit uultum, dictisq; profatus amicis,
Hoc ne tibi oſtentum triſte uidetur? ait.
Nil tibi, uil prorſus, niſi copia lucis, ademptum eſt,
Ad tempus faciem ueſte tegente tuam.
Talis & eſt ſpecies, obſtans cum Cynthia fratri
Ad terram radios non ſinit ire uagos.
Aſt ea caligo mala portendebat Athenis
Plurima, totq; annos urbs dominata ruit.
In Lacedæmonios perſuaſi bella gerebant,
At grauiter cæſi terga dedere fugæ.

Vrbsq;

Vrbsq; obsessa diu est, & captam subruit hostis,
Dum daret horribiles tibia curua sonos.
Sic igitur sese cuertit patriamq;, Pericles,
Contemptor cœli, qui prius acer erat.
Ergò licet causas habeant, nec habere negamus,
De quibus artifices dicere plura queunt,
Non tamen idcirco reputes nil triste minari,
Longè absit leuitas mentibus ista pijs.
Artifices norunt, docet experientia, nunquàm,
Quin sequeretur atrox, talia facta, malum.
Aut ualidæ excisæ subuersis mœnibus urbes,
Summaq; sunt humili subdita regna iugo.
Aut latum emergunt grassantia bella per orbem,
Cimica uel rigidus miles ad arma ruit.
Aut placidi sæuo rapiuntur funere reges,
Et subeunt tristi fata suprema die.
Adde quod illuuies, putridi contagio cœli,
Quodq; æstus sequitur, quodq; maligna fames,
Quodq; suis tãdem magno cum murmure claustris
Spiritus erumpit, terraq; mota tremit.
In promptu ratio est, perhibetur Cynthius autor
Lucis, & illustrat lumine cuncta suo.

Quin

Quin & uiuifico, quod naſcitur, ille calore
Luceq; congenita ſuauiter omne fouet:
Ex hoc nata igitur tandem languere neceſſe eſt,
Ipſo fonte aliquid perpetiente mali.
ILLA pijs animis, & pura uoluite mente,
Terris cras lucem Sole negante ſuam.
Nam ſpacium ulterius medio cùm Phœbus habebit
Quartaq; libentem cùm trahet hora diem.
Excludet fratris radios ſoror æmula Phœbi,
Aſſumpſiſſe nigros ut uideatur equos.
Dumq; peragrabunt pluuialis brachia Cancri,
Qui gaudet uitreis Sole peruſtus aquis,
Cum Ioue Saturnus ſigno fulgebit eodem,
Diriget huc etiam Pleiade natus iter.
Quos, mala multa minans, propria Mars aſpicit arce,
Phryxæi pecoris cornua dura tenens.
Aurea, quà Phœbus rutilum caput æquore condit,
Luſtrat Aratoris terga recurua, Venus.
Hæc ita conſiſtent alto fulgentia cœlo
Sidera, ferrugo dum nigra Solis erit.
Lumina maiorum (nam nunquàm impunè uidentur
Iuncta) Planctarum magna pericla notant.

Cumq;

Cumq; tenens falcem ſit'noni in limine tecti
Cui dominans Cancri brachia Luna tenet.
Impendent ſacris diſcrimina, forte propinquant,
Qui tradent aliud Relligione patrum.
Omen ab euentu eſt. Quondam ferrugine Titan
Dicitur hoc uultus occuluiſſe loco.
Dogmata nec longo poſt tempore ſparſit Arius,
Quorum uerba nigrum ſingula uirus habent.
Et quoniam inſtabilis Phœbe dominatur in arce,
Nomina relligio cui ueneranda dedit,
Atq; in retrogradu tenet hæc habitacula Cancro,
Signa ſacerdotum mobilitatis erunt.
Deinde quod aßiſtunt comites pluuialibus hœdis,
Sepius hybernis terra madeſcet aquis.
Inſignes etiam clades, morbosq; minantur,
Multa notant belli tædia multa uiæ.
Exaltata tamen cùm ſit Iouis optima ſtella,
Flacigeri ſæuas molliet iſta minas.
Te rogo Gnate Dei, ſoboles æterna Parentis,
Qui noſtræ aſſumis debile carnis onus,

Subli-

Sublimisq; ſedens latus ad Genitoris alumnus,
Rex hominum inuictus iam ſine fine manes,
Tu mala, quæ nobis hominum tetcrrimus Oſor
Molitur, facili pro bonitate leua.
Nec ſine, collecto cœtu, pie Chriſte labaſcat,
Iam propè nutantis Relligionis opus.

M. Georgius Mauricius
Noribergenſis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

DE obedientia Imperijs & Magiſtratibus debita, ſæpè cogitandum eſt: quod Paulus Rom: 13. præcipit: Omnis anima poteſtatibus quæ præſunt, ſubdita ſit. Nam quæ ſunt poteſtates, non ſunt niſi à Deo. Quæ ucrò ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt &c. neceſſe eſt autem obedire non ſolùm propter iram, ſed & propter conſcientiam. Id dictum Paulinũ ut murus eſt & præſidiũ Imperiorum & Magiſtratuum firmißimum, & ab ipſo Deo uindice & executore huius ſui ordinis cuſtodiri et ſeruari uidemus in pœnis tragicis eorum, qui contumaciter Magiſtratui aduerſantur. Ita cogitate uos quoq; ad obedientiam obligari in

ijs,

ijs, quæ grauibus de causis à uestris Magistratibus sanciuntur. Ac seueritatem uerborum Pauli considerate, quibus & hæc obedientia flagitatur, & Magistratuũ decreta & totus ordo politicus muniuntur. Non solùm, inquit, obediendum est propter iram, hoc est, Magistratuum supplicia, quibus ipsi sontes afficiunt, sed propter conscientiam, hoc est, ne conscientia polluta contumaci detrectatione obedientiæ à Deo auellatur, & pœnarum æternarum rea fiat. Hæc scitote uincula esse ac monumenta ordinis politici, quæ nulla nec contumacia nec uis humana effringere aut unquàm soluere potest. Ac qualia sint accuratè considerate, Conscientiam affirmat coram Deo pollui, & ream fieri æternæ iræ Dei & æternarum pœnarum: Tales qui sunt, haud dubiè & auelluntur à Deo, & deserti ab ipso fiunt captiui Diabolorum, & certò abijciũtur in pœnas æternas, nisi fiat conuersio. In hac quoq; uita cùm est atrox aduersus Magistratum contumacia, sine ulla dubitatione pœnæ Tragicæ tales opprimunt. His tantis malis cùm nihil cogitari possit tristius aut horrẽdum magis, ne existimate esse adiaphora, quæ à Magistratibus uobis proponũtur, quæ impunè aut sine metu pœnarũ diuinarũ uiolare uobis liceat. Ac furores eorum toto pectore execramini, qui liberta-

bertatem in his ſtultam & perniciosam uel defendunt uel ſibi ipſi ſtolidè ſomniant aut ſumũt, & fortitudinem eſſe opinantur, contumaciam in tali uiolatione inſignem oſtendere.

Cùm igitur ab Illuſtriſsimo Principe Auguſto, Saxoniæ Duce & Electore, & Scholæ noſtræ nutricio, & Domino noſtro Clementiſsimo, ante paucos annos ſeueriſsimè edictum ſit uniuerſis huius oppidi & uicinorum pagorum incolis, ſcholaſticis, ciuibus & cæteris uniuerſis, ne qui in agris aut nemoribus urbi uicinis cum bombardis uagentur, ſeu uenationis cauſa, ſeu quocunq; prætextu. Et nunc id propter querimonias, quæ de ſcholaſticorum noſtrorum hac in re contumacia ad Celſitudinem eius delatæ ſunt multæ & uariæ: repeti & proponi denuò uoluerit, addita iterum comminatione illa pœnæ capitalis ſeu corporalis, quam tunc uiolatoribus edictum hoc denunciari curauit. Iudicauimus noſtri officij eſſe, ut iuriſdictioni noſtræ ſubditos ea de re moneremus, ne qui uel imprudentia & ignorantiæ prætextu, uel contumaci etiam uiolatione periculum ſibi inexpectatum accerſerent. Scholaſticis itaq; noſtris ſingulis & uniuerſis ſub ea, qua & Illuſtriſs. Principi & Academiæ, imò ipſi Deo, deuincti ſunt obedientia, præcipimus, ut à geſtatione bombardarum in uni-

uniuersum deinceps abstineant, & ne qui cum bombardis deprehendi se in agris aut saltibus uicinis sinant. Nam & Magistratus oppidani & Præfectus Principis cùm mandata ea de re seuera habeant acres se et assiduos talium errorum obseruatores futuros esse coram nobis testati sunt, & periculum talium non leue futurum est aut paruum. Nos quoq; Præfectui & magistratui Principis deesse non poterimus, si quæ tales ad nos adferuntur querimoniæ. Proponite ergò uobis dictum, quod ex Paulo audiuistis, & non solùm iram & supplicia Magistratuum metuite, sed multò magis Dei iram & pœnas æternas reformidate, quas contumacibus & denunciari & certò eos opprimere cernitis. Cogitate & dedecus esse singulare & notam ignominiosam ordinis nostri uniuersi contumacem huius edicti contemptum. Cùm studiorum, non uenationum aut similium cupiditatum causa huc missi sitis, & uirtutum omnia officia discere & intelligere tales, qui studijs destinati sunt, iustissimum sit. A Principe uerò optimo & Clementissimo cùm innumera in hanc Scholam beneficia extent, & subinde adhuc proficiscantur, flagitium est scholastico indignum & ignominiosum, nolle in re iustissima & honestissima tanto benefactori, imò Deo ipsi,

ut dictum est, obtemperare. Etsi autem speramus bonos etiam sine nostra commonefactione officium suum non grauatim facturos esse: Tamen si qui ferociores contumaciam hac in re insignem ostendent, & non nostrum tantùm, sed Principis potissimum edictum contemnent, hos iam præmonemus, decreuisse Senatum Academiæ in tales seuerè animaduertere, & Statuta ea quæ hac de re à Principe & ab Academia facta sunt, & extant publicè constanter uelle exequi. A Magistratibus uerò oppidanis, si qui fortè comprehendentur, & in periculum uenient, ne Academiæ postea auxilium expectent, iam se præmonitos fuisse meminerint.

Datæ 20 Iunij.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, HIERONYMUS OSIUS, Artium & Philosophiæ Magister & Poëta Laureatus.

ANtè, sui dirum quàm pomum oblita marito
Præbuit Eua, datæ uis ea mentis erat:
Cuncta sagax acri penetraret ut abdita sensu,
Obscuræ penitus nubis habente nihil:
At nunc caligant animi, densisq; tenebris
Perpessi uicium triste potenter hebent.

Nilq;

Nilq; uident, atris quòd non sepeliuerit umbris
Caligo, remorans cognitionis iter.
Ante graues fuerant hæc omnia nota ruinam,
Nilq;, duos illos quod latuisset, erat.
Lux ea nunc languens obscuro nubilat usu,
Et nil noticiæ penè prioris habet.
Viuit adhuc scintilla tamen de fomite flammæ,
Parua licet, ucteris, cui sed acumen abest.
Quæ tamen accendi, uigiliq; labore foueri,
Crescere tum studio res meditante solet.
Iam moritura nouum trahit ut quassata uigorem
Fax, finit officio seq; mouentis ali:
Sic ea lux usu se quasi tutacunq; foueri,
Desit in hoc si non sedula cura, finit.
Discimus huius enim radijs fulgentibus artes,
Præsidio nobis quas Deus ipse dedit.
Hanc quia noscendi uim nobis ille reliquit,
Vt rerum species scire sit huius opus.
Restet ut ingenijs nostris aliquanta facultas
Noscendi res, quas utile scire patet.
Discere quas non hac ratione necesse fuisset,
Lapsus idem si nunc, quod prius esset homo.
Noticiam stabilem nunc mens illæsa teneret
Rerum, deq; sui semine, deq; Deo. (ipsam,
Quem nunc ritè parum, uix seq; agnoscit &
Tam dubijs illam motibus error agit.

Dum quasi per nebulam rerum uix accipit umbras,
Sæpius incassum quàm remouere parat,
Hæc acui studijs lux posit ut ergò superstes
Quantulacunq;, modi fert Deus huius opem.
Cœlitus ingenuas nobis qui porrigit artes.
Quæ cumulent animum cognitione sui,
Quas dedit humanæ natas seruire saluti,
His quæ cassa diu salua manere nequit.
Sed quas haud nostras tamen ocia segnia reddũt.
Has acri studio uult Deus autor emi
Addidit inde grauem discendis ille laborem,
Hinc exercitij ne graue desit opus.
Quod tractans aliquis non segni torpeat usu
Vitæ, qui uicijs non alimenta neget,
Quo res quæq; magis prodest mortalib. ægris,
Hoc grauiore dari plena labore solet.
Sunt quæ pulcra, uolunt ea se sudore parari,
Quæ non pulchra, sequi pene labore caret.
Sic bona diuinis cùm nulla priora supersint
Artibus, his curæ copia magna subest.
Exhaurire potest nemo quam totius æuo
Vitæ, multa recens quæ doceare, dabit.
Ars hinc longa, breuis consuetuit uita uocari,
Mox solet hæc, usu longior illa teri.
Sunt artes hominum genus instrumẽta docendi
Res usu plenas, sanctaq; iussa Dei.

Quas

Quas ego ſic numero ſeptem reor impare dici,
Has ut dona Dei nomen alumna probet.
Huic ſua nam quædam numero myſteria tra-
dunt,
Quem cœleſte magis numen amare putant.
Nemo poteſt harum, ceu dignum dicere laudes,
Multiplici ſuperant utilitate modum.
Quarũ, quàm ueteres dixere Palæmonis artem
Forte uiri, primo digna putanda loco.
Ordine prima ſuum quia ceu ſortitur honorem,
Vſu ſic uario prima putanda ſubit.
Hæc quia pandat iter niſi protinus ire uolenti
Per reliquas, cœptis eſt uia nulla tuis.
Quæ ſine nulla poteſt diſci res, nulla doceri,
Nulla modo dici, nulla decente legi.
Scribendi uarios hæc una magiſtra labores,
Dicendiq; pari lege gubernat opus.
Quiſquis es ergò uiam doctas qui quæris ad ar-
(tes,
Hac duce militiæ res age tyro tuæ.
Vt, qui cœcus, agi greſſus errore uiator,
Dum nullo pariter uadit eunte, ſolet:
Sic qui Grammaticæ ductu non appetit artes
Sex alias, cœci more capeſſit iter.
Ad reliquas aditum illa duas facit inde ſorores,
Vt pars, quas habeant hæ, tibi detur opum.
Res quarum una uiam diſcendi, aptèq; docendi
Tradit, & à falſis iungere uera docet.

Hæc oculis remouet denſam caligine nubem,
Qua ueri ſpecies diffugiente patet.
Altera magnifico pompoſa ſuperbit amictu
Rerum, nec cultu uerba uacare ſinit.
Totius ut certò, ſua cui uelamina deſunt,
Corporis agnoſci propria forma poteſt:
Sic habitum nimio Dialectica reſpuit uſu,
Vt pateant cœcis antè ſepulta dolis.
At uelut ornatu decus additur omne puellis,
Deformeſq; notas ueſtis honeſta tegit:
Addere Rhetorice blandum ſic rebus honorem
Ars ſolet, & maculis eſſe uetare locum.
Quatuor his aliæ iungunt ſua deinde ſorores,
Quæ grauiora dari ſed documenta ſolent.
Rebus Arithmetice numerandis ſeruit, & artem
Se probat, hæc qua non uita carere poteſt.
Quæ numeri ſeriem mirandã oſtendit & uſum,
Diuinæ ſpecimen qui rationis habet.
Danda ſagax etiam pro mercibus æra coemptis
Æſtimat, & quo ſint illa ualore notat.
Terrenum radio cenſere Geometer orbem,
Corporaq; exiſtant quanta docere ſolet.
Ars quæ nacta ſuum nitidis eſt nomen ab aſtris.
Ætheris illa facit ſub regione uiam.
Per quam mens humana poteſt cœli ire ſub arcem,
Et uarias motu dante uidere uices.

Altius

Albius hoc terræ quid ab orbe putemus olympo?
Hinc tamen ingenij uiribus ire licet.
Quid quæ nata modis animos mulcere canendi,
Ars data diuino munere nonne fuit?
An non nobiscum chorus hac obit aliger horas
Officij, fungens quo canit ante Deum?
Has Deus ipse dedit nobis, coleremus ut artes,
Rebus & hinc nostris ut peteremus opem.
Quarum qui studijs pulchrum triuêre laborem,
Illarum Iuuenes nec rude pectus habent.
Militiæq; suæ poscunt qui dulce trophæum,
Ingenij parto quo celebratur honos:
Hi sua nunc uetcri transcribi nomina curent
More scholæ, multum qui rationis habet.
Vt sua lustrari non miles honesta recusat
Arma, nec arbitrij respuit huius opus:
Sic Phœbi par est sectantes castra probari
Iudicio doctos candidiore uiros.
Tale petituri decus hi qui moribus adsunt
Ingenuis, uacui corda nec arte gerunt:
Hi nostro candore frui feliciter ausint,
Hæc censura pij plena fauoris erit.
Sedte Gnate Dei precor his conatibus adsis.
Dignus ut inde tuo nomine surgat honos.
Ante fores stantem non intromitte Gradiuum
Mi Deus à nobis coge referre pedem.

Pelle, tuũ esse palàm qui se ferus arguit hostem
Moschum, Marte fero, qui gerit arma, ducẽ.
Te pia ne Musis celebrantibus ocia desint,
Quæ nihil armorum tempore iuris habent.
Quiq; sacro temerè cumulãt de dogmate rixu,
Coge semel uindex iurgia fœda sinant.
Agricolam socio lites cum Mure serentem,
Plecte, tui uerbi ne populentur agrum.
Legis enim ambo tuæ nascentes semine fructus,
Ore uenenato non uiolare timent.
Illam impunè sacris audent explodere templis,
In quibus hanc capti mente sonare uetant.
Esse quid hoc ausi, nisi bellum indicere Christo,
Qui uetat in nobis hanc abolere, potest?
Quis fuit, ante omnes qui nato impressit Adamo
Noticiam, cunctos quæ docet esse Deum?
Nonne dabas illam tu conditor optime nostri
Christe? Pater per te tale peregit opus.
Mentibus humanis lux hæc insperſa doceret,
Perpetuò quales nos uelit esse Deus.
Ergò duo clamant hanc legem turpe doceri
Deliri temere qua lcuitate senes?
Antè bonis lolium nocuum qui miscuit herbis,
Agricolam tandem debita pœna domet.
Et non immeritos ueritum permingere Murem,
Digna semel prædam felis adorta petat.

Rusticum

Ruſticus inſulsè uulgi ne futilis aures
Occupet eloquij fraude uel arte ſui.
Stercora nec puro ſua Muſculus oblinat auro
Doctrinæ, audet imers quam temerare dolo.
Peßime Mus, ſed peior adhuc cur Ruſtice fucum
Plebeis faciunt dogmata ueſtra uiris.
Marchica quo non ingenio, aut uirtute priorem
Terra dat, hunc odijs cur onerare iuuat?
Laudis enim ſummæ uobis præſtantior aufert:
Palmam, cauſa duos hæc odioſa mouet:
Ambo mori illum hodie, quàm cras ut uiuere mallent,
Sed tibi, non alijs improbe liuor obes.

In die Iohannis Baptiſtæ.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, HIERONYMUS OSIUS, Artium & Philoſophiæ Magiſter.

FOrſan hebens acies ferri ceu cederet ferro,
Hæc reddi melior uiq; terente ſolet:
Exercente uiro ſic ſæpè uir acrior exit,
Seq; acui tali ſentit uterq; modo.
Eſt alios tentare uiros res utilis olim,
His ſtimulis uirtus creſcere mota ſolet

Sæpè ſolent alios tentando multa doceri
Doctrinæq; inſtar quæſtio talis habet.
Quærere res alias, aliasq; docere quis uſu
Multiplici plenum tale negabit opus?
Vnus homo ſolidè non omnia nouit, & artes.
Ingenuas nullo nemo docente tenet.
Ergò datas acui uires examine prodeſt
Ingenij, quas mos ille potenter alit.
Haurit enim ualidum uirtus agitata uigorem.
Scrutantumq; operæ plurimus uſus ineſt.
Sic nunc una dati eſt quia pars exhauſta laboris
Nobis, officij quem ratione ſequor:
Altera cura ſubit pars altera ritè gerenda
Cuius, ut eſt moris, publicus actus erit.
Priuato, iuuenum tentare labore per artes
Iuſſi quorundam pectora docta ſumus.
Debita quos dignos placidè cenſura probauit,
Arbiter hos ut nunc publicus arte probet.
Vt titulo ſatis eſſe, petunt nunc cuius honorem,
Iudicij dignos tale loquatur opus.
Hìc quia more ſolet quæri doctrina recepto,
Quæ, quid in aërio ſe gerat orbe, refert.
Aut præcepta bonis quæ morib. apta miniſtrat
Quaq; domi fas res lege, foriſq; geri.
Sic quoq; quas regio, quæ continet aëris orbem,
Res parit alta, labor quærere noſter erit

Aëre

Aëre quæ uacuo quoniam ſublimia pendent
Graius ab oſtentis his meteora uocat.
Cur his prodigijs armari gaudeat aër,
Ac mortale tetro terreat igne genus.
Immanem barbam cur hæc imitata uaporum
Sit moles, iaculi more ſed illa uolet.
Hæc diſco ſimilem ſit imagine nacta figuram,
Hæc dolij ſpeciem fundat adepta iubar
Ingruat ille feris cur cornibus igneus ardor
Ille uiri referat ſigna ſequentis equo.
Nunc ardere faces flagrantibus accidat auris
Flammaq; nunc longas ducat in axe trabes.
Cur liceat quondam ſtellas cum ſole uideri,
Harum mira quibus fiat imago modis
Quidq; cauo cingi faciat Phœbi orbe ſoro-
rem,
Aut Phœbi teneant talia ſepta iubar.
Cur quondam plures oſtendat uterq; figuras,
Et triplici faciem lumine ſæpe trahat.
Ardentes Clypeos cur aura coruſca miniſtret,
Stellaq; de cœlo cur uideatur agi.
Aëris hæc regio cur tempeſtate laboret,
Ex aſtris oriens uis elementa regat.
Augeat ardorem rapido cur Syrius æſtu
Solis ubi radio ſtella iuuante furit.
Qualibus inde modis horrenda tonitrua fiant,
Et rutilum reddant fulgura ſparſa iubar.

Materiam

Materiam uentis quæ promat origo uaporum,
Auram qui uariè ui quatiente mouent.
Aere uibrato cur facta remurmuret ECHO,
Quando illisa cauis redditur aura locis.
At tempestatum cieat quæ causa labores,
Quæ uim prodigij sæpè potentis habent.
Et quas multa Iouis regiones tela fatigent,
Ac quibus in terris fulmina rara cadant.
Quodq; solent aliquæ res non Iouis igne feriri,
Quas natura peti fulmine mira uetat.
Aëris ostento quod hoc natura laboret.
Vt lapides quondam res aliæue pluant.
Classica dira crepẽt cur more subinde tubarum
Arma, sono cœli concutiantq; plagas.
Causa coloratæ quæ præbeat Iridis arcum,
Dimidio cerni nec magis orbe sinat.
Rorida cur rigido se nubila grandine mutent,
Nix aqueo reddi deq; liquore queat.
Qua nunc in nebulam coëat gelidamue pruinã,
Humidus in rorem nunc ratione uapor.
Et circumfuso cur pendeat aëre tellus
Mirandam medij sustineatq; uicem,
Quamq; tumore refert conuexo terra figuram,
Vera sequi hanc etiam res fateatur aquas.
Quodq; pedum obuertunt nobis uestigia quidam,
Præcipitesq; tamen nulla ruina trahat.

Cùm

Cùm caput ad cœli pronum dependeat auras,
Terreno teneant & ſuper orbe pedes.
Aëre cur alio loca uim diuerſa ſequamur,
Res alibi ignotas qua ſtimulante cient.
Vt cur hæc ſubeãt terrã aſtra, ſed illa reſurgãt,
Illius in cauſa diſcimus eſſe globum.
Cur Lunæ facies defectu, Solue laboret,
Congruat efficiens ſi modo cauſa, patet.
Luxq; diurna uices toto quas ducat in anno,
Cùm redit alternæ noctis, abitq; modo.
Quæ loca ui nullas Phœbeæ lampadis umbras,
Culmina iam cœli Sole tenente, trahant.
Et quibus in Boream ſpargi hæ uideantur, & Auſtrum,
Cùm diuerſa legit per loca Phœbus iter.
Maxima quas teneat lux, quasq; breuiſſima ter-
Quáq; quibus mos ſit lege notare diem (ras.
Cur alij mores alijs ſint gentibus, & cur
Ingenijs idem non ſit ubiq; color.
Qua ui terra tremat, uaſtoue debiſcat hiatu,
Quæq; dari ſolcant ſigna priora malo.
Et quibus auxilijs diris, quaue arte tremores.
Quoue hominum ualeat uis imbibere modo.
Et tellus enata fretis quibus hauſit arenas,
Montis ut emineat more ĩacentis aquis.
Et mare quas terras rabidis abſorbuit undis,
Vrbes quas & humo merſit hiante tremor.

Quæq;

Quæq; tremunt loca, si grauis ungula pulsat equorum,
Et quæ stare uagis Insula nescit aquis.
Quæq; solet pluuio terræ haud humore rigari,
Quasq; gerunt miris res clementa modis.
Et maris alterno cur unda relabitur æstu,
Prodigij uarias exequiturq; uices
Et cur æquoreo salsos humore sapores,
Vi sua naturæ certa latentc facit
Quæq; calore sequi miracula discimus ignem,
Quædam ardere diu quo loca sæpè solent.
Talia nunc quæri communi examine fas est.
Ethicus aut uitæ quæ documenta refert.
Cõueniant HODIE, quos par est, ergo rogamus,
Destinat huic operi, quos schola nostra, loco.
Nosq; iuuent, operæ nec partè haurire recusent,
Gratus ego officij debitor huius ero. (spex
Sed te Gnate Dei precor, huius ut ipsemet au-
Colloquij, & fœlix rector adesse uelis.

Die 5 Augusti.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, HIERONYMUS OSIUS, Artium & Philosophiæ Magister.

IMpius ille potest manifesto errore uideri,
Ordinis autorem qui negat esse Deum.

Esse

Esse gradus uitæ, titulosq; decenter honorum
Hoc autore palam plurima signa probant.
Sese à discipulis dici sinit ipse Magistrum
Gnatus, abest uicium cui tamen omne, Dei.
Quin chorus ante Deum qui iussa uerenda ministrat,
Vnius officij non obit ille uices,
Sed titulis distincta suis hi munia curant,
Plusq; alijs operæ spiritus unus obit.
Et prior est multis uenerando muneris usu,
Inuidet inferior nec tamen alter idem.
Sic homines certò distinguimur ordine uitæ,
Omnes conditio nec tenet una uiros.
Eminet hic summo regnandi munere princeps,
Quo sublimè potens nil magis orbis habet.
Proximus huic tituli sibi uendicat alter honores,
Illustri populos qui ditione regit.
Hic Comes insigni generosus honore uocatur,
Proximus ille loco Principis esse solet.
Nobilis inde sequens se subijcit ordo uirorum,
Qui decus urbano nomine maius habent.
Hinc ciuile locum genus accipit, infimus ordo
Sunt, qui difficili rura labore colunt.
Ista gradus alios series habet, optima uitæ est
Res quibus humanum non caruisse genus.

Consulis

Conſulis ille uicem, ſed iudicis ille miniſtrat,
Ille ualet rebus ferre ſenator opem.
Hic alios gerit officij ratione labores,
Et commune bonum, qua ualet arte, iuuat.
Si Deus ergò dari non his uetat autor honores,
Qui res, quas uitæ poſtulat ordo, gerunt.
Cur his decerni titulos fas eſſe negamus,
Qui decus ingenij promeruere, uiris?
Digna fouere Deo uirtutem præmia debent
Auſpice, quæ fas hoc non prohibente dari.
Ergò quòd officij ratione iubemur, honores
Ipſe paro doctis præmia iuſta uiris.
Qui ternas nunc more uices examinis æquo
Experti, meritò, quod uoluêre, ferunt.
Nomine nam dignos illo cenſura probauit,
Quilibet hac quorum laude Magiſter erit.
Qui numero decies ſunt quatuor, exhibet horum
Hæc ceu charta ſequens nomina ſcripta manu.
Gnate Dei tu nos doceas faciasq; magiſtros,
Vt tibi quod donas, ſeruiat omne decus.

Die Laurentij.

DE

DE ECLIPSI LVNÆ, QVÆ FVIT IVLII DIE V.

Hora 7. Mi. 54. Sec. 59. P. M.

Quis nuper, nisi dura silex, ferrugine Phœbi
Infectos picea currere uidit equos,
Nec simul ingenti perfusus membra tremore
Horruit, in trepido corde micante sinu?
Orsus erat sine nube diem, fulgensq; sereno
Lumine Sol clarum fudit ab ore iubar.
Conatuq; pari Hesperias tendebat ad undas,
Exoptans placido claudere fine diem.
Quem contra insurgens tenebris Soror impia terras
Obruit, auertens Fratris opaca iubar.
Cuncta uidebantur, Phœbæa luce remota,
Tristia, nec stabat, qui fuit ante, uigor.
Nec cœlum ulterius, nec, quo circundamur, aër
Tum poterant Domini cernere damna sui.
Auersi sed enim Phœbes immania facta,
Ambos cœrulea nube repentè tegunt.
Cernimus & coràm, quam tempora mœsta sequantur,
Et magno heu nimium cernimus ista malo.
I nunc Contemptor cœli, nil triste minari,
I, ferri cœca sidera sorte, refer.
Ecce aliud cœlo signum dat Conditor orbis,
Nec minus hoc illo triste, quod ante dedit.

Cras ubi purpureus iamiam propè luce peracta
Phœbus anhelantes ad mare uertet equos:
Cynthiaq; hirsuti lustrabit cornua Capri,
Quà domus à tetro carcere nomen habet:
Huic Sol oppositus curuantem brachia cãcrum
Vret, & aduersa parte locatus erit.
Et totum roseo lumen retinebit in ore,
Ne Soror officium possit obire suum.
Hinc erit, ut Phœbes palleſcat luridus orbis,
Inuito radios Fratre negante suos.
Flammigero Senior iunget sua lumina Phœbo,
Oppositus proprio, quo solet esse, loco.
Exilia, & luctus, tabem, sæuosq; Catarrhos
Adfert Falcigeri stella maligna senis.
Præterea laterum rapida cum febre dolorem,
Nec non pestiferæ tempora dura famis.
Quos inter medius lustrans Mars terga Bidẽtis
Lumine quadrato toruus utrumq; uidet.
Ille repentinasq; neces molitur, & iras
Ventorum, pestes, fulmina, bella, famem.
Hæc animis uoluenda pijs, & pectore puro,
Talia cum cœlo conspiciuntur, erant.
Ad Dominum conuersi omnes, scelerumq; perosi
Fundamus miti plurima uota Deo.
Cœlica plus uotis quàm pœnis numina gaudẽt,
Exorant summum uota precesq; Deum.

Magne

Magne Parens rerum, nutu qui sidera torques,
Cuius & audito nomine cuncta tremunt:
A nobis meritas Pater Optime Maxime pœnas
Aufer, & ô iræ contrahe frena tuæ.
Illa quidem iusta est, nec nos meruisse negamus,
Criminibus meriti quim grauiora sumus.
Sed, nisi crimen erat, tu quid concedere posses?
Materiam ueniæ sors dedit ista tibi.
Ergò tuam moderare iram, moderare furorem,
Sunt ambo in dextra uitaq; morsq; tua.
Tu quoq; Gnate Dei placatũ redde Parentem,
Non surda ille tuas; prætcrit aure preces.

M. Georgius Mauricius Noriber:

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

EXpetitur officium deductionis funebris nostræ ab honesta familia & propinquitate honorati uiri LVCÆ CZIMMERMAN, qui heri in confessione religiosa sanctissime fidei nostræ placidè decessit, cùm superasset iam ætatis annum 66. Hic natus in pago Academiæ nostræ Coppenick, & professus est nomen suum inter scholasticos huius, & in studijs literarũ eo usq; progressus fuit, ut tirocinium

nium in his deponeret, & Bacularij titulum consequeretur. Postea mutato uitæ genere aliquantisper Oeconomiæ nostræ utiliter inseruijt, & in amplissimum ordinem oppidi huius cooptatus, cùm alia munera gessit publica, tùm ærario Ecclesiastico & Iurisdictioni Ciuili per multos annos præfuit. Atq; ita inter publicos labores & domesticas difficultates suas consenuit, ut ciuis & uiri boni laudem usq; ad extremum tueretur. Meminimus etiam honestissimi elogij, quo eum heri pro concione ornauit, Reuerend. Dn. D. Paulus Eberus Pastor Ecclesiæ nostræ V. CL. &c. Quare & propter coniunctionem huius cum Academia & studijs nostris ueterem, & in respectu officij, quod incolas bonos & intelligentes decet, Imprimis autem consideratione eorum, quæ pietas & dilectio Christiana postulant, præstemus hanc operam deductionis nostræ honesto & honorato seni, qui efferendus est, & propinquitati uniuersæ, atq; adeò nobis etiam ipsis. Cogitantes de imbecillitate communi, & dubio atq; incerto statu rerum humanarum omnium, & miserijs uitæ huius multiplicibus, ex qua ad consuetudinem cõmunem inter nos et cum Deo euocamur. Sepelietur autem hodie hora 12. quo tempore ut ante ædes demortui conueniant, scholasticos hortamur. P. P. Id: Sexti: RE-

ANNO 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

MVlta sunt & illustria in hominibus Argumenta, quæ demonstrant hanc excellentem naturam non modò non casu ortam, nedum ad has miserias tantùm natam esse, quæ non nisi morte corporis huius finiuntur. Et quidem consideratio horum seu signorum seu argumentorum etiam Ethnicos mouit, ut iudicarent animas hominum immortales esse. Ipsæ etiam ærumnæ, miseriæ & dolores ingentes, quibus natura hæc obnoxia est, argumentum sunt illustre & euidens, nequaquàm homines ad hunc tantum finem nasci, ut uelut carceri tetro hæc tam præstans natura mentis & animæ includatur, & miserijs ac doloribus assiduis excrucietur. Sed restare alium portum, in quo acquiescent tandem, & sapientia, lætitia & quiete sempiterna fruentur, qui bonitate & uirtute excelluerunt. Sunt hæc signa immortalitatis non obscura, Sed nos in Ecclesia intuemur testimonia proposita diuinitus, resuscitationes mortuorum & alia miranda Filij Dei facta, sua & resurrectione & gloriosa ad cœlos

ascensione confirmata. Ac discamus uitam hanc erumnosam nihil esse aliud quàm iter ad sapientiam, lætitiam & quietem illam meliorem, quam uelut per nebulam densam Ethnica argumenta ostendunt ac demonstrant. Ad hunc portum autē ut fœliciter appellemus, sciamus præparandos esse animos & instruendos agnitione Filij Dei et fiducia misericordiæ per et propter Christum promissæ. Quare & petenda sunt & optanda mediocria uitæ spatia, ut & doctrinam de Filio Dei discamus, & cognitam assidua inuocatione continuemus, exerceamus, & ad posteritatem propagemus. Quare cùm honestus & doctus iuuenis HOYCO ÆMILIVS Phrysius natus in agro Æmbdano heri in inuocatione ardenti Filij Dei decesserit, cùm attigisset annum quintum supra uicesimum, & rectè didicerit doctrinam de Filio Dei: Curriculum eius fœlix fuit & salutare. Nam & in discenda doctrina cœlesti & cæteris artibus necessarijs tantum profecit, ut non solùm in sua inuocatione eam exerceret, sed alijs quoq; traderet fœliciter. Et nunc in morbo pietatem suam ostendit confessione fidei & inuocatione Filij Dei assidua & ardentissima, qua uitam ac salutem suam ipsi ut Saluatori ac Redemptori suo commendauit. Sæpè ingeminans dulcissimam uocem Iob: Scio

quòd

quòd Redemptor meus uiuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum, quem uiſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.

Etſi igitur longiora ei ſpatia optanda erant, et ſpes fuit nõ dubia, ſtudia eius profutura fuiſſe Eccleſiæ & Reipub: tamen Deo euocanti tales obtemperandum eſſe ſciamus. Et quidem iuniores exemplis talibus monet Deus, ut cogitantes de fugacitate uitæ, ad hanc ſe migrationẽ agnitione Filij Dei inſtituant ac præparent. Et cùm ipſius opus & donum ſit uita, quantacunq; homini conceditur, tanto ardentius mediocria ſpatia petant, ut & diſcere & continuare doctrinam de Filio & de beneficijs eius poſſint. Hæc cogitanda eſſe ſciatis in ceremonijs funerum, quibus mortuos noſtros ad ſepulturam efferimus. Ac Æmilio huic cùm futurum ſit funus hodie hora quarta, hortamur Scholaſticos, ut ante ædes Clariſſimi uiri D. D. Viti VVinſenij ſenioris frequentes conueniant, & deducentes funus, non ſe ſolùm, ſed communem quoq; Eccleſiam & hanc Scholam pia precatione Deo commendent.

15 Iulij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Habitatoribus Collegiorum S. D.

GRauißimis de cauſis à Senatu Academiæ conſtitutum eſt, ut quolibet ſemeſtri Rector & huic adiuncti curatores Collegiorum, habitationes diſcentium inſpiciãt: Nam & querelæ de aliquibus multæ & graues propter iniuſticiam ac contumaciam enormem ad Senatum Academiæ allatæ ſunt. Et rationes anniuerſariæ non obſcuræ has querelas confirmant, & iniuſticiam plurimorum accuſant: Effringunt alij feneſtras, ſcamna, fornaces & alia huius generis committunt, pene ut uideri poßint ex propoſito eos uaſtare Collegia uelle: Alij precium locationis uel prorſus non ſoluunt, uel adeò id intempeſtiuè, morosè ac infideliter tribuunt locatoribus, ut exiſtimare uideantur nullã ſe pecuniam pcius collocare, q̃ quæ pro hoſpitio hoc datur Academiæ: Alij inſcijs locatoribus, ac ſi domini ædium publicarum eſſent, aſſumunt & intrudunt in habitationes quos uolunt, qui petulantiam poſtea infinitam exercent, & cùm libet rurſus aufugiunt. Hæc neq; iuſta ſunt, neq; decent eos, qui in ſcholis publicis ſtudiorum & uirtutis cauſa uerſantur: Nam & beneficium

beneficium magnum est hospitij communicatio, & sacrosanctum apud omnes honestas gentes ius hospitij habitum est. Et uenustissimè inquit Xenophon: Sua cuiq; domus, receptus est tutissimus & gratissimus. Hoc magnum bonum cùm uilissimo uobis precio tribuatur, tetra & ingratitudo & iniusticia est, nolle hoc bonum reuerenter agnoscere, ac non solùm abuti eo, sed damno etiam benefactorem adficere. Hæc cogitate nequaquam decere amantes ac studiosos uirtutis. Ac ut uersu hoc Ζεὺς ἐπιτιμήτωρ ξείνωντε ἱκετάωντε ostendere uoluit, esse Deum uindicem iniuriarum, quæ hospitibus inferuntur, ita existimate earundem eum uindicem esse, quas petulanter ijs infertis, qui hospitio uos excipiunt, & beneficijs multis afficiunt. Quare cùm & aliæ causæ sint, quæ inspectionem Collegiorum hoc tempore à nobis postulant, præcipimus ijs, qui domos Collegij publicas incolunt, ut cras mane hora octaua domi sint, & inspectores expectent: Et qui debent adhuc aliqua locatoribus, pecunia se instruant, ut satisfacere possint.

Ddtæ 16 Iulij.

PROPEMPTICVM SCRIPTVM REVERENDO VIro, Domino M. Vito Neubero, ſinceræ religionis fideli propagatori, & Eccleſiæ Dei uiuentis adminiſtro.

Vite ſacras artes, & Chriſti uerba profeſſe
Gentibus arctois, quà Baltica littora ponti
Dantiſci ſpectant celebratam mercibus urbem
Te nunc Pannoniæ fœcunda ad regna uocatum
Iuſſa ſonare Dei, atq; innoxia tradere ſacra,
Te cum pignoribus lecti, cum coniuge caſta
Longum iter ingreſſum per multa pericla uiarum,
Perq; uices cœli uarias, ſic numine ducat
Filius ipſe Dei, uelut olim in patria rura
Tendentem Iſaciden præſenti numine texit.
Quò nos Chriſte uocas, Dominumq; Ducemq;
ſequamur,
Ipſe uiam inuenies, aderisq; uocantibus ultrò.
Quin ego non alio te proſequar omine uitæ,
Non alijs etiam uotis, quàm legifer heros
More Patrum quando digreſſu ſancta ſupremo
Dicta dabat, tribubus biſſenis fauſta precatus,
Conſtituensq; loco qui poſt ſe ſacra miniſtrent.
Edocuit primùm quale in ſtatione ſacrata

Ipſi

Ipſi habeant munus, quóue indulgente tenerent.
Nempe Dei Nato: dehinc qua ratione, quibúsue
Officijs dignè conceſſo munere fungi
Eualeant, miſceńſq; preces ſic ore profatur:
O ſocij, neq; enim ignari rerum anteè ſacrarum
Manſiſtis mecum caſus conſtanter in omnes,
Queîs cùm partiri curas, operumq; laborem
Suetus eram, nunc ô ſacrum ne rumpite fœdus,
Durate in uerbo, nec dura potentia mundi,
Nec populi fauor, aut mutabilis aura regentum
Diuerſos trahat à recto, oblitosq; ſalutis,
Et proprij decoris iuſſa è ſtatione repellat.
Sed Chriſti mortem immeritam, qui numine aperto
Ad Maribæ ſe oſtendit aquas, & ſanguine quondam
Facta hominum in melius referet, lignoq; piabit,
Vulgate in populos, & grandia dicite facta.
Ferte odium mundi, & cœlo ſperate quietem,
Spretus honor mundi diuino cedat honori,
Aurum, & opes, uitamq; ipſam, carosq; propinquos
Deſerite: at fido ſeruate in pectore uerbum,
Quaq; eſtis poſiti ſancta in ſtatione manete.
Da uires his Nate Dei, da neſcia frangi
Pectora, & euentus faciles, & dirige curſum.

Talia

Talia dicta dabat Moſes, cùm fortè Leuitas
Mitteret in magnũ imperium, curamq; docendi
Mandaret, uerbisq; animos firmaret amicis.
His & non alijs te Pannona rura petentem
Proſequimur uotis, quibus almo fœdere amoris
Vite tibi iunctis, ſtudium, mentemq; benignam
Tempore tàm paruo multa ratione probaſti:
I decus i noſtrum, felicibus utere fatis,
Iamq; uade, & uerbi ſerua cœleſtis amorem.

Iohannes Maior Ioachimus
Doctor.

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO, D. M. VITO Neubero προσομιλητὴ ſcripta.

QVi fuit Iſacidæ cuſtos, qui fortis Eliæ
Dum iuſſas ineunt per loca uaſta uias.
Dux ISRAELIS qui uerbo colligit agmen,
Æterna celebret quod pietate Deum:
Qui dat præſtantes animo linguaq; miniſtros,
Orbis & in cunctas præcipit ire plagas:
Vox Euangelij latè ut ſpargatur, & illi
Præſentem uoci ſe forè ſemper ait:
Filius æquæui proles æterna parentis,
Pectora qui luſtrat Flamine noſtra ſacro:

Te

Te quoq; Vite, Ministerio decus addite tanto,
Dum facis officium cum pietate tuum:
Nuper & Arctoo feliciter orbe reuersus
Qua gens indomito est Marte Borussa potẽs.
Et Christi Australes Præco contendis in oras
Illius ut laudes hic & ubiq; sonet,
Inuicta Deus alarum te protegat umbra
Vt plantes cœlos agmina sancta nouos,
Et fructu doceas multo pia pectora, Gnatum
Quæ sitiunt animo non simulante, Dei.
Hinc suus extet honos Christo, qui præmia doctis
Vatibus in cœlo non moritura dabit.
Sic tibi VITE caput, Christo texente, corona
Perpetuò uernans flore & odore liget.
Quod superest opto tibi iter faustumq; bonũq;
Angelus æterni quod dabit ipse Patris.
I felix, quò sancta uocant te numina Christi,
Impediant cursum nulla pericla tuum.
Optatas & ubi Duce Christo aduenieris oras
Esto memor Petri VITE diserte tui.
Vna anima ut tecum sic mens mecum una maneto,
In Christo quæ nos iunxit amore pio.
Ac hos uersiculos utcunq; ex tempore factos,
Æterni ex nobis pignus amoris habe.

14 Cal: Sext.

Petrus Vincentius Vratislauien.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

QVotannis edicere ſolemus, ne Scholaſtici natationum cauſa Albim ingrediantur, Quia & exempla meminimus plurima admodum infœlicia, eorum, qui cùm excellerent ingenijs, eruditione, uirtute, & alijs ornamentis magnis, miſerabiliter in fluminc perierunt, Et cùm uadum fluminis ſit infidum & incertum propter Syrtes & arenarum cumulos, quos uoluere ac reuoluere Albim oculi teſtantur, officij ratione, & conſcientiæ noſtræ liberandæ cauſa cogimur, ut ad exempla illa triſtia, quæ cùm oſtendant periculi magnitudinem, potiſſimum mouere adoleſcentes debebãt, noſtra quoq; edicta, & præmonitiones addamus ac proponamus. Sed ut non noſtræ tantùm commonefactiones de officijs ac rebus alijs honeſtis & iuſtis, uerùm etiam diuinitus propoſitæ pœnæ, comminationes, & periculorum imminentium conſpectus, ſæpè etiam urgentium ſenſus, ab efferis & ἀλόγοις aliquib. proh dolor, ſpernuntur. Ita & hæc de natationibus uitãdis edicta noſtra et pericula certiſſima floccifieri à plæriſq;

pleriſq; uidemus. Id etſi dolorem nobis adfert ingentem, & fortaſsis mouere alios poterat, ut & libidini ſuæ, & iuſto Dei iudicio ὕβρισάς tales relinquerent: Nos tamen, ne officio noſtro deſimus, & quantum in nobis eſt, ijs uniuerſis, qui Scholæ noſtræ ciues ſunt, præſtemus, repetere & inculcare edicta noſtra iuſta & pia non deſinemus, quantūuis ea barbari illi & ὑβρισταὶ feroces contemnant.

Quare ſeuerè natationes omnes prohibemus, Et quod ante annum ſignificatum eſt publicè, nunc iterum nataturis denunciamus, Nos eos, qui ſic deprehenſi, & caſu infelici oppreſsi fuerint, nequaquàm agnituros pro ſcholaſticis, nec uſitata funerum ceremonia, ac ſepultura publica honoraturos eſſe. Quid eſt enim iniuſtius, aut magis indecorũ ſcholaſtico, et piæ Academiæ ciui, quàm tot ſe ſceleribus contumaciter polluere, quot in uno illo edicti noſtri contemptu & ὕβρεσι barbara concurrunt? Non ſolum periculo ſe exponunt, aut interficiunt etiam corpus proprium ſumma arte factum, ut eſſet templum & domicilium Dei, qui ſpreto edicto noſtro ingrediuntur flumen & pereunt, ſed & parentum parricidæ crudeles fiunt, quos mœſticia & dolore interficiunt. Omnium uerò grauiſsimum eſt, quòd contaminati & grauati

uati tàm horrendis ſceleribus, animæ quoq; periculum tantum accerſunt, ut in ſubita ſtrangulatione ac trepidatione ab æterno exitio uix eripiatur. Tot ſcelera cùm concurrant, ne putate leue quiddam eſſe, temerè ludos illos infœlices tentare, & edictorum noſtrorum autoritatem in ioculare ridiculum conuertere. Ne etiam exiſtimate futilibus Academiam cauſis moueri, cur has natationes quotannis prohibeat, & ſeueritate tanta etiam in cadaueribus interfectorum petulantiam hanc uindicare decreuerit, abiectis his ſine ſepulturæ honore. Si qui igitur ſanabiles ſunt non noſtra tantùm prohibitione, non ſola pœnæ atrocis denunciatione, non periculi certiſſimi metu ſolo, ſed diuinis quoq; præceptis obligari ſe meminerint, ut natationes tales uitent. Vtraq; enim uox diuina eſt, quæ uetat occidere hominem, & honorem corpori haberi præcipit. Horum mandatorum alterum ut aliorum corpora occidere prohibet, ita cogitate primum omnium uobis præcipere, ne ueſtra corpora, ne parentes interficiatis, ne animas ueſtras æternæ mortis periculo implicetis, alterum uerò cùm honoris mentione diuinum quiddam corpus hoc eſſe ſignificet, cui propter Deum reuerentia debeatur, cogitate, quantum ſcelus ſit, templum & domicilium

Dei

Dei corporali, & æterna morte deſtruere ac perdere. Quare & propter Deum libentius nobis obtemperate, & honorem corpori exhibete.

Prætereà, cùm uagari hìc non paucos audiamus, qui nomina ſua nondum referri in numerum Scholaſticorum petiuerunt. Et uerò neq; tutum neq; utile ſit rebus communibus & ſcholaſticis ipſis uagari ullos in cœtu ac communitate hac ſine magiſtratu certo, præcipimus ijs, qui nondum CATALOGO diſcentium in hac Academeia inſcripti ſunt, ut nomina ſua profiteantur tandem, & ſi frui beneficijs Academiæ uolent, huius quoq; autoritatem ſe agnoſcere, & legibus eius reuerenter ſe ſubijcere oſtendant. Id ut iuſtiſſimum eſt & utiliſſimum Scholaſticis, ita bonos ſperamus non grauatim obtemperaturos eſſe. Cæteris contumacibus legum & Magiſtratuum contemptoribus fortaſſis fruſtra concionamur, quorum petulantiam Deus haud dubiê puniet ac uindicabit, ſicut ſcriptum eſt de ſedicioſis:

Subitò uenit talium
interitus.

Die 24 Iulij.

STVDIOSIS DIALECTICÆ AVDITORIBVS.

CRas ubi luce noua implebit Sol aureus orbem
Nonaq; crescentẽ prouehet hora diem
More prius solito rursum Dialectica tradam,
Munus & officij fidus obibo mei.
Ingenij exiguas uires, studiosa iuuentus
Et studium studijs, omne, dicabo tuis
Christe faue, tuus est discentum cœtus: & arteis
Fac nos cum fructu posse docere bonas.
Vana est sedulitas, uanus labor, omnia uana
Quæ sine diuina suscipiuntur ope.

Die Iacobi.

Petrus Vincentius
Vratislauiensis.

DECANVS COLLEGII PROFESSORVM ARTIS Medicæ, Iohannes Hermannus Doctor & Professor S. D.

PArs muneris nostri est, ut eos, quos publica doctrina instituimus & exercemus in morbis cognoscendis ac sanandis, etiam assuefaciamus

assuefaciamus, ut nosse discant discrimina rerum, condita diuinitus uarietate infinita, ad hunc usum, ut his rectè dextrèq; applicatis, sanitas cõseruetur dum adest, & restituatur amissa. Non enim se quisquam confidat medicaturum esse fœliciter, si non discrimina & uires medicamentorum intellexerit. Hæc necessitas cogit deditos studio Medicæ artis, aliquid operæ & diligentiæ etiam impendere medicinæ simplici, ut uulgo uocatur. Cæteros scholasticos aliæ causæ ad similem diligentiam inuitare debebant. Quid pulchrius est, quàm hominem scholasticum uersantem in contemplatione naturæ, non prorsus obmutescere ad aspectionem terræ opes suas effundentis, cùm gramine uestitur, id est, non prorsus ignarum esse earum rerum, quas gignit & profert terra ad usum hominum? Quid utilius ad ualetudinem tuendam, quàm uitæ præsidia, quæ inquirunt & colligunt sollicitè ac sedulò imperiti, non negligere? Turpe est in hoc genere Scholasticum ab uiculis & rusticis uinci. Nihil dicam de ingente uoluptate, quam liberalibus animis adfert quasi colloquium familiare cum plantis terra natis, cùm explorantur uires earum ac distinguuntur. Nihil de testimonijs prouidentiæ. Cùm autem constituerimus die crastino audito-

res noſtros educere inquiſitum & ſpectatum plantas, quas hæ noſtræ harenæ ſuppeditant, ſignificandum id publicè duximus, ut ſi qui ſunt in reliquo numero ſcholaſticorum huius cognitionis cupidi, ſeſe cæteris adiungant, hiſq; omnibus ſtudium & operam noſtram deferimus.

Die 28 Iulij.

PETITIO AD DECANVM COLLEGII PHILOſophici M. Hieronymum Oſium, facta à M. Sebaſtiano Theodorico VVinshemio, Mathematum Profeſſore publico &c.

SPectatiſſime D. Decane & Procancellarie obſeruande. Audienti mihi numeroſam Orationem tuam de uirtutibus & præſtantia in omni genere laudis, inclyti herois Chriſtiani, Regis Daniæ poſt hominum memoriam laudatiſſimi, Venit in mentem ſententiæ Salomonis mirificæ illius & penè ænigmaticæ, ἐγκωμιαζομένου δικαίου εὐφρανθήσονται λάοι. Quando laudatur iuſtus, lætabuntur populi. Atq; per ſe quidem nulla Muſica magis delectare aures poteſt, quàm ſententijs & uerbis ornata atq; perpolita oratio. Hæc uerò cùm in cœtibus

cœtibus Christianis ad magnorum uirorum & sanctorum hominum uirtutes celebrandas conferatur, uoluptas delectationis huius cumulatur. Sicut autem pictura grata est rerum pulcrarum, ita pietatis & uirtutis in exemplis illustribus propositæ descriptio, & celebratio harum ornata & quasi officiosa, per se lætitiam parit multiplicem considerantibus, atq; insuper in pijs gaudium sanctum & religiosum ad Deum excitat, quem hoc etiam modo dona dare hominibus agnoscimus, & studium incendit imitandi ea, quæ gratiam & fauorem à Deo, & ab hominibus caritatem & honorificam mentionem conciliare, atq; ita huius & alterius uitæ præmia habere, & credimus & experimur. Quæres & ipsa non potest expers esse εὐφροσύνης πνευματικῆς. Neq; tamen hoc tantum significare uoluit παροιμιάστης sapiens, illo dicto suo, sed aliquid etiam, ut opinor, amplius. Quando enim Pietas, Virtus, Iustitia, Sanctitas, in precio sunt, argumentum id est, florere tum Respublicas, Quod publici gaudij causam adfert omnibus ordinibus, & utroq; quidem Reipublicæ pacis & belli tempore. Celebrari autem pietate & uirtute præstantes homines in cœtibus publicis, & præconijs talibus cupidè & studiosè uacare aures ciuium, non esse prorsus ex-

tinctum ſtudium & culturam iuſticiæ demonſtrat, Qualia enim ἀκροάματα ſunt, quibus delectantur homines, tales eſſe mores & tempora, & Reſpublicæ ſolent, quomodo Plato diſputat Muſicas leges ſine mutatione legum publicarum non mutari. Atq; utinam præſens ſtatus his terris conſeruetur, quo ſaluo, ſi eas mediocriter ſaltem florere negamus, ingrati ſumus Deo & hominibus. Eſt etiam pietas grata Deo, præſtare memoriam & celebrationem ijs, qui de Eccleſia Chriſti & Republica benè merentur, cui in hac uita rependere illa ea ſolet, quorum nomine populus gaudeat.

Horum omnium conſideratione delectauit me attendentem auribus & animo recitatio uerſuum tuorum de Rege optimo et pientiſſimo, quem propter publicè notas uirtutes ſemper maximi feci animo meo, & ſubmiſſa uoluntate faui ſucceſsibus, & fortunæ & laudi ipſius. Fuit in eo religionis ueræ ſtudium ingens, ad quam conſeruandam atq; propagandam omnes opes conatusq; ſuos conuertit, & Doctores Eccleſiæ fideles, non in ſuo tantùm regno, ſed apud exteros etiam benigniſsimè ornauit & locupletauit, ut eſſet uerè quales Reges eſſe iubet dictum Propheticum, Nutritor Eccleſiæ. In cæteris & grauioribus & lenioribus uirtutibus præſtan-

præstantia fuit singulari. Et sicut ad Deum pietas huius eximia, ita caritas patriæ in eo & pietas erga ciues fuit memorabilis, Iusticiam sapientia, fortitudinem bonitas & mansuetudo ornauit, & hæc omnia moderatio, integritas, grauitas, solertia, humanitas, Itaq; & Regnum sibi peperit, & partum beauit. Sic gessit bella, & pacem sic coluit, ut utroq; tempore suis omnibus esset carissimus, cùm in bello honestam pacem quæreret, & in pace quomodo bellum rectè auerteretur laboraret atq; secundum Elogium Homericum Rex esset bonus, & fortis Imperator. In quibus omnibus commemorandis & explicandis copiosa fuit Oratio tua. Regum autem & Principum uirtutes, etiam mediocres cùm sunt, integra regna & totos populos beneficijs suis complectuntur. Cùm in priuatis hominibus magnæ etiam uirtutes ad paucorum tantùm commoda emanent. Itaq; per Reges & Principes Deus terris benefacit quas diligit, & per eosdem punit, quibus irascitur.

Sed nos inclyti Regis huius laudibus & celebratione ideò etiam magis adficimur atq; lætamur uniuersi, Quòd Illustrissima filia huius castissimo & augustissimo matrimonio cum Principe nostro coniuncta, illustrissimam do-

mum Saxonicam noua fœlicitate auget, cùm ſcriptum ſit: Generationi rectorum benedicetur. Et maternum etiam genus tale eſſe ſuorum Principum poſteritas noſtra gaudebit atq; lætabitur. Itaq; ut Illuſtriſſimam ſobolem Principis noſtri Deus clementer conſeruet, & augeat, ne deficiat ſemen, quod gubernet ditionem paternam, ſupplicibus precibus noſtris eum per Chriſtum oramus.

Hoc igitur nomine iucundiſſima fuit omnibus nobis recitatio tua, quæ hoc modo nõ externæ tantùm familiæ datur, ſed ei etiam ſub cuius præſidio uiuimus, Cuiusq; benignitate ſcholaſticas operas noſtras exercemus, Propter quod beneficium ingens, & ipſi inprimis patri patriæ & patrono atq; nutritori ſtudiorum noſtrorum, ſed & omnibus illis, quos ipſe diligit, & coniunctos ſibi habet, fauere atq; ſeruire debent ſtudia noſtra. Quia uerò ſcholæ noſtræ quaſi officinæ quædam eſſe debent præſtantiæ ſeu uirtutis humanæ, quæ ſcientia & actione cernitur, Ideo pietati & uirtuti benè merentium de Eccleſia & Republica, debentur officia & teſtimonia celebrationis noſtræ, tàm externis, quàm noſtratibus. Huius autem Regis familia iam cum Saxonica coniuncta eſt, & multi in hac Academia benignitatem eius experti

perti sunt. Laudo igitur Musas tuas, quòd uirtutem celebrant, quæ est Hesiodæa professio harum. Etsi in hoc Rege laudando sequuntur etiam priuatum officium, ut gratiam rependant pijs manibus, uel potius sanctissimæ animæ eius, qui ipsas in te ornauit, cùm propter dexteritatem in scribendo carmine Lauream tibi concessit, Quod Imperatorium & Regium munus est, atq; ita probas nobis te hoc agere, ut & Vir sis, & Poëta bonus.

Cùm autem hos quadraginta honestos & doctos uiros & iuuenes, in publica & priuata examinatione, eos in Philosophiæ & optimarum artium atq; disciplinarum studio profectus fecisse experti simus, ut & ipsi quod laudem mercatur præstare, & in alijs quæ talia sunt agnoscere atq; celebrare, & professione atq; usu studiorum nostrorum Ecclesiæ Christi & Reipublicæ utiliter inseruire possint, Dignos eos Collegium nostrum iudicauit, quibus gradum & insignia Magisterij Philosophici conferret, & mihi mandauit, ut eos hoc nomine tuæ humanitati commendarem. Quare spectatissime D. Decane, Collegij nostri, & horum candidatorum nomine peto, ut pro autoritate muneris, quod in præsentia geris, potestatem eis facias accipiendi Gradum & Insignia Ma-

gisterij Philosophici, & eos liberalium artium Magistros crees, ac creatos publicè renuncies, Ita quod nostrum Collegium his optimis & doctissimis uiris decreuit, exequeris, & de Collegio & re scholastica, & his singulis & uniuersis candidatis nostris bene mereberis.

Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, ut harum terrarum Ecclesias & Scholas benignè conseruet & tueatur, & cœtus discentium & docentium Spiritu suo sancto gubernet & regat, ut ipsi grata doceãt, discant & faciant, Et cùm horum candidatorum, tùm omnium nostrum studia & omnes uitæ actiones regat & gubernet ad sui nominis gloriam & Ecclesiæ utilitatem, Amen.

DE PVBLICA RE-
PETITIONE LOCORVM
Theologicorum Philippi Melanth.

SAcra historia docet, ad imaginem Dei conditum esse hominem: Hæc imago cùm in corpore esse non posit, sumus eum creati à Deo, qui est extra omnem corporum concretionem, in animo eam esse oportet. Deus autem quasi picturam quandam sui in Decalogo proposuit

posuit qualis sit, ad quam conditi, animam habemus non tantùm uiuentem & sentientem, ut stirpes & bestiæ, sed ciusmodi, in qua imago lucet eorum bonorum, quæ sunt in Deo optima, radij nimirum sapientiæ ipsius, & iusticia & sanctitas congruens: secundum ἐντὸν Apostoli: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia, & sanctitate uera. Quæ bona etsi etiam in Angelis sunt, placuit tamen Deo peculiarem creaturam condere, cui corpore præditæ mentem infunderet & animum expertem corporis, atq; ita ex utrisq; & spiritualis & corporata natura quædam confieret, quæ mundo hoc (quem ei quasi extruxerat) & quæ hoc continentur utens ac fruens, architectum celebraret & coleret, & per quam misericordia ipsius, qua nihil esse admirabilius ex uniuersis operibus Dei Psalmus canit, aliquando declararetur, cùm factio iam Angelorum, quòd in ueritate non perstitisset, cœlo pulsa, hostis esset Dei, & operum huius omnium. Consumitur autem pietas cultus & celebrationis diuinæ uniuersa in agnitione naturæ, & uoluntatis Dei, quæ sunt reuelata uerbo ipsius, quod comprehensum est scriptis Prophetarum & Apostolorum: & executione uoluntatis agnitæ.

Postulat

Postulat enim Deus utrumq; . Primùm, ut scrutemur Scripturas, & audiamus Filium, & qui sit ipse, quem colimus, & uoluntatem eius discamus, in quo est scientia sanctorum, aliena quædam à sapientia humana, & huic etiam contraria : cùm enim non posset salus conferri hominibus per sapientiam, perfecit hoc Deus per stultum præconium crucis, quod præconium non tantùm docet quæ credi, sed & mandat quædam, quæ exequi oporteat. Ideò alterum est, quod Deus postulat, ut faciamus uoluntatem eius, qui de hac nos docet, & de natura sua tantum, quantum ferre potest imbecillitas nostra, nobis ostendit : & promittitur salus ijs, qui audiunt uerbum Dei, & hoc conseruant, & faciunt uoluntatem Patris cœlestis, quam & scire & facere seruum oportet eum, qui hoc agit, ne uapulet : Et Apostolus, in pijs actionibus professionem θεοσεβείας esse, pronunciauit. Verbum etiam Dei uerbum uiuum est, Atq; ut uita sine actione nulla est, ita in ijs, qui hoc religiosè audiunt & discunt, efficax est, & pias atq; sanctas actiones exercet. In his igitur discendis & exequendis, præcipuè occupari oportet uniuersos, qui membra esse Ecclesiæ uolunt, & ciues eius πολιτεύματος, quod in cœlo est. Nam, etsi alij doctores sunt in Ecclesia, alij auditores,

auditores, Deum tamen agnoscere, & patefactam uoluntatem huius scire atq; excqui oportet æquè omnes, qui Christianum nomen profitentur, ut sint hæc studia omnium temporum, ordinum, locorum, hominum: Et imago diuina ideò nobis infusa est, ut Deum autorem & Archetypum agnoscamus & colamus.

Hoc consilio in doctrina publica Academiæ huius à multis iam annis proponi solent studijs Scholasticorum commentarij aliqui, & quasi κατηχήσεις quædam doctrinæ Ecclesiæ: quæ non tantùm seruiat studijs eorum, qui in Ecclesia alios de religione docent, sed communiter omnibus membris huius: & qua ad lectionem scriptorum Propheticorum & Apostolicorum introducantur discipuli.

Ei operi, cùm uiueret, præfuit præceptor noster communis D. PHILIPPVS MELANTHON, lumen & decus Ecclesiæ, & custos atq; propugnator ueritatis cœlestis & humanæ fidelissimus: quo hinc euocato, nunc memoria scholarum ipsius & lectione librorum, quos ad hunc usum conscripsit, utimur. Ita hactenus de sententia Collegij Theologici libellum Examinis Ordinandorum &c. prælegimus auditoribus nostris, & nunc deinceps eximium librum eius in manus sumemus, cui titulum

lum fecit LOCORVM PRÆCIPVORVM THEOLOGICORVM: qui liber est, ut ueteris Theologi uerbis utamur, θείων λογίων φιλοπονία καὶ τὸ φῶς ἐν αὐτοῖς φῶς εὑρισκόμενον σὺν ὁδηγίᾳ τοῦ πνεύματος. Vere autem in hoc cõprehendi ea, quæ pij hominis studiũ in lectione sacræ scripturæ ductu sancti Spiritus & inuenit & inuenire potest, & quasi lumen quoddã esse, quod de hac refulgeat, res ostendit, & nos nostro loco (faucente Christo) docere conabimur. Hoc igitur rectissimè utemur ad introductionem in libros Prophetico et Apostolicos, & quo in præcipuis capitibus religionis nostræ instituamur, ut sit πίστις ὑγιὴς, & compleamur scientia sanctorum. Quem enim ex ueteribus ac nouis libris huic in hoc genere præferamus, ego quidem non reperio. Quòd si scientiam rerum diuinarum & explicandi hanc felicitatem admiramur in Philippo Melanthone, quanti faccre eum librũ debemus, quo consignauit omnia, quæ in hoc genere longi temporis studio et meditationibus suis perpetuis reperit atq; didicit: qualem esse Locorum librum omnes intelligũt, ex quo cæteri Theologici libri & commentationes sacræ ipsius natæ sunt & emanarunt uniuersæ. Augustana etiam, & Saxonica doctrinæ Ecclesiarum nostrarum Confessio non aliunde

dūnde extitit. Hic igitur cùm talis sit, & pijs & intelligentib. omnibus apud externos in manibus uersetur, et Ecclesiæ Christi ex hoc opera nauetur in orbe penè terrarū, par est, ut in nostra etiā Academia, & tanq̄ in patria sua, in qua autor eū conscripsit, & publicè dictauit, conuenientia tàm docentium quàm discentium studia reperiat, ne ei accidere patiamur, quod de Prophetis dicitur prouerbio Hebraico: cùm hæc sit leuitas popularis negligere præsentia atq; domestica, & παπταίνειν τὰ ὄπισθεν. Ad diem autem perendinum, qui est 9 Cal: Septemb. & ad quem in nostris fastis assc̄riptum est nomē Bartolemæi Apostoli, hora 4. pomeridiana explicationem inchoabimus, in qua ita uersabimur, ut non tanquàm è superiore loco ad alios differam, sed, de rebus pertinentibus ad cōmunem salutem nostram, familiares scholas habeam accommodatas ad captum omnium. Cumq̄; & liber sit non paruus, & hoc agendum, ut quàm primùm id fieri potest, coram auditoribus perlegatur (id quod in hoc scripto pauci explicatores hactenus præstare solent) intermittere aliquantisper prælectionē Epistolæ ad Romanos cogimur, ut quatuor diebus hebdomados in locis legere posimus, atq; ita explicationem, Deo iuuante, continuare.

Caspar Cruciger.

RE-

ANNO 1563.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

DEcessit heri adolescens honestus & eruditus FRIDERICVS EMMERLINGK Arnstadensis, qui annos continuos quatuor in hac Schola uersatus est, & operam studijs nauauit assiduam & diligentem, & cùm præclarè in his profeciſſet, spem optimam de se concitarat, usui eum & ornamento patriæ & parentibus futurum esse. Ei funus fiet hora hodie 4. Hortamur igitur scholasticos auditores nostros, ut ad deducēdum funus post uallum non procul ab ædibus Clariß: & doctiſſimi uiri Domini Esromi nostri frequentes conueniant, & officium hoc pietatis & humanitatis, quod postremum hominibus præstari potest, non mortuo tantùm, qui propter pietatem, eruditionem & uirtutem digniſsimus cò fuit, sed communi Ecclesiæ & sibijpsis præstent. Scitis enim institutos esse, & retineri in Ecclesia hos ritus funerum grauiſsimis de causis. Testatur Ecclesia, suos mortuos non abijci aut amitti, ut pecudum cadaucra abijciuntur, sed cùm uitam aliam post huius ærumnosi curriculi miserias credat,

credat, expectet ac speret, pia frequentia defunctos comitatur & in terram condit, ut testetur ad uitam illam meliorem eos præmitti. Et de huius reparatore & datore cùm cogitare oporteat, gratias agit Domino nostro Iesu Christo, quòd uictima pro nobis factus ipse quoq; crucifixus, mortuus ac sepultus est, & hac morte sua mortem nostram uictoria gloriosa absorpsit, & uitam nobis æternam reparauit. Quod nunc quoq; sedens in dextra Patris μεσίτης καὶ ἱκέτης noster est interpellans pro nobis, & tribuens uitæ æternæ dona credentibus, & inuocantibus eum. De huius item uitæ periculis, æruminis & miserijs cùm funera singulos commonefaciant, ibi simul publica & solenni inuocatione petitur ab eodem Domino nostro Iesu Christo ut clementer Ecclesiam suam & in hac singulos eius ciues regat, seruet ac protegat, & bona ad hanc uitam necessaria clementer tribuat. Deniq; multa in his congressibus fiunt, quæ à singulis non quotidiè tantùm, sed momentis omnibus facienda & cogitanda sunt. His ergò ut tanto cupidius & frequentius interesse studeatis, uos hortamur. Ostendite uos & ciues esse Ecclesiæ, & amare hanc, & cum ea uitam æternam credere, sperare & expectare. Vestra quoq; & communia pericula cogitate, ac

petite, ut & uos Deus regat, & seruet Ecclesiam publicam, & aliqua ei bona ingenia tribuat, quæ in propagatione Euãgelij & aliarum doctrinarum utilium cũ fructu aliquo seruiant. Quæ huius adolescentis pietas & eruditio fuerit, agon difficilis ostendit & diuturnus, in quo tamen fide & inuocatione Domini nostri Iesu Christi cõstanter & gloriose, ut miles bonus & fidelis, ipse se erexit ac confirmauit, ostendens cùm alia signa animi diuinitus confirmati, tùm de his ipsis studijs nostris testificans, seruire se ac statuere certò & sine ulla dubitatione, culturam horum, præparationem & aditum esse ad uitam æternam & Scholam meliorem, in quam se nunc transire non dubitaret. In his enim studijs nostris cùm se de spe uitæ æternæ edoctum atq; institutum esse recordaretur, lætum se acquiescere & ad migrationem paratum esse, ac certò sperare mox se uenturum ad illa dulcissima Collegia & colloquia Filij Dei, patrum, Prophetarum & Apostolorum omnium, quorum uocem hic audiuisset & didicisset. Sæpè igitur uocem hanc Paulinam ingeminauit: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Talis cùm fuerit hic Fridericus, non dubitemus in numero eorum ipsum esse, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Ac pro hac

pietate

pietate libentius ei officium funebre scholastici pij & studiosi præstent.

Datæ die 20 Augusti.

STVDIOSIS AVDITORIBVS S.

POstquam Reuerendus D. Pastor significauit sese institutam Noui Testamenti lectionem hoc tempore, quo docenda κατηχήσεις pro concione occupatus est, intermissarum esse, decreui interim mea consueta hora pertexere postremam partem tertij libri de Oratore, in qua de figuris elocutionis & actione Oratoria disputatur, interruptam itinere Borussiaco, ut scitis. Cum autem exempla Ciceronis propter autorum, ex quibus descripta sunt, uetustatem, nunc quidem aliquid obscuritatis habeant, confido eorum interpretationem auditoribus gratam fore, quæ quidem exemplis, sicubi opus erit, commodioribus illustrare studebo. Ac legam, Deo dante, hodie hora quarta.

20 Augusti, quo die olim Thebæ Bœotiæ ab Alexandro Magno dirutæ sunt & deletæ funditus, sola Pindari seruata familia, ut scribitur.

P. Vincentius Vratisl.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

IN ueteri Vbiorum regione, quam Eyſſiam uocant, ab antiquis Eburonibus quaſi Eiorum campum, nomine traducto ultrà Rhenum ab ijs Colonis, qui antè cis Rhenum habitarunt propè Angriuarios, hodiè adhùc eodē nomine notis ac celebribus. Vſurpat id enim loci dominus Comes von der Zoy/ut nunc pronunciamus. In ea ergò regione ad Rheni ripam Gallicam ſita eſt nobilis Romanorum COLONIA à conditore ſeu deductore M. Agrippa Auguſti genero, uiro ſapiente & forti, cognominata Agrippina. Vrbs antiqua, inter Germanicas ampliſſima, potens armis & opibus, ſitu ad Emporium oportuniſſima. In ea natus eſt MICHAEL STRALEN, patre ADOLPHO, uiro nobili, atq; in illa Republica præcipuo, qui filium in hanc Academiam eo potiſſimùm conſilio miſerat, ut ſtudium ueræ pietatis cum alijs artibus coniungeret, & puriorem Eccleſiæ doctrinam integrè diſceret. Huic patris uoluntati ſatisfeccrat filius. Præclara enim ieccrat fundamenta in utraq; doctrina,

strina, Sacra & Philosophica, & ad utramq; sese trium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, solida cognitione probè instruxerat, ita ut dubium non sit, si uita suppeditasset, fuisse eum in uirum præstantem & patriæ utilem ac salutarem euasurum. Moribus præditus fuit honestissimis, quibus animi pietatem erga Deum ostendit ac declarauit, testimonio cunctorum, quibus cùm familiarius uixit. Et arsisse in eo ueræ fidei lucem, testatus est agon extremus, in quo cùm spem uitæ superesse nullam sensisset, corpore ad expectationem propinquæ mortis composito, animo uerò ad cogitationem de uita futura, de beneficijs Domini nostri IESV Christi, de Spiritus sancti auxilio, & ad inuocationem excitato, has aliquoties uoces edidit: ita suo se pectori infixum habere atq; incluſum Filium Dei, ut inde eripi sibi illum nunquàm sit passurus: Sentire sese, initia uitæ & lætitiæ æternæ in corde suo fiducia Filij Dei accensa esse, & certa spe æternæ consuetudinis cum Deo, se paratum esse ad migrationem, quam optaret & peteret maturari. Cum tali inuocatione decessit heri hora octaua mane, consumptus febre, quam Medici iudicant fuisse ἡμιτριτόπαιον.

Dolemus & publico nomine & propter parentes, orbari Rempublicam ingeniorum taliũ præsidio, de quibus spes esse potuit, q̃ posteritatẽ essem cũ dignitate et salute publica fideliter gubernatura. Sed parentibus mœstitiam leniat hæc cogitatio, q̃ cùm placidè & piè sit mortuus, Deus uolucrit eũ ijs calamitatib. præreptũ quæ impendent, donare alia uita meliore.

Fiet autem funus ei hodie hora 12. Id ut scholastici frequentes prosequantur ex ædibus honestißimæ uiduæ Magni Schotten in foro, mandamus.

Datæ 13 Iunij.

EPITAPHIVM NOBILISSIMI ADOLESCENTIS Michaelis à Stralen Colonienſis.

QVi procul à Rheni ripis migrauit ad Albim
Hac Michaël dormit febre peremptus humo.
Hunc genere insignis pater has demisit ad oras,
Discceret ut ueræ relligionis opus.
Ergò bonis studijs operam dedit ille, triumq̃
Linguarum instructus cognitione fuit.
Moribus & castis pietatis plurima signa
Edidit, officijs exhibuitq̃ pijs.

Et

Et mors testis erat fidei, quòd luce repletum
Arserit ingenti pectus amore Dei.
Namq; fide Christi succendi in pectore sensit
Lætitiæ, & uitæ munera prima nouæ.
Et nunc his fruitur duris, quæ fortiter antè
Complexus fuerat non dubitante fide.

DIALECTICÆ ET ETHICÆ AVDITORIBVS S.

CVm Clariß: uir D. Albertus Lemcierus hodie, ut intelligo, ad ordinariam suam profeßionem, aliquandiu, ut uices meas absentis obiret, intermiſſam redierit, cõstitutum mihi quoq; fuit, hodie continuare locorum Dialecticorum explicationem. Sed fortuita & improuiſa luxatione plantæ ſiniſtri pedis, in quam neſcio quomodo incidi, quo minus commodè incedere ac domo exire poßim, impedior. Confido autem me intra biduum hoc, quidquid eſt mali, ſanaturum eſſe. Eam exiguam moram ac ceſſationem decet humanitatis ſtudioſos, cùm alioqui in abſentia mea non ſint neglecti, ferre humaniter & interpretari candidè. Quod bonos facere non dubito, præſertim, cùm mea alioqui aſſiduitas nota ſit, quam etiam deinceps re malo q̃ uerbis declarare. 15 Cal: Sextil.

P. Vincentius Vratisl.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

ET uir bonus, & Iureconſultus bonus erat uir honeſtiſsimus & doctiſsimus, Cunradus Mauſer, Iuris Licentiatus. Qui cùm uſus eius in iudicijs huius Eccleſiæ, & in Schola hac maximus eſſet, deſiderium ſui ingens, & memoriam gratam honeſtis omnibus reliquit. Huius filius, natu minor IOHANNES MAVSER heri ueſperi intra ſeptimam & octauam horam in ardentiſsima inuocatione Dei ex hac mortali uita ad æternam Chriſti & beatorum conſuetudinem euocatus eſt. Quare ut funeris ceremoniæ piè ſercuntur, hortamur ſcholaſticos, ut ante ædes honeſtiſsimæ uiduæ matris eius, quæ ſunt in platea Conſulum, proximæ ſupra Typographum Iohannem Cratonem, hodie hora quarta frequentes conueniant, ubi & cætera cogitanda ſunt, quæ de cauſis mortis, de iudicio futuro, de reſurrectione, de beneficijs Filij Dei in Euangelio traduntur, tùm hoc etiam cogitetur, quod Syracides inquit capite quinto: ὡ ἀλογίσῳ ἑκάστῳ ἡ πᾶσιν ἡ κοίμησις, incertus unicuiq; & omnibus eſt articulus temporis,

quo

quo moriturus est. Quod & in alio dicto breuissimè uulgo monetur: Mors certa, hora uerò mortis incerta. Fuit hic adolescens ea & ætate & corporis robore, ut longa uitæ spatia sperari posse uiderentur, & tamen non solùm in flore medio, & optimo ætatis cursu, ingressus Climactericum tertium, annum uidelicet uicesimum primum, sed & subitò quodammodo abreptus est, Nam ultra dies quinq; morbo non est conflictatus. Adeò uerum est, quod Psalmus hac de re nonagesimus inquit: Instar nymbi diffluunt homines, & uelut somnium sunt. Item: Anni nostri subitò prætereunt, tanquàm uolatu præpete abripimur. Cogitantes ergò uitæ fugacitatem & iudicium Dei, simus modestiores. Nam etiam longum uitæ spatium quid est cùm præterijt? ut uerè dictum est etiam à Pindaro: σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Et ueteri cuiusdam urnæ inscripta uerba: πάντα βαια βιῶ, Omnia uitæ breuia sunt & fugacia. Quare quod Syracides iterum capite 5. monet. Ne differamus emendationem usq; ad mortem, quia subito ueniet ira, Sciamus omnes nos tanquàm in procinctu stare oportere, & expectare, quando ad iudicium euocemur. Quare ad iter nos præparemus, & ἐφοδίοις necessarijs instruamus, Quod & fecit aliquandiu hic adolescens, dum

ſub diſciplina optimi & doctiſsimi uiri, M. Michaelis Rottingi Noribergenſis fuit, ubi occaſiones diſcendi ac præparandi ſe auidè arripuit, & quànquàm anno hoc proximo nonnihil liberius uiuere ſeductus à ſodalicio ceperat, tamen toto hoc tempore morbi & in agone illuſtria ſigna pœnitentiæ multa oſtendit, & ueniam delictorum iuuenilium ardenti precatione & fiducia Filij Mediatoris petijt, Quin & auidè expetiuit Academiæ cœleſtis lucem, ut noctu iter facientes cupidè auroram & dici lucem exoptant & expectant, Et cùm morbum ingraueſcere ſubitò ſentiret, multa grauiſsimè locutus, ac coram matre & miniſtris Eccleſiæ teſtatus eſt, quæ ſigna ſunt animi diuinitus confirmati, & cùm hanc potiſsimum ſententiam ſubinde repetiuiſſet: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut conuertatur & uiuat. Tandem in ardentiſsima repetitione eius placidè obdormiuit. Hanc pietatem filij cogitans mater honeſtiſsima, & orbitatem ſuam animo æquiore ferat, & luctum ſuum moderetur. Et exempla hæc intuentes ac cogitantes iuniores, diligentiam in diſcenda doctrina cœleſti, & in regendis moribus curam maiorem adhibeant, & propter hanc ipſam pietatem, hunc

ſuam

ſuum & Electorum omnium συμφοιτήτων de conciuem uitæ æternæ eo libentius honeſtiore frequentia ad ſepulturam comitentur, & uitam ſuam & hanc totam Eccleſiam pijs Deo precibus commendent.

Datæ die 25 Auguſti.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

ET calamitatum magnitudo, quibus expoſiti ſunt miſeri homines, per ſe tanta eſt, ut nulla eas ſapientia aut eloquentia humana, quantumuis magna, commemorare aut explicare omnes poſsit. Et pectora hominum in miſerijs ingentibus ciuſmodi ſunt, ut ſenſus dolorum & trepidationum in his etiam planè ſit inenarrabilis. Ac ſunt hinc querelæ & diſputationes triſtiſsimæ, quibus omnibus temporibus ærumnæ & miſeriæ humanæ deploratæ, & cauſæ harum inquiſitæ ſunt, ab ijs, qui ſapientia & doctrina in genere humano excellu-

erunt,

lucrunt, Qualis ille est Orestis apud Euripidem eiulatus uerius quàm querimonia:

οὐκ ὄξιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
οὐδ' πάλος, οὐδ' ξυμφορὰ δείλατος,
ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχλος ἀνθρώπου φύσις.

Nec est, quod & Plato dixit, sapientiæ humanæ studium aliud, quàm mortis & miseriarum humanarum meditatio, in qua ut nec causæ harum ueræ, ita nec consolationes firmæ & solidæ ostenduntur aut traduntur, etiamsi aliqua harum remedia tanquàm μαλάγματα inefficacia cruditè inquirit, & speciosè proponit. Sola illa doctrina, quæ diuinitus illustribus testimonijs tradita est, & scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensa est, sonans in Ecclesia Domini nostri IESV Christi, & causas miseriarum ueras, & consolationes efficaces monstrat, non solùm in ærumnis, sed & in morte media eos confirmat, erigit & uiuificat, qui firma eam fide apprehendunt. Quare solam illam tanquàm anchoram sacram sibi proponant, qui ærumnis & miserijs tristibus excruciantur & exercentur. Etsi autem mulierum parturientium ἀγωνία & pars est miseriarum humanarum, non minima aut leuissima, & per se difficilima, præsertim, cùm casus interueniunt infelices,

lices, ut uel mater uel fœtus, uel utriq; etiam labore partus superantur & extinguuntur, & necesse est marito εὐσόργῳ & bono ex casu tali dolorē oriri inenarrabilem: Tamen cùm uox diuina expreßè de hac tristi cruce affirmet, diuinitus hanc impositam esse coniugibus, ut & de primo lapsu, & de peccatis suis eos commonefaciat, Et rursus assseueratione dulcißima testetur non abijci tales à Deo, etiamsi spectaculum est miserabile et tristißimum, sed hunc parturientibus ad portū uitæ et lætitiæ æternæ aditum esse, ut Paulus inquit: Saluatur mulier per filiorum generationem, si manserit in fide, dilectione, & sanctificatione cum castitate. Sciamus dolorem, quantum omninò fieri potest, moderandum ac reprimendum, & in hac diuina consolatione acquiescendū esse. Tàm dulcis enim cùm permutatio fiat uitæ huius ærumnosæ, fugacis & incertæ, cum æterna, immortali, beatißima, plenæ sapientiæ, lucis & lætitiæ diuinæ, causæ dolorum omnes tanquàm diluuio bonorum absorbentur ac diluuntur. Etsi autem hesterno die sub lucem extincta honesta matrona ANNA, cōiunx uiri honesti & docti M. Georgij Schonborn, nata in Matthæorum ucteri huius urbis familia, quæ cùm nocte præcedente partu satis facili, gemellos enixa esset, adeò tamen primo

mo illo partu uires corporis, alioquin languidi, afflictæ ac proſtratæ fuerunt, ut ſuperare hunc agonem non potuerit. Cùm igitur migrandum ſibi ex hac uita ſentiret, quod & ante partum animo, tanquàm diffidens corporis ſui debilitati, & uerbis ſæpè præſagiſſe dicitur, ardentiſſimis precibus Filio Dei ſeſe, ſobolem, maritum, parentes & Eccleſiam communem commendauit, & circa ſextam matutinam placidiſſimè inter has preces expirauit, acquieſcens, & obdormiens cupidè in promiſſione & cõſolatione hac, quam ex Paulo citauimus. Fuit alioqui in omni uita placidiſſima, & pijs uirtutibus ornata, quæ honeſtæ matronæ decus ſunt. Quare in dolore ingenti maritum eſſe haud dubium eſt, quia cùm eodem die, & pater & uiduus factus ſit, eius nos luctu affici æquiſſimum eſt. Sed cùm ſciat Deo obtemperandum eſſe, moderetur ipſe quoq; dolorem, et conſolatione hac, in qua acquieuiſſe coniugem uidit, ipſe quoq; mœſtitiam ſibi leniat. Fiet autem, huic matronæ funus hodie hora duodecima, ad id ut conueniant noſtri frequentes, eos hortamur, ante ædes ipſius, non procul à monaſterio ſitas. Solet uox diuina imagine parturientium Eccleſiæ ærumnas, & dolores pingere. Ac profectò longo iam tempore parturienti ſimilis eſt Eccleſia, nam

quantis

quantis cruciatibus exerceantur pij, in motibus illis publicis, quibus orbis terrarum, & regna penè omnia concutiuntur, non opus est hoc loco prolixè commemorare. De his ergò cogitent nostri in funere, & cùm sese, tùm Ecclesiam parturientem pijs precibus Deo commendent.

Datæ 28 Augusti.

IN EVRIPIDIS FABVLAM, CVI TITVLVS Ion.

AD diem Martis, hora octaua, Deo auxiliante, auspicabimur secundum librum historiæ Thucydideæ. Continet autem hic liber primam calamitosissimi belli συγγραφὴν, quo concidit robur & potentia Græciæ. Postquàm enim primo libro causas, occasiones & consilia exposuit, nunc ad commemorationem rerum gestarum accedit. Multi illustres loci sunt in hoc libro, sicut est descriptio pestis & prodigiorum, quæ præcesserunt, pompa sepulturæ cæsorum in bello, Oratio funebris Periclis, & aliæ insignes orationes. Denique totus

hic

hic liber dignißimus eſt, qui propter ſummam ſapientiam, doctrinam & uenuſtatem à ſtudioſis diligenter euoluatur, & exactè cognoſcatur, ſicut res ipſa & quotidiana tractatio oſtendet. Ad diem uerò Iouis proximum, Deo iuuante, incipiemus interpretari Fabulam Euripidis, cui Titulus eſt ION, quæ Tragœdia cùm propter mirabilem inuentionem, Oeconomiam, ſententiarum grauitatem, & ſingularem elegantiam, tùm uerò propter hiſtoriam omninò digna eſt, quæ à liberalibus ingenijs cognoſcatur. His prælectionibus adiungemus explicationem Grammatices, ne quid deſit auditoribus ad huius eruditißimæ & dulciſſimæ linguæ cognitionem. Oro autem ſtudioſos & auditores, ut unà mecum orent æternum Deum, Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut is mihi ſeni, & diuturnis laboribus iam fracto ac debilitato uires ſuppeditet, ut diſcentium ſtudijs utiliter ac diu inſeruire poßim, utq; tàm meus docentis quàm diſcentium labor fœlix ac fructuoſus ſit in Chriſto Ieſu, Amen.

4 Cal: Septembris.

Vitus VVinſemius ſenior,
Doctor artis Medicæ.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

Scitis ſæpè à nobis repeti & inculcari dicta de fugacitate uitæ, ærumnis, incertitudine & inconſtantia rerum humanarum, quas intuentes omnibus temporibus uiri docti & ſapientes, querelas de his plurimas & triſtiſſimas ediderunt: Quales ſunt illæ & Ethnicorum & ſummorum in Eccleſia uirorum uoces:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu quæ ualuere ruunt.

Et quod à Petro ex Iſa: 40 cap: citatur: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquàm flos fœni, Exaruit fœnum, & flos eius decidit. Has & querelas & uiuas quodammodo miſeriarum humanarum εἰκόνας cùm legimus aut cogitamus, & in exemplis quotidianis repræſentari conſpicimus: Sciamus cõmoneſieri nos, non tantùm de modeſtia, de timore Dei, & de alijs multis & magnis rebus neceſſarijs, ſed & de uitæ futuræ lætitia, certitudine & gloria æterna & conſtantiſſima, cuius has præſentes miſerias & ærumnas teſtimonium eſſe certiſſimum & fidelißimum, non dubium eſt: Ad has enim

ærumnas & miserias solas conditos esse aut nasci homines, tanta & sapientia & arte factos, planè est etiam rationis iudicio ac testimonio impossibile. Quoties ergò uitæ huius fugacitatem, inconstantiam, ærumnas & breuitatem cogitamus, imò cùm sordes, quibus & inquinatur quotidiè, & ceu tabe paulatim consumpta marcescit atq; euanescit, cernimus aut consideramus, tanquàm ex Antithesi nobis proponamus ob oculos, hæreditatem, ut Petrus inquit: ἄφθαρτον, ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, in cœlis nobis reseruatam ac custoditã, ad quam iter est ærumnosæ huius et fugacis uitæ curriculum: Hanc intuentes & exoptantes, citò nos abduci ac liberari ex miserijs præsentibus petamus: Et quidquid interea, tanquàm in itinere, sustinendum est molestiarum, placidè feramus, & spe gloriæ futuræ nobis ipsis leniamus.

Hæc cùm aliàs sæpè & in momenta, si fieri posset, omnia, tùm maximè in funerum deductione cogitanda sunt. Quare, cùm hodie hora nona funus futurum sit matronæ honestissimæ SYBILLÆ, uiduæ uiri honesti & docti Christiani Beiers, hortamur & oramus omnium ordinum Doctores & Professores & Scholasticos nostros uniuersos, ut & frequentia honorifica funus hoc ornare ac comitari non gra-

non grauentur. Et quæ nunc monuimus reuerentia pia, consolationis suæ causa cogitent. Fuit excellens sapientia, uirtus, eruditio & fœlicitas in arte Medica uiri Clarissimi & doctissimi Doctoris Stephani VVildij, qui Sibyllæ huius pater fuit: Et artem Medicam non solum in hac Academia docendo & medendo exercuit, Sed & propter fidem, doctrinæ & fortunæ in medicationibus præstantiam, penè omnibus in his terris Principibus & uiris præcipuis innotuit & clarus fuit. Auus etiam maternus huius honestissimæ uiduæ Antonius Niemeck quanta cum laude Præfecturam & Consulatum urbis huius gubernarit, norunt ac meminerunt adhuc præcipui in hac urbe senes. Ab his honestis uiris progenita matrona hæc, & connubio iuncta illius uiri filio, qui propter sapientiam, doctrinam, & uirtutem tum temporis in Aula optimorum Ducum Saxoniæ præcipuus fuit negociorum et consiliorum in his terris publicorum administer ac gubernator. Visa est & fuit reuera præ multis alijs honorata & fœlix. Sed cùm nihil in uita hac firmum aut durabile esse intelligeret. Et ab optimis parentibus inde usq; à prima infantia ad pietatem assuefacta esset, illo uno excellere ac fortunata esse studuit, quod ab Apostolis matronæ honestæ

decus esse didicerat: Ac exemplum fuit memorabile carum uirtutum omnium, quas matronis & coniugibus sanctis Petrus Epistolæ suæ primæ tertio capite oratione prolixa commemorat. Etiam in hac orbitate sua, in qua post obitum mariti amplius biennio uixit, Et in morbo toto, qui diu eam inter uarias & insuaues fortunæ uices, exercuit, & eximiam pietatem, & testimonia non obscura aut dubia animi diuinitus confirmati ostendit. Nam & constanter semetipsam promissionibus uocis diuinæ erexit, Et cùm ut mater φιλοσοργος non tàm de uita quàm de sobole sua sollicita esset, sæpè testata est, certissimam se esse de eo quod in Psalmo uox diuina affirmat. Tibi domine derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor, Quare & migrationem ex hac uita expetiuit cupide, Et quemadmodum optauit placidissimè in inuocatione Filij Dei emigrauit, Vt non dubitemus uerum esse de ipsa, quod de membris suis Filius Dei inquit: Qui ad finem perseueraucrit, saluus erit. Itaq; & officium funebre tantò ei libentius præstemus, & in hoc nos & uitam nostram, Deo commendemus.

9 Septembris.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

QVantis hoc anno & quàm multis beneficijs à Deo affecti ac cumulati simus, iustum est sæpè nos cogitare, & animis gratis ac uotis ardentibus celebrare. Verè enim de huius anni insperatis bonis prædicare possumus, quod de operibus diuinis Dauid inquit: Mirabilis est scientia tua supra me, exaltata tantopere, ut comprehendere eam nequeam. Item: Iustitiæ tuæ & salutationis tuæ non noui numerum. Nam qui de hoc anno, multò antè celebrati fuerint infausti sermones ac rumusculi μάντικοι, etiam uulgo notum est: Quos non fuisse omnes aut falsos prorsus, aut omninò ἀσύμβολς, euentus ostenderunt rerum maximarum, quæ alibi hoc anno acciderunt & motæ sunt: Et fortassis initia tantùm horum & præsagiorum, & mutationum paulò post secuturarum, uidimus. Quas non Eclipses tantùm & coniunctiones diræ, aliquoties nunc & interuallis breuissimis uisæ, nunitari, Sed alia quoq; prodigia ceu ex propinquo denunciare uidentur: Et imprimis φάσμα horribile Septen-

trioni fatale, quod toties his annis proximis apparuit, & recens singulis penè noctibus cœlum aspectu triste et terribile effecit. Non commemorabimus nunc, qui in regnis penè omnibus sint aut fuerint motus, ac uelut terrores Panici recentes: Viciniam aspiciamus, in qua bellum trississimum inter uicinos & cognatos reges motum, alios etiam ignauos & inquietos, seu, ut Thucydidis uerbis utamur, ἅπα θύμους καὶ φιλοπολέμους, commouit, & his singulos penè angulos uicinos concussit uel terruit saltem. Nec prospici finis illorum motuum potest, imò uix prima semina iacta sunt, quibus ne messis Cadmæa subnascatur ualdè metuendum est. Ac quod apud Euripidem dicitur: πολλὰν αἴσων σεμ ὕλην πῦρ μικρὸν ἐκ σπέρματος. Ita ne ab his paruis, ut putamur, initijs malum & incendium ingens uniuersæ Germaniæ exitiale oriatur, Sapientes non uano timore & metuunt & præsagiunt. Inter hæc tamen pericula & motus publicos, non solùm nidulos nostros clementer Deus protexit, sed & præter pacem, tranquillitatem & securitatem in his dulcissimam, alijs nos bonis cumulauit. Lenijt ipse annonæ difficultatem, quæ famem sæuissimam paritura uidebatur. Et præter spem atq; expectationem omnium, messem tribuit tàm fœcundam

&

& uberem, ut hominum memoria uix similis fuisse dicatur ubertas: Auertit hactenus & pestilitatis & aliorum contagiorum pericula. Vindemiam quoq; non prorsus nullam futuram esse, serenitate dulcissima huc usq; clementer usus est. Quodq; bonorum omnium summum & maximum est, doctrinæ etiam lucem seruauit incorruptam, Et quam semel in his terris sinceritatem & simplicitatem doctrinæ & uocis suæ misericordia inenarrabili accendit, contra præstigias, ululatus & fremitus fanaticorum, benignissimè spargere ac propagare non destitit: Deniq; cùm passim sint ὕστερα & ruinosa omnia, in Imperijs, Ecclesijs, Oeconomijs et alijs statibus, nobis tamen immensa bonitate adfuit Deus, ut rursus cum Dauide dicere ac confiteri nos oporteat: Etsi cadant à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te tamen non appropinquabit &c. Non adfliget te malum, & flagellum tabernaculo tuo non approximabit. Hæc ergò beneficia diuina agnoscere nos & celebrare animis et uoce ardenti, iustissimum est, Quod nisi facimus, & casu nos hactenus adiutos & custoditos existimamus, non solùm stupidi, sed scelerate ingrati, & quibusuis Epicureis deteriores sumus.

Solet autem Ecclesia nostra hoc in festo, quo doctrinam de Angelis repetit & proponit publicè, cùm peculiaria illa & ingentia dona diuina, quibus in annos singulos cumulamur: tùm quotidiana etiam & continua beneficia Angelorum in nos ministerio & excubijs collata, cum ardenti gratiarum actione ac celebratione commemorare et prædicare. Hoc itaq; & festo & celebratione solenni excusitari atq; inuitari nos statuamus, ut commemorationem & gratitudinem publicam, nostris quoq; uotis, precibus & qualicunq; gratarum mentium significatione, iuuemus, Et exemplo nostro inuitatis & excitatis alijs efficiamus quod Paulus iubet, Vt in magna & numerosa hominum frequentia Deo, pro collatis in nos donis, per multos gratiæ agantur. Vbi sciamus utraq; bona complectenda esse animo, & in celebrationem unam includenda, ingentia illa & uerè miraculosa, quibus peculiariter hoc anno affecti sumus, & reliqua, quibus in momenta singula Angelorum nos λατρείαν & excubiæ fidelissimæ cumulant, quæ etsi propter assuetudinem minutiora falsò putamus, &, proh dolor, negligimus, multi etiam furoribus & abusu fœdo ac horribili contaminant: Tamen reuera maiora sunt, quàm quæ ulla sapientia & uoce humana

humana comprehendi aut celebrari satis digne possint. De his uerò & de sapientia diuina uniuersa, quæ in cogitatione de Angelis repetenda est, & proponenda animis, alio tempore et loco moneri uos audiuistis. Quæ ne parua, aut quod, proh dolor, ingens hominũ Epicureorum multitudo facit, fabulosa putetis, semper Deus ipse illustria de Angelis, & de beneficijs, quæ ministerio ipsorum in nos confert, testimonia & exempla proposuit & proponit adhuc spectanda, Vt & refutati testimoniorum talium euidentia, firmius uoci ipsius assentiamur, & pluris hæc beneficia faciamus. Et hac quidem æstate penè in conspectu nostro memorabile exemplum accidit. Nondum enim mensis est tertius elapsus, quando unà cũ cõiuge ac liberis hinc ad obeundum docendi munus in Ecclesia celebris cuiusdam & copiosæ ciuitatis profectus est patersfamiliàs quidam, cui, cùm iter faciendũ esset per paludes uadosas, uicinas prædio proximo suburbano Wachsdorff, forte currus eius de ponticulo in paludem, aquis tunc ab exundatione Albis repletam, deiectus, & unà cum coniuge & paruis liberis tunc suauiter dormitantibus totus subuersus est. Quin, cistæ etiam currules supellectili literaria librorum repletæ & grauatæ, euersæ ac loco suo motæ, in aquis medijs in-

fantulos miseros his impositos magis etiam demerserunt & depresserunt, adeò, ut de uita horum pater cõsternatus, & auxilijs præsentibus destitutus, periclitaretur. Sed Deus, qui, ut in Psalmo scriptum est, Angelis suis mandauit, ut in uijs suis pios custodiant, ut in manib. suis portent eos, ne quà offendant pedes eorum, Et infantulorũ, ut Christus testatur, peculiariter per Angelos curam gerit, tunc immensa bonitate et præsentiam suam, & λειτουργίας Angelorum, testimonio manifesto, solicito patri ostendit, Nã & uim aquarũ omnem oppositis quasi manibus Angelorum, ab ipso, à coniuge & liberis periclitantibus auertit & cohercuit, adeoq; clementer ipsos omnes protexit ac liberauit, ut ne somnus quidem infantulis turbatus aut impeditus sit, ac nihilo illi in aquis medijs à cistulis depressi peius habuerint, quàm si in sinu materno aut cunis suis cubuissent. Ita uerè tanquàm gremijs Angelorum excepti & seruati sunt infantuli: Et comprobatum est, quod de his Christus inquit: Angeli eorũ uidẽt faciem Patris cœlestis. Acciderunt huic eidem patrifamiliàs in eodem itinere etiã alia, præsertim in iugis Bohemicis, in quibus se præsidio Angelorum custoditum ac protectum esse fatetur. Sed hoc quod in uicinia nostra accidit, cùm omnium sit euidentissimum,

idcò

ideò commemorare hoc loco uoluimus, ut cæteris adiungeretur teſtimonijs, quæ de Angelis alibi recitari audiuiſtis, Et ut recenti hoc exemplo commonefacti, eò ſtudioſius & ardentius Deo pro cuſtodia & præſidijs Angelorum cum Eccleſia gratias ageretis. Nã et nos omnes præſidijs Angelicis quotidie & in momenta omnia cingi ac protegi non dubium eſt nobis ex Pſalmi dicto: Caſtrametatur Angelus Domini in circuitu timentium ſe. Quo in dicto, ſeu ἀρχηγὸς Angelorum Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſeu ipſa agmina Angelica, ipſum ut ducem comitantia intelligantur, cùm ſint apud nos ſtudia diuinæ uocis incorrupta in Schola & Eccleſia, Et ſint in cœtu noſtro non pauci uere timentes Deum, & recte eum in agnitione & fiducia Filij inuocantes, Etiamſi admixti ſunt multi Barbari & Cyclopum more ferocientes: certiſſimum eſt adeſſe his cœtibus Filium Dei, & numeroſa Angelorum ſanctorum agmina, quibus niſi ſepti hactenus fuiſſemus, iam olim Diabolus, odio Scholæ huius horribiliter ardens, hos nidulos noſtros aut deleuiſſet funditus, aut cœtus hos diſſipaſſet. Id uerò quòd nondum factum eſt, Filio Dei, cuſtodi, capiti ac Rectori noſtro ſummo, & præſidijs Angelicis, acceptum feramus.

Vt

Vt igitur & cogitatio de rebus tantis ardentior esse possit, præcipimus uobis, ut in festo hoc modesti sitis, Et ut aliqua gratitudinis nostræ signa erga ministros Euangelij, quorum uoce nos Filius Dei alloquitur & erudit, publicè conspiciantur: Mandamus Doctoribus, Magistris & Scholasticis nostris omnibus, ut hodie, more usitato, munuscula sua ad Aram offerant, nec dubitent pauxillum hoc, quod pijs ministris tribuitur, gratissimum futurum ipsi Filio Dei, cui immediatè honorem hunc & gratitudinem debemus, & abundè ab ipso compensatum iri.

Datæ die 29 Septembris, quo Ecclesia publicè memoriam castorum Angelorum celebrat.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

ETiam antiquitus usitatas fuisse Eleemosynarum publicarum collectas, quæ ad usus pauperum asseruatæ ac distributæ sunt in Ecclesijs, non solum historiæ ueteres testantur, & Cœnæ Dominicæ celebrandæ ritus, cui à contri-

contributionis illius beneficentia nomen ἀγάπης à ueteribus inditum fuit, ut nunc quoq; Collectæ nominantur preces publicæ, quæ olim peracta illa contributione recitabantur, & ccu compensatio habebantur eorum, quæ cuiusq; pietas ad communes & publicos pauperum usus conculerat, Sed & Epistolæ Paulinæ aliquot in locis ostendunt, Ita enim à Corinthijs Paulus Eleemosynam petit pro Christianis in Iudæa egentibus, & fame tristissima laborantibus, & uerbis dulcissimis beneficentiam Macedonum prædicat, qui liberaliter contribuerint etiam in tenuitate & inopia altissima, 2. Corint: 8. Hunc sanctissimum morem ueterem grauibus de causis, ijsq; plurimis, imitari, et petere Eleemosynas publicè quolibet mercatu Lipsico decreuimus, non ut sumptu tenuiores grauentur, aut nobis et usibus nostris quidpiam quæratur, petamus aut cumulemus, ut nos impudẽs & maledicus quidã in collectione proxima criminatus est. Sed ut miserijs ægrotantium scholasticorũ in parandis medicationibus & alijs rebus necessarijs, hac qualicunq; stipe Eleemosynarum publicarum consulamus. Cùm. n. à Clarissimis et Reuerendis uiris, Dominis Doctoribus Medicis & Diaconis Ecclesiæ expositæ nobis essent miseriæ, quibus plærunq; egentes scholastici hìc conflictarentur

ter, & Fisci publici tantæ non essent opes aut facultates, ut inde subueniri miseris posset, cogitare Senatum de ratione commoda oportuit, qua miseriæ egentibus leuarentur. Ac, Deo iuuante, fidem atq; integritatem in dispensandis atq; asseruandis his Eleemosynis, ijs omnibus quouis tempore probabimus, qui rationem harū à nobis requirent. Cras igitur cum iuxta Senatus consultum nostrum petituri sint hanc stipem ij, quos Collectæ præsenti destinauimus, Petimus à Magistris, Doctoribus & Scholasticis ad nostram Iurisdictionem pertinentibus officiosè, ut qui Dei beneficio sumptibus necessarijs instructi sunt, decerpant ab his aliquid, quod ad usus pauperum contribuant, & ne hæc fragmenta tenuia iacturam aut grauamina existiment, Sed certo statuant hoc uniuersum, quod pauperum causa erogatur, fœnori dari Domino, qui ut beneficentiæ omnis compensator est liberalissimus, ita sine ulla dubitatione etiam has Eleemosynas scholasticas benedictione multiplici compensabit: Nam qui semen seminanti subministrat, etam panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen uestrum, & augebit incrementa frugum iusticiæ uestræ. Et uerissimum est quod in Psalmo scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala

mala liberabit ipsum Dominus. Vt autē Paulus à Corinthijs petens Eleemosynas tales, expreßè inquit: οὐ κατ' ἐπιταγὴν λέγω, ita nec uobis quidquā de tota hac collatione præcipimus, nec modū beneficētiæ uestræ præscribimus, Tantum ut uoluntas recta & liberalis sit, oramus, Quia si prompta fuerit, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. Neq; ita contribuere uolumus, ut alijs remißio sit, uobis uero afflictio, ἀλλ' ἐξ ἰσότητος ἐν τῷ νῦν καιρῷ τὸ ὑμῶν περίσσευμα εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα, ἵνα καὶ τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα ὅπως γένηται ἰσότης, ut Paulus inquit: Itaq; unusquisq; pro ut destinauit in corde suo, non ex tristitia, neq; ex necessitate conferat, Hilarem enim datorem diligit Deus. Ac cogitate, quid nō diuina tantum uox de hoc genere officiorum testetur, sed quid de his etiam Ethnici extra Ecclesiam paßim monuerint. Euripides inquit: εἰ μὴ γὰρ ὦμεν ἄνθρωποι ἀνθρώπων τύχας ὑπηρετήσομεν οὐ φανήσομαι φρονῶν. Et uetus Homeri dictum est: πάντων χῶρ δὲ τε ῥύντιες εἰσίν. Hæc sapientum dicta cogitate ex ipsius naturæ sensu deprompta esse, in qua Paulus σπλάγχνα οἰκτιρμῶν habitare præcipit.

Quare

Quare, ne ab Ethicis hoc in genere ſuperati uideamini, tanto benignius & promptius neceſſitati pauperum ſubuenite, & hanc piam noſtram ſollicitudinem candidè interpretamini & criminationes maledicas, ita ut decet, refutate.

Datæ 10 Octobris.

SIGNIFICATIO DE PRÆLECTIONE ORDINARIA libelli de Anima.

Poſt explicatam communem doctrinam de natura & cauſis, elementis & qualitatibus horum, & qualitatum efficientia in motibus & mutationibus corporum naturalium, & quæ alia ſunt παθη horum & accidentia, rectiſſimum fore iudicatum fuit, ſi ad doctrinam de anima redirem, ut φυσικὴ θεωρία, & integra & ordine uero ſtudioſis huius proponeretur, à quo noſtræ etiam rationes minimè diſcrepant, Nam ad abſoluenda ea, de quibus cauſæ rerũ in natura deducuntur, à Lunæ orbe uſq; ad terræ centrum, & omnibus quæ intra hæc ſpacia fiunt, & in his continentur (etſi & in ætherea regione multa ſunt, de quibus phyſicè quærit, cùm Ariſtoteles in hac φυσίῳ non nominet, Ad hæc igitur abſoluenda, & ut quaſi corpus

corpus quoddam doctrinæ Physicæ constituatur, de anima doctrina assumenda est, quam commendans Aristoteles hac etiam de causa magnopere conducere scribit πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν, μάλιστα δὲ πρὸς τὴν φύσιν. Sicut enim corpus animatum in Physicis corporibus eximium est, ita de anima doctrina in hac parte Philosophiæ eminet, sine qua studium Physicæ & fundamentorum huius nec laudabile aliquod neq; integrum & perfectum esse potest, & hæc si negligitur, de animati corporis natura disseri nihil potest, cùm sit anima οἷον ἀρχὴ τῶν ζώων, & formæ horum pars altera atq; interior. Sunt qui ἀκριβολογοῦντες hanc mediam quandam doctrinam esse uolunt inter Physicen, & eam, quæ prima Philosophia et θεολογικὴ à ueterib. & uulgo malè composito uerbo Metaphysice, etiam à quibusdã excellentie appellatiõe sapientia appellatur, quod neq; ἀϊδιον τὸν sit, & ἀΐδιον anima, sed νοητὸν, et tamẽ inter æternas & caducas, natura quædam, ut disputant media, τὴν οὐσίαν huius νοητὴν esse & immortalem, quæ ad primam Philosophiam pertineant, Virtutes autem & effectiones in materia apparere, & cum hac connexas esse, & sensibus subiectas & temporibus annexas, quæ sint studij Physici

et cõsiderationis cõtemplationisq; naturæ. Θεωρία tamen φυσικὴ de anima alia esse uidetur, Neq; enim à corpore hãc seiũgit, aut seiungere potest, cùm εἶδος quærat non solũ, sed σὺν τῇ ὕλῃ, & τῶν ἀϋλῶν καὶ ἐξ ἀφαιρέσεως οὐδενὸς ὄντος θεωρητικὴ ἢ φυσικὴ, neq; anima sola et à corpore separata quæ sit aut qualis, & unde uel ubi sit, quid faciat aut facere omninò poßit, humana sapientia comprehendere aut οὐσίαν huius concipere, neq; in corpore etiã, si peculiariter consideretur, quã naturã ea habeat explicare potest. Aristotelicæ autem de anima, quæ ad nos peruenerunt, disputationes eiusmodi sunt, quæ fines Physicæ non excedunt, cùm Plato Physicis theologicam illam Philosophiam admiscere soleat, Et de mente Aristoteles rem inexploratam esse confitetur, ut altiora captu suo in hoc quidem genere non quæsiuerit, Sed de anima sic disputat, ut à corpore, tanquàm materia in qua inest & sedem habet, eam non abducat, & formam, hanc esse doceat corporis animati, uel causam etiam ut fiat & sit εἶδος, atq; ita non tàm quid sit anima, explicat, quam quid illa in corpore quod animat poßit & perficiat, & quomodo hæc forma materiam suam informet. Sunt autem uirtutes animæ, uitam, sensus & intelligentiam efficere, quas per organa certa exercet.

ercet. Itaq; Physica de anima doctrina in explicatione harum duarũ rerũ consistere uniuersa uidetur, quid possit anima, & id quod potest quomodo perficiat. In quo uno genere operam nauare humana sapientia potest, cùm de anima quæritur. Et hæc sciri ad communem uitæ usum & doctrinæ & eruditionis in terris conseruationem oportet, etiamsi locum & formam animæ ignoremus. Hanc igitur sapientiæ humanæ de anima doctrinam comprehensam scriptis Græcorum inprimis & Latinorum ueterum, nunc deinceps, Deo uolente, ordinaria & publica opera nostra explicabimus. Vtemur autem, ut antè, ita hoc etiam tempore, adhanc rem libello D. Philippi Melanthonis V. CL. quod cùm alijs de causis multis facimus, tùm quòd ad explicandas animæ actiones organorũ omnium, quibus illa utitur ex anatomicis descriptiones pleniores in hoc assumantur, quæ à ueteribus separatim sunt propositæ, etiam ex Medicorum dogmatibus nonnulla differantur luculentius & & exquisitius, & hæc quidem omnia ad religionis Christianæ ueritatem exigantur, & quæ ratio uidere non potest, inde explicentur, ut Aristotelica doctrina multiplici accessione augeatur, cuius anatomica non extant, & si extarent cùm Galeni & nostrorũ hominum, Vesalij

imprimis & Fallopij descriptionibus fortassis non possent conferri, ut de multis argumentis æstimare licet. Quibus de causis, qui ueterum de anima doctrinam melius explicet, & ad hanc directiore uia adducat, aut qui cum maiore fructu multiplicis instructionis legi possit, non uidetur extare libellus alius. Sed hæc ante oculos interq; manus sunt. Huius igitur libelli enarrationem publicam cras, Deo uolente, hora secunda (quæ hactenus his studijs dari solet) inchoabimus, & de cæteris, quæ ad hanc rem pertinent, & hoc loco dici non possunt, quædam ei præfabimur.

Proposita ab Esromo Rudingero
Anno 1561. Mense Ianuario.

GEORGIVS MAIOR

LECTORI SALVTEM, PER eum, qui est salus, uita & redemptio nostra.

ANnus iam agitur uicesimus sextus, quo hoc mense Octobri cepi primùm pro Concione enarrare Epistolas Pauli, consilio Reuerendi patris & præceptoris nostri Doctoris Martini Lutheri, initium enarrationis ab Epistola ad Titum scripta faciens, & in harum

rum Epistolarum, quæ lumen totius scripturæ sacræ sunt, explicatione & repetitione in hoc usq; tempus perseuerans. Ago igitur æterno Patri Domini nostri Iesu Christi toto pectore gratias, qui ad harum explicationem & uitam mihi prorogauit, & donum interpretationis per Spiritum sanctum suum immensa bonitate subministrauit, sciens quòd non idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicquam, tanquàm ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est. Cùm itaq; in hac continua tot annorum repetitione Epistolarum Pauli iam duæ postremæ, nempe quæ ad Titum & ad Philemonem scriptæ sunt, restent explicandæ, exordiar, iuuante Deo, enarrationem crastino die Martis, hora tertia, loco solito.

Extant autem multorum scriptorum Ecclesiasticorum tùm ueterum, Græcorum & Latinorum, tùm recentium, prolixi in Epistolam ad Titum commentarij. Vnde apparet, quàm magni omnes pij Ecclesiæ doctores semper hanc Epistolam fecerint, & memini Reuerendo patri nostro Luthero tàm charam fuisse, ut ad eam integram ediscendam, & quotidie recitandam familiam adsuefaceret.

Est quidem breuis Epistola, sed admodum dulcis & suauis, eo q; concinno ordine & serie scripta, & illustribus uerbis exornata sit.

Tradit præcepta uitæ quasi in Ethico libello, omnium ordinum & statuum hominibus. In primo Capite, Ecclesiastica. In secundo, Oeconomica, quid senes, quid anus, adolescentulas, iuuenes & seruos facere deceat. In tertio, politica, Et quanquàm ex professo doctrinam fidei & iustificationis hic non tractet, tamen subindè aliquid eius aspergit. Sed hæc in argumento Epistolæ copiosius.

BReuiter, dignissima est Epistola, quam benè cognitam habeant omnium statuum homines, Ecclesiastici, Episcopi, Præsbyteri, Pastores Doctores & auditores. Oeconomici, senes, anus, adolescentulæ, iuuenes, serui. Politici, principes & subditi, ut iuxta hanc regulam hic præscriptam uitam suam componant, & abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobriè & iustè & piè uiuant in præsenti seculo, expectantes beatam illam spem & apparitionem gloriæ magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, quæ apparitio iam non longius abest, Ideò etiam omnibus notior hæc Epistola esse debet, ut sciant, quo modo hæc illustris Epiphania expectanda & expetenda sit.

Scripta Anno Christi ex Virgine nati 1563. die Lucæ, quo ante annos 61 solenni ritu hæc

Accade-

Academia primùm introducta & constituta est, quam ut usq; ad aduentum suum florentem ueri Dei notitia & inuocatione, & optimarum artium cognitione, protegat & seruet Christus omnis sapientiæ fons, toto cum pectore oro.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENsis, Paulus Crellius, sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

QVod de Magistratibus Psalmus inquit: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio Deorum dijudicans. Et rursus: Dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, Id ordinis politici laudem tantam continet, ut nec dici quid de eo maius aut honorificentius possit, Nec hoc ipsum, quod in Psalmo dicitur, satis dignè exprimi aut enarrari queat, Non tantum officium diuinum gerit aut sustinet Magistratus, sed ipse ordo diuina res est, & certissimum præsentiæ Dei inter homines documentum, Nec sine Deo, consilijs, sapientia, uiribus, aut uigilantia hominum fœlix aut durabilis est ullæ hominũ gubernatio, Sed utrũ q; ut fiat, & Magistratus publici administratio fausta & salu-

taris sit hominibus, Et ut aduersus improbos ac seditiosos maneat ac conseructur à Deo eam regi, fottunari & seruari necesse est. Sicut alibi scriptum est: Vt oculus uideat, & auris audiat, Deus utrumq; facit. Item: Non potest sibi homo sumere quidquam, nisi sit ei datum de cœlo. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Ipsæ etiam leges, quas constat neruos esse ordinis politici, riuuli sunt sapientiæ diuinæ, ideò in homines sparsi ac deriuati, ut ostendant Deum, & monstrent qualis sit, & doceant homines, uelle Deum, ut hi sapientiæ suæ radij norma sint cultus, & uenerationis ipsi debitæ, Deniq; ipsa humanæ societatis uincula, iudicia, pœnæ, coniugia, hominum contractus mutuis compensationibus ordinati, opera Dei sunt & testimonia suæ sapientiæ & præsentiæ. Hæc diuina ordinis politici encomia, sæpè commemoramus, ut & de Deo autore & custode huius ordinis sæpè cogitetis, & in his officijs, quibus Deus hominum cœtus mutuò deuinxit iusticiam, & alias uirtutes discatis & exerceatis. Quotics ergò imperia aut politias seu magnas seu paruas afficitis florentes iudicijs, legibus, pœnis, pace, aut alijs bonis similibus, Et Deo autori gratias agite, & seruari hæc magna bona petite. Ac in nostra quidem Academia

demia & hoſpitio huius, quod hactenus Deus & Eccleſiam ſeruauit, & clementer nobis præter doctrinæ lucem, & alia bona ſpiritualia, etiam mediocrem tranquillitatem & pacem tribuit, ſeruauit iudicia, commercia, Oeconomias & nidulos noſtros, & uerè, ut in Prophcta ſcriptum eſt: Vmbra dexteræ ſuæ nos protexit, ut cœlos plantaremus. Id ſtatuite bonum eſſe celebratione ardenti digniſsimum.

Cùm autem cras hora ſeptima de more alius eligendus ſit Rector, cui cœtus noſtri gubernatio hoc ſemeſtri hyberno mandetur, Præcipimus uobis, ut in templo Arcis frequentes conueniatis, non ſolùm, ut cognoſcatis, quis electus ſit, ſed ut pro his magnis bonis Deo nobiſcum gratias agatis, & hæc ingentia bona deinceps quoq; tribui huic Academiæ petatis.

Ac craſtinus dies cùm ſit natalis Academiæ, & inchoëtur eo annus eius ſecundus ſupra ſexageſimum, Accedatq; quotidie ad κλιμακτήρα, Noni ſeptenarij, quem non tantùm ſenibus priuatim, ſed totis etiam familijs, communitatibus, & gentibus arcano quodam fatorum impulſu σημαντικὸν eſſe, compertum eſt, Fortaſsis noua & plura huic μυρμακείῳ noſtro pericula metuenda & expectanda erunt, quorum profectò non pauca nec leuia, ſi non nobis

Germaniæ certè reliquæ, & præsertim uicinis regionibus motus terribiles, qui hoc anno aliquoties, & quidē ante dies pauciſsimos tumultu uno uix ſopito de improuiſo exorti ſunt, ſigna item & oſtenta infauſta ſæpius nunc in cœlo uiſa, minitari uidentur. Nam ſi uerum eſt, quod uulgo dicitur: Intrant in thalamos publica damna tuos, Valdè uerendum eſt, ne & hi noſtri niduli publicas calamitates ſentiant. Pericula ergò illa imminētia, ac fata huius ſenectæ mundi animo intuentes, tanto ardentius auerti ac mitigari ea petite. Propter hæc uota & preces publicas ſcitote uos conuocari. Quare ut loco & hora dicta frequentes adſitis, ex officio uobis præcipimus.

Oramus autem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixum pro nobis et reſuſcitatum, ſedentem ad dexteram æterni Patris, & dona dantem hominibus, ut cùm ſit Sacerdos & Caput Eccleſiæ ſummum, & fons ſapientiæ & bonorum omnium, clementer hāc quoq; Sareptam noſtram ſeruet, & ſit Rector huius perpetuus, Et ut Sacerdos ſummus præter cætera bona etiam concordiæ ſuæ Balſamum in nos gemas & fimbrias ipſius diffuſum ſeruet, & deinceps effundere non deſinat, Amen.

Pridie Lucæ Euangeliſtæ.

ORA-

ORATIO HABITA, CVM RENVNCIARETVR RECTOR Academiæ Illustrißimus Princeps ac Dominus, Dominus ERNESTVS LVDOVICVS Dux Pomeraniæ &c. XV. Cal: Nouembris.

ET sapientia magna est, & uirtus excellens, rectè intelligere legum & ordinis politici dignitatem, & reuerenter utriq; se subijcere: Rursus non solùm dedecus, ac turpitudo ingens, sed etiam furor tristis, & miseria magna est, ignorare aut contemnere leges, aut furenter ordini politico aduersari, ut uerè & præclare à Siracide dictum est de utroq;, capite tertio & tricesimo: Vir sapiens non odit legem, sed hypocrita non seriò adsentiens legi, est uelut cymba in tempestate sæua, ἀνὴρ σοφὸς οὐ μισήσει νόμον, ὁδ' ὑποκρινόμενος ἐν αὐτῷ ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον.

Nec dici significantius, nec exprimi pulchrius poterat miseria, & stoliditas horribilis, qua legum hostes ac contemptores impediuntur, ne cernant, quanta sapientia sit & lex Dei & ex hac deducti cæterarum riuuli: Nam non solùm sunt in talibus æstus & Euripi rapidißimi

mi dubitationum, sed etiam fremitus & odia horribilia contra leges, tanq; contra durißimum carcerem. Sunt & impulsus talium, quibus in suam & aliorum perniciem ruunt, adeo uarij, deformes ac tetri, ut nulla hos sapientia, aut oratio humana complecti aut exprimere omnes poßit. Pingit tamen hoc utrumq; Siracides in cymbæ imagine tempestatum sæuitia & ui quassatæ ac disiectæ. Vult enim dicere, esse in hypocritis & hostibus legum tales ceu tempestates fremituum, odiorum & furorum contra leges, quales circa hoc Octobris tempus Capellæ ortus Acronychus ciere, ac cõmouere in mari solet sæuißimas. Ac id significat uox κατὰ νὺξ, qua cò loci utitur.

Quodq; pingit Siracides, id uitam hominum docet ac demonstrat. Videtis enim, quanto fremitu multi efferi leges, disciplinam & Magistratus omnes oderint: Videtis quanto conatu nunc hypocritæ legem Dei oppugnent, & uim ac neruos eius omnes sublata omni obedientiæ necessitate incidere, ac delere studeant: Videtis & molitionum illarum fructus atq; effectus in moribus, & uita istorum hypocritarum & eorum omnium, qui his furoribus & præstigijs in legem Dei contumelioßis applaudunt.

Hæc

Hæc quoties animis contuemini, aut conſideratis, reuocate uobis in memoriam cùm aliàs nocis diuinæ de lege, de diſciplina & de Magiſtratu legũ ac diſciplinæ cuſtode, conciones, tùm hanc ipſam Siracidis ſententiam, qua auditis, ſapientiam cenſeri eximiam, reuerenter de legibus ſentire ac iudicare, & obſequenter his parêre.

Sunt uerò cogitanda hæc cùm aliàs ſæpè, tùm in his potiſſimum congreſſibus, in quibus declaratur, cui Magiſtratus ſcholaſticus conſenſu Academiæ commendatus ſit. Electus enim cùm non præficiatur, ut autoritate aut arbitrio priuato quidquam ſibi in gubernatione ſumat aut arroget, Sed legibus armetur certis & ſcriptis, quarum cuſtos & executor conſtituitur in electione ac Renunciatione hac ſolenni, legum potiſſima & prima conſideratio eſſe debet. Ac noſtrarum legum ſumma cùm ſit ipſa uox Decalogi, eo maiore cum reuerentia, non ſolùm cogitandas, ſed & obedientia ac conformitate debita in uitæ ueſtræ actionibus exprimendas ſtatuite.

Ipſum etiam Magiſtratum, ut legum talium cuſtodem & adminiſtrum, quæ ſunt & uox diuina, & riuuli ſapientiæ illius æternæ & arcanæ, quæ norma eſt immota iuſticiæ in ipſo

Deo.

Deo, Tanto & honore & ueneratione maiore, & obsequio promptiore prosequendum ac complectendum scitote. De quo ut de cæteris Magistratibus cogitate à Paulo uobis quoq; præcipi: Omnis anima potestatibus, quæ præsunt, subiecta sit, Non est enim potestas, nisi à Deo ordinatæ sunt &c. Necesse est obedire, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam.

Disertè inquit Paulus, Contumaciam repugnantem Magistratui politico, non solùm irâ Magistratuum in præsentia puniri, sed etiam tale scelus esse, quod à Deo mentes auellat.

Hoc dicto magis munita est Magistratuum apud sanos homines autoritas, quàm ullis armis aut præsidijs muniri potest. Quare, ut Magistratui uestro officia debita tribuatis, ne Deus offensus uos abijciat, hoc dic & hoc potißimum congressu de his, alijsq; similibus dictis legum & ordinis politici fontibus, reuerenter cogitate.

Vt autem Consilio grauißimo in Academia constitutum est, ut quolibet semestri onus gubernationis per uices ad alium transferatur, Ita, quod faustum ac fœlix sit Academiæ, significo uobis electum esse Rectorem Academiæ Illustrißimum & inclytum Principem ac Dominum,

minum, Dominum ERNESTVM LVDOVICVM, Stetinensium, Pomeraniæ, Cassubiæ, Selauoniæq; Ducem, Principem Rugiæ, & Comitem Gutzkouiæ &c. Cuius Celsitudo, cur hoc Magistratus scholastici munere à nobis oneretur, etsi pro sua sapientia, quæ ætatem superat, intelligit: tamen repeti & proponi uobis causas oportet. Iudicamus enim Celsitudinem tuam, Princeps Illustrissime, huc missam, nõ tantum tanquàm ad officinam liberalium artium & disciplinarum, sed etiam, ut ubi se offerant occasiones, exemplis, usu, atq; exercitatione doctrinæ, collatione de rebus, quæ incidunt, cum eruditis, adsuefiat ad ea officia, quæ sunt gubernatorum propria, Et discat paulatim considerare atq; intelligere, quarum rerum curam munus Principis complectatur, Quantas res & quanta adiumenta, quàm multà, & quàm uaria requirat, qua uigilantia ac circumspectione, qua prudentia ac dexteritate, quantis artium ac doctrinarum adminiculis opus sit gubernatori: Denique quomodo administranda Respublica, quomodo negocia publica sint tractanda: Discat etiam ingenia & mores hominum propius, & exactius obseruare, ac discernere, quæ est in gubernatore sapientia summa.

Etsi

Etsi autem magnum discrimen est inter nostrum hoc ceu umbratile regimen scholasticum, & inter administrationem politiarum, & totarum gentium: Tamen ut doctrina, sic assuefactione in scholis præparantur Principes, non minus quàm priuati, Vt ubi ad gubernacula accesserint, rectius gubernationis publicæ negotia intelligant, dexterius tractent, & fœlicius exequantur ac perficiant.

Excitat enim atq; acuit talis exercitatio curam & studium gubernationis in generosis animis, & iudicia formatac dirigit, Et si quid est uehementiorum motuum, id lenit, moderatur ac temperat.

Porrò & honorificum ad totam posteritatem, & in præsentia salutare scholæ nostræ fore persuademus, si Magistratui scholastico Celsitudo tua præsit. Addet enim Celsitudo tua ad hoc munus, à parentibus & maioribus summa, à semetipsa summæ spei ornamenta, ac præsidia, antiquissimæ stirpis in Germania splendorem, & propagatam à maioribus cum generositate, ac præstantia naturæ celebritatem nominis & famæ.

Patris enim Philippi ardens pietas, prudentia, iusticia in gubernatione, castitas, ita Germaniam omnem compleuit, ut apud exteros

etiam

etiam inclarucrit. Deinde à seſe adfert conci-
tatam de seſe in omnium animis atq; Illustrissi-
mis documentis confirmatam, excellentis inge-
nij, uirtutis, doctrinæ, industriæ, assiduitatis ac
diligentiæ opinionem, Quæ commouere, ac
trahere efficacius animos non prorsus feros so-
lent, quàm solent leges ac pœnæ.

Vetus dictum est uerissimum: πέφυκεν ὡς
ἐπὶ πολὺ τὰς γνώμας τῶν ἀρχόντων ὑπο-
τυποῦσθαι τὸ ὑποχείριον. Et congruit Clau-
diani uersus: Non sic inflectere sensus
Humanos, edicta ualent ut uita regentum.

Itaq; confidimus scholasticos intuentes in
illustria exempla omnium uirtutum Celsitudi-
nis tuæ, collocatæ in hoc fastigio, uelut in excel-
sa specula, certaturos esse inter seſe, pulcerrima
emulatione. Non tantum ut subiectissimo obe-
diendi studio obseruantiam suam Tuæ Celsitu-
dini declarent, sed ut assequendo, & exprimen-
do uirtutes, & industriam Celsitudinis tuæ, præ-
stent sponte sua, quæ legibus præscripta sunt,
& quotidianis edictis repetuntur & exigun-
tur.

Et gubernationem etiam hanc ob causam
fore faciliorem planè non dubitamus. Quo
enim quisquis inter scholasticos generosiore est

animo, eo & ipse maiore studio contendet sese ad exemplum uirtutum sui Magistratus inflectere, atq; componere. Et grauius irascetur cæteris, quibus, ut porcis, uolupe est, & sese, & tantæ dignitatis principem, turpitudine uitæ ac morum uelut cœno polluere ac deformare, cùm turpitudinis nota aliqua, qua se aspergunt, qui delinquunt, pertineat etiam ad Magistratum.

Cùmq; adferat etiam Celsitudo Tua, autoritatem attributam uestro ordini diuinitus, Quem cæteris in genere humano Deus præesse uoluit, Terrebit illa, ac reprimet eos, si qui erunt, quos nec decus uirtutum ac sapientiæ, nec laus diligentiæ flectet ac permoucbit.

Accedit & alia causa, quæ inde usq; ab Illustrißimis maioribus Celsitudinis tuæ propagata, quodam quasi iure, in tuam Celsitudinem deuoluitur. Consistimus ad tumulum Aui materni Celsitudinis tuæ IOHANNIS, Ducis Saxoniæ, sacri Romani Imperij Electoris, & Archimarschalli &c. Optimi & laudatißimi Principis, addo etiam sancti, Tanta enim fuit eius pietas, et in confessione ueræ doctrinæ constantia, quam primus ipse professus est, neglectis crudelißimis odijs, & atrocißimis minis, Tanta grauitas & integritas in omni uita priuata

uata & publica, Tanta in consilijs omnibus rectitudo & sinceritas, Tantus denique candor, ut hostium etiam suorum iudicio, & approbatione ac testimonio cognomentum boni meruerit, quo maius nullum ulli mortalium tribui potest, q. bonitate sola proximè ad Deum accedimus, qui solus perfectißimè bonus, & solus autor est bonis.

Carolum Quintum sapientißimum Imperatorem in Comitijs Augustanis, cùm hic Princeps, post editam doctrinæ Confessionem, propter constantiam in proposito grauiter accusaretur & iniustè, scimus, quanquàm à causa alienus esset, tamen accusatoribus respondisse, ut criminari optimum Principem desinerent, quem sciret meliorem & integriorem esse accusatoribus suis uniuersis.

Hic ergò Auus maternus est Celsitudinis Tuæ. Hic primus inchoatam à fratre FRIDERICO Academiam constituit, extirpatis omnibus ueteris Idolomaniæ ex hoc ipso templo reliquijs, & puritate doctrinæ ex scholæ loco publico, huc quoq; translata, ut in posterum hoc sacellum, quod Idolatriæ fuerat latibulum, esset domicilium Spiritus sancti, & Academiæ templum.

Gesserunt uerò eundem in hac Academia Magistratum cognati & agnati Celsitudinis Tuæ, ex Illustrissimis atq; amplissimis Germaniæ familijs, nobilissimi & laudatissimi Principes, VVOLFGANGVS Palatinus ad Rhenum, Auunculus magnus Celsitudinis Tuæ, id est, maternæ Auiæ, & nobilissimorum Principum Electorum ad Rhenum, Ruperti, Ludouici ac Friderici frater.

Et non longo post hunc interuallo Illustrissimus Princeps, Dux Pomeraniæ, BARNIMVS senior, Patruus magnus Celsitudinis Tuæ. Ac tandem IOHANNES ERNESTVS, Saxoniæ Dux, Auunculus Celsitudinis tuæ.

Horum Principum & exemplorum memoria, & nos iussit Magistratum scholasticum Tuæ Celsitudini offerre & commendare. Et tuam Celsitudinem admoneat, ne illum suscipere recuset. Qua de re cùm in priuato congressu sese erga Academiam Celsitudo Tua clementer declarauerit, uerba nunc non faciam amplius.

Sed uos Scholasticos alloquor, Magistratum decreto & sententia Academiæ electum in hoc hybernum semestre uobis sisto & commendo, Et Magistratum Principem natum ex Illustrissima Ducum Pomeraniæ stirpe, Ex sanguine

guinc horum ipſorum Principum Ducum Saxoniæ Electorum, quorum ſepulchris aßiſtimus, qui huius ſunt Academiæ οἰκίσαι, excellentem omnibus ſummæ ſpei & generoſißimo Principe digniſßimis ornamentis ac præſidijs ingenij, doctrinæ, uirtutis atq; induſtriæ. Huic ergò uera animorum ſubiectione, obedientiam debere uos cogitabitis, & animo alacri atq; ardenti ſtudio præſtabitis, Tùm quia Magiſtratus eſt, tùm quia Princeps eſt, & talis Princeps, qui ingenio, doctrina, ſtudio, cum quocunque ueſtrum ita certare auſit, ut uincere poſſit, tum quia ex his ipſis natus eſt, quibus, quãquàm è uita ſublatis: tamen propter leges, quas condiderunt, quas pronunciari ipſorum mentione auditis, quibus conſtitit hactenus, & conſeruata eſt hæc Academia, obligati eſtis ad perpetuam obedientiam & gratitudinem. Ita tamen uerè coletis Rectorem ueſtrum, ſi præeuntem ac prælucentem optimis exemplis, quanto maximo poteritis ſtudio, imitabimini, Et ſi dedecus duxeritis eſſe, committere, ut nihil apud uos ponderis & uirium autoritas tanti Principis habuiſſe uideatur.

Quare ad cum modum ſtudia, mores & uitam uniuerſam inſtituite, ut ſcholaſticis pietatis ac humanitatis amantibus, ac ſtudioſis præ-

fuisse atq; exemplo rexisse uos suo potius, quàm seueritate legum atq; pœnarum coercuisse gloria cum nostra & uestra summa laude possit. Quod cùm de plerisq; uestrùm mihi polliceor, tùm ut faciatis uniuersi, oro, & obtestor.

Tuæ uerò Celsitudini, Princeps ac Domine Clementissime, trado iam Magistratum & insignia Magistratus, Epomidem, Sceptra, Sigillum cum clauibus & libro Academiæ, traditurus & cætera quæ restant.

Et oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, fontem sapientiæ, & legum, & iusticiæ, ac doctrinæ omnis in Ecclesia sua conseruatorem, ut ipse & doctrinæ studia, & hunc cœtum docentium & discentium seruet ac protegat. Et ut uerè sit huius cœtus RECTOR ac conseruator perpetuus, Deinde, ut & Illustrem ac Magnificam Celsitudinem Tuam, & huic adiunctum Subrectorem, Virum Clarissimum D. Vitum VVinsheimium Viti F. &c. regat ac gubernet, & faciat, ut administratio uestra tranquilla, & Academiæ fausta sit & fœlix, Amen.

Dixi.

FINIS.

Soli Deo gloria.

CARMEN DE S. VRBANO, IN LAVDEM VINI, & eius usum.

NVnc Vrbane tuis agitur lux dedita sacris,
Quando racemiferis frontem circumdata sertis
Æmula stant simulacra tui, colloq; reuincta
Torta, repleta mero dependent uitrea uasa,
Suffusiq; tument oculi, minioq; rubescunt
Tempora, & in uentrem turgentia pectora crescunt.
At Flamen præ se portans simulacra per agros
Te libans Vrbane uocat, tibi ducere pompam
Vociferans, ut adesse uelis crescentibus uuis,
Neu labes reptantium ullæ, cœliue ruina
Officiat teneris, & Bacchum euertat in herba.
Illum omnes pueri, & uertunt felicia Baccho
Iugera qui rastris, cantu & clamore sequuntur.
Vana superstitio traxit de Gentibus ortum,
Nummis ignaras ueri quas error adegit
Fictilibus diuis cœleste assscribere numen.
Sic te Iane biceps, & te quoq; Bacche colebat
Romula gens, quorum largo de munere tellus
Pocula calcatis Acheloia mutet ab uuis,
Mitis & excipiat cœli indulgentia uites,
Frigida nec tumidis subrat iactura racemis.

Nam licet haud magnam merſæ in caligine gentes
Noticiam tenuêre Dei, quem credulus orbis
Excipiat uotis dominum rerumq; parentem:
Senſerunt tamen æterna de mente creatam
Hanc ſeriem: rerumq; uices, motusq; perennes
Pendere ex alto de maieſtate ſuperna,
Et dijs reddendas rerum pro munere grates.
Vt tamen Vrbano uimi tutela per orbem
Ceſſerit, ambiguum eſt: Diuos ſibi fecit abuſus.
Primus in Auſonia conſors cognominis huius
Tempora qui triplici redimibat ſacra tiara,
Argento atq; auro confecta, atq; aſpera ſignis
Vaſa in honore Deûm ſacros legauit ad uſus.
Tempore quo ſextus ſucceſſit nominis hæres,
Ad Rheni tractus euentum Bacchus habebat,
Inq; iugis Mœni uindemia læta ſecuta eſt.
Inde coli tua feſta putant Vrbanæ quotannis,
Numinibusq; tuis ſolemnem præſtat honorem
Credula gens, cùm ſe uerno ſub tempore palmes
Induit in florem: Non illo tempore uermes,
Non uirides etiam occultant uincta lacertos
Dum latè Ambroſium ſpirãt arbuſta uaporem.
Sed quocunq; modo res edita traxerit ortũ,
Nil moror horrendos diuorùm in cultibus uſus.
Vnus enim Deus eſt, uerbo qui cuncta creauit,
Et Pater, & Natus, Flatusq; ab utroq; reſultãs,

Par

Par tamẽ, & ſimplex perſona in triplice numẽ:
Ille creat quodcunq; uides, ſeruatq; creatum,
Hoc mandãte ſolum iumentis gramina profert,
Et Cererem humano tribuentem robora cordi.
Ille nouas trudit putrefacto è ſemine fruges,
Atq; ſatis largum demittit nubibus imbrem.
Ille duos latices uitisq;, oleæq; uirentis
Producit terra, quibus haud præſentius ullum
Auxilium uenit, & uires in corpore ſeruat.
Humano generi uitæ communis in uſu
Scilicet in rebus ſubiectis luminis orbi
Auctorem nulli ſubiectum luminis orbi
Conſpicimus, paſſimq; ſui ſimulacra notamus.
Ergò age quò rectè tàm nobile munus, & ipſum
Muneris auctorem ratio cognoſcere diſcat,
Et Cereris, Bacchiq; bonis quantum exigit ordo
Grata mente frui poſſit ſine labe ſalutis,
Sacrorum de more Patrum, qui morſibus antè
Non tetigêre dapes, uotis niſi ritè ſolutis,
Hinc canere incipiam: Vos ô dulciſſima diuûm
Munera, languẽtes hominum quæ paſcitis artus
Liber, & alma Ceres: quòd ſi non munera tantũ
Veſtra canunt Vates, ſed ſacris obuia libris
Tot monumenta probant Lenæi germinis uſum:
Nemo etiam ſenſu rapiat mea cepta ſiniſtro
Quòd de laude meri præconia pangere conor.

Neue gulæ laxare putent me frena, mcoq;
Fulta patrocinio damnosa licentia Bacchi
Tollat honestatis leges, & septa pudoris
Exeat: inuersos usus, moremq; nefandum
Qui certat Baccho, & uicibus se proluit haustu,
Deuoueo, & uicijs non tento inducere fucum
Intempestiuo ueniunt quæ plurima Baccho.
Nec minus aduersum dictis incessimus agmen
Quod ficta pietate putat se numina cultu
Deuincire sibi, uini quando abstinet usu,
Et uites flammis abolet, fœcundaq; Bacchi
Culta solo sternit, falcato & demetit ense:
Hæc pictas Mahomete tua est, hinc sæuus ad arma
Surgis, & imbelles Christi insectaris alumnos.
Nec satis hoc, te Nate Dei de sede paterna
Euertit, diaq; negat te stirpe uigere,
Sed pedibus tua sacra premit consulta, fidemq;
Exponit probris, qua sola sydera adimus.
Nam quamuis sub Mose hominum Nazira propago
Abstinuit Baccho ualidos exosa liquores:
Et stirps Rechabidum uotis astricta parenti
Degebat tenuem Bacchi sine munere uitam:
Non tamen exemplo totus cadit usus ab uno:
Dona Dei bona sunt, prosuntq; impune fruenti.

Fas

Fas Cerere, & Baccho, pingui cũ cæde ferarum
Grata mente frui, quantum lex ægra requirit
Corporis humani: nihil hîc Romane ſacerdos
Iuris habes: Qua lege Dei tu uiſcera menſis
Arguis imponi? Neq; enim ſe numina tali
Placari gaudent merito, ſed mente, fideq;.
Prouida Nabalis conſors, prudentis imago
Coniugis, armenti fibras, utresq; Lyæi
Iſaidæ Regi ſupplex dat munus habere,
Dona Dei adpellans mundo conceſſa ſecundo.
Primi mortales, dum corpora firma manebant,
Et uis in rebus ſpirabat plena creatis,
Expertes uini degebant tempora uitæ.
At ſimul ira Dei terramq;, hominesq;, ferasq;
Pro triplici lapſu ter diris uouit, & inde
Diluuio in magno ſalſi maris unda peredit
Pinguia terga ſoli, cùm iam fructusq;, hominesq;
Deficerent uires ſolidæ: Pater ipſe recentes
Pignore cum uerbi, poſitoq; in nubibus arcu
Permiſit tibi Noha dapes, ut languida membra
Viſceribus pecudum recrees, & Nectaris hauſtum
Attribuit, ſtomacho pariter, curisq; leuamen,
Iamq; ſeni: pueris non apta licentia uini eſt.
Ergò repertori uini tibi nomina uini
Hebræa de uoce dabant, Ianumq; uocarunt.

Cumq;

Cumq; æui ueteris uidisses secla, nouiq;
Hac ueteres causſa moti, finxere bifrontem.
Talis odorato primus sudantia ligno
Balsama Nachorides medicos monstrauit ad usus.
Balsama Iudææ tantùm nascentia genti,
Quam bellis habilem uoluit Deus esse gerendis,
Morborumq; dedit simul & tutamen in armis.
Nam circum infreni sedem tenuêre Phylistæ,
Hinc deserta siti regio, lateq; furentes
Chaldæi cinxêre, quibus bella aspera cordi
Semper, & inuictæ superant ad prælia uires.
Nec solùm argenti uenas, æriq; metalla
Supposuit terris Genitor, quà se ardua tollunt
Immanuel tua rura, & fatis debita regna,
Et passim riuis flauentia currere mella
Passus erat, mixto spumantis flumine lactis:
Quin & Pampineo terram uestiuit honore,
Et iuga uirgultis frondebant consita Bacchi.
Vix unum duo namq; uiri cum uecte racemum
Multiplicem, connixi humeris sufferre ualebãt.
Quippe ingens specimen populis dedit iste racemus
Quàm diues rerum uariarum, & frugis abundans
Terra Paleſtinæ cultis caput extulit aruis.
Nec dubium est, Mosen signasse in imagine tali

Præci-

Præcipuè ueram uitem, uerumq; racemum
In Syria eductum, & patria regione recisum,
Vnde sacer latè stillat liquor, omnia passim
Qui sanic, taboq; fluentia uulnera purgat
Quæ latro inflixit miserando in corpore nostro.
Quippe idem qui se uitem cognomine dixit
Filius ipse Dei, quando ad connubia uenit
Pauperis in Canæ uico, generosa Lyæi
Dona ferens aderat, uiniq; probaucrat usum
Ipse suo exemplo dum labris admouet haustum.
Quare agite ut uimi cõceditur usus, ita arctis
Relligionum animos nodis exoluere pergo.
Carne famem sedare, sitim restinguere uino
Si modicè sumas, si grato pectore, nulla
Relligio uetuit, neq; enim lex obligat ulla
A quibus officijs te lex diuina resoluit.
Hoc sacri proaui rebus quorum exigit usus
More frucbantur, qui sueti uiuere paruo,
Præfatiq; preces, curabant corpora uictu.
Sic ubi uictori rex Melchisedecus Abramo
Munera portaret Cereris, laticemq; Lyæum,
Perq; diem inter se conuiuia lauta pararent:
Tum prior attollens pateram spumantis Iacchi
(Namq; sacerdotem supremi Regis agebat)
In mensam lætus libat, partumq; triumphum
Gratatur reduci, dehinc sacro ex ore precatur
Vt sanctum superet genus, Abramiq; nepotes

Syderis

Syderis in numerum uentura in ſecula creſcãt.
Hic mos orandi, quando ad libamina ſacri
Conuenêre patres, reliquis cùm inſignior unus,
Aut æuo prior, aut meritis, firmiſſima uina
Crateri infudit magno, miſtoq; liquore
Fluminis, in menſa laticum libauit honorem,
Luſtrauitq; dapes, dixitq; precantia uerba,
Et patera increpitans partẽ diſperſit in auras,
Et primus laticem ſummo tenus attigit ore:
Tum ſocijs dedit aſſurgens, illi ordine circum
More ſuæ gentis, latices hauſêre Lyæos.
Hoc & tum augurio libabat pocula uates,
Nõ ut rem ſacram faceret pro nomine Abrami,
Placaret ue Deum cultu, & libamine facto,
Qualia ſacrifici finxerunt monſtra per orbem.
Hunc proceres morem libandi ritè tenebant,
Atq; ſuper patera ceciniſſe oracla Ioſephum
Autor erat Moſes: ſed enim non fata futura
Edidit, aut illa magicas exercuit artes:
Verùm ſacra canens illo libauit in auro,
Inſtituitq; preces, & grates inſuper egit
Pro re communi, ſtabili pro ſorte ſacrorum,
Et ſic ore refert: Pro te Rex inclyte uota
Publica concipimus, Bacchi tibi ſumimus hauſtus.
Nam Vatem non ſolus agit, qui pandere dictis
Fata

Fata arcana potest, sed qui pia sensa recludit
Diuinorum operum, prudēsq; euoluit in auras
Scripta, ministerio linguarū, atq; arte magistra.
Ergò ille est Vates, qui lingua interprete pan-
Sacra, ualens usu rerum, arbitrioq; sagaci, (dit
Quiq; canit superûm laudes, atq; ardua facta,
Immiscetq; preces, & grates ore profundit.
Sic & non aliter, Patriæ de more Iosephus
Vota super pateram fecit, mensaq; locati
Omnes in circum precibusq;, haustuq; sequūtur
Terq;, quaterq; uiri, donec superante Lyæo
Nemo ex hoc numero non exaturatus abiret.
Hunc etiam gentes inter conuiuia morem
Semper honoratum, & sacratum semper habebant.
Solennes cùm fortè dapes de more pararet
Nestor, consilijs habitus celeberrimus autor,
Compositos unà mensis ex ordine natos
Cœlicolûm regi persoluere uota iubebat, (uum.
Ferte preces, hominum gens est opis indiga di-
Inde super patera uotis iam ritè peractis,
Libauitq; merum, & socijs dedit ordine circū.
At soli precibus nullis, libamine nullo
Discubuere thoris Epicuri de grege porci.
Quin etiam mensa cùm conuenere sub una
Lecta manus procerum, tum pro duce uota ferentes

Fausta

Fausta suo, in numerum libabãt pocula Bacchi,
Vt quondam hunc morem seruarat ritè Iosephus
Vota super patera fundens, quem deinde secuti
Longum iter externas qui suscepêre per oras
Fusa propinabant digressu uina supremo
Votum pro reditu: dehinc colla comantia equorum
Perfudêre mero, nec non bona uerba dedêre.
Cùm pius Æneas uentis dare uela parabat,
Stans puppi in media paterã tenet, extaq; salsos
Porricit in fluctus, & uina liquentia fundit,
Ventorum exposcens paces, animasq; secundas.
Quin etiam antiquo celebrans conuiuia ritu
Extrema iã in nocte, prius sacra mystica cœnæ
Quàm sancita forent, pateram, sustollit, & inde
Vota ferens, haustum Christus de simplice uino
Supremûm socijs dedit, atq; ita farier infit:
Venit summa dies, & stat discedere terris,
Atq; extrema pati, sacras ubi cæsus ad aras
Pro mundi uita uitam cum sanguine fundam
Arboris expansus trunco, nec iam amplius haustus
Consessu in tali uobiscum è germine uitis
Libabo terris, donec cœleste Tonantis (ras,
Imperium adueniat, superasq; ego reddar in au-
Et tandẽ reuocentur humo qui morte quiescũt.
Tum cœtus sacer, atq; æui maturus Abramus,

Et

Et pater Isacus, longoq; ex ordine nati
Perpetua incipient uita considere mensis
Nectare gaudentes liquido, succisq; uirentis
Ambrosiæ, quanquàm nil rerum talium egẽtes,
Aligeri ut pueri, quos olim excepit Abramus
Instituensq; dapes, & plenæ pocula mensæ.
Quare agite, extremum hoc munus morientis habete,
Et pateram hanc, dextra pateram nam fortè tenebat,
In numerum libate pij, æternumq; ualete.
Talia dicta dabat socijs: illi ocyus omnes
In mensam iußi libant, dominumq; precantur.
Quòd superest porrò, non solis haustibus aptum
Esse dedit uinum genitor, quò corpora uictu
Curari possent: sed morbida membra leuari,
Absumptasq; ægro refici sub corpore uires
Hoc uoluit: uinum seruire frequenter honori,
Et uino uoluit conflari dulcia uincla
Suauis amicitiæ, cum qui sub pectore alebant
Sæpè simultatum nigra semina, protinus audent
Omne odium inter se penitus remouere, meroq;
Diluere, et pacti dare dextrã in pignus amoris.
Quin & lætitiæ causam dedit, ægraq; curis
Pectora, & ingrato necquicquàm oppressa labore

Rettulit in melius, uiresq; in priſtina uertit.
Nam cùm diluuies ſcelere irritata nefando
Naturam rerum tenuauerat, & procul omnes
Membrorum imminuens uires, noua ſparſerat intus
Semina morborum, cùm iam noua crimina latè
Extulerant caput, & diris bis uouerat antè
Orbè omnem genitor: tandem miſeratus ab alto
Res hominum, ignotum carnis cõceſſerat uſum,
Et Nobæ uini latices, oleæq; uirentis
Abramo frutices Syriæ monſtrauit in agris,
Vt ſua corporibus uirtus, utq; inſita cordi
Viuida lætitia auxilijs ſeruetur ab iſtis.
Non equidem terris, nõ gutta ſalubrior ulla eſt,
Quàm pingui exudans olea, quàm mitibus uuis,
Altera quando foras, quando altera funditur intus.
Et pater Iſacides, & qui Samaride ab ora
Semianimi, fixoq; ſuperuenit, extera regna
Viſemes, oleoq; cados, uinoq; repletos
Vectabant ſecum, quibus haud accommoda uitæ
Dona magis bonitate Dei tellure creantur.
His motus cauſis Tharſenſi natus in ora
Egregius uates caro mandabat alumno
Cùm malè digereret ſtomachus iã ſegnior eſcæ
Auxilium petere, & uires accendere uino.
Cura uigil, ſtudiumq; ſagax, in corpore uires

Attenuant

Attenuant, prauisq; opplent humoribus aluum:
Deficit hinc cerebri uirtus, aciesq; retusa
Ingenij argutos non gignit ut antea sensus.
Pallor in ore sedet, macies & liuida uultum
Sulcat, & ante diem subit immatura senectus
Cùm iam destructa nativi sorte caloris
Candida Cygnæas imitantur tempora plumas.
Hîc iam uitigenos suadebo haurire liquores
Subsidio stomachi, atq; ultrò succurrere lapsis
Spiritibus, solitosq; iterum reuocare uigores,
Tabentesq; artus uictu reparare salubri,
Perq; uices requiem, & modicum exercere laborem.
Sæpè breues somnos studium facit, aut labor angit
Publicus officij, & sub noctem cura recursat,
Sollicitumue facit iactura, & parua domi res,
Aut soboles morbo conflictans, aut grauis uxor:
Hîc tu mœsticiam generoso dilue Baccho
Concilians somnos, & tristem auerte dolorem.
Inprimis uenerare Deum, rebusq; peractis
Posce pius ueniam, nec cessa inuota, precesq;
Donec grata quies uictis obrepat ocellis,
Et fessas reparet uires, & digerat escas,
Et lenes Cerebro aspiret sub nocte uapores,
Manè nouo ut possis rebus præstare gerendis.

Diuisit terris genitor sua dona, nec omnis
Omnia fert tellus. Soli ex oriente profecti
Thura dabãt, aurumq; Deo, stactesq; liquorem.
Et Regina tibi Salomon ditissime regum
Diuitis Arabiæ spirantia dona ferebat.
Isacides natum, cui forma ignota parenti
Misit in Ægypti fines, ubi Dædala tellus
Diues opum uariarum, et pingui fluminis alueõ
Prouentu uario reliquis longè eminet oris:
Quin Heuilæ fœlix tellus, Ophyræaq; rura
Argenti, atq; auri massas, æriscq; metalla
Gignebant uiuo fœcundis sulphure uenis.
Prussia mittit aquis certantia succina gemmis:
Pellibus, & spolijs corpus uestire ferarum
Edocuit tellus septem subiecta Trioni:
Sic Cansæ regio produxit fertilis uuas:
Nec leue nomen habent fumantis uina Sareptæ,
Quæq; sub Argolicis florebant collibus uuæ
Ipse pater uatum quas laude uehebat Homerus
Vinosi crimen uini qui laude ferebat.
Nec uos transierim uina acceptissima mensis
In Rheni generosa iugis, quæ sola sapore,
Et sano latice Arctõo superatis in orbe.
Nam neq; quàm multæ species, aut nomina quæ
sint,
Scire operæ precium est, numero neq; prendere
refert.

Parcie

Parcite mortales usu temerare nefando
Dona Dei, certè rebus suus omnibus ordo est,
Quem qui transilijt cadere in sua fata necesse est.
Bacchus & ad culpam causas dedit, ille furentem
Pellæum iuuenem letho demittere adegit
Cui res credebat summas, cuiusq; uigebat
Consilijs regnum: Quòd si quoq; deditus unà
Esse uoluptati sapiens uoluisset Vlysses
Cum socijs uersus migrasset in ora ferarum.
Ex re nomen habens Nabal, uitam efflat in auras
Dum iacet hesterno uenas inflatus Iaccho.
Interdum est sanctis error suus: ipse leuamen
Cùm peteret curis Nohas, uis uicit Iacchi,
Nec facile est seruare modum, tamen ipsius inde
Nisores trahit ad pœnam uindicta Tonantis,
Quando imprudenti nocuit uiolentia uini.
Nec Lotus uenia caruit, quanquàm impia labes
Offenditq; Deum, & mansit sua pœna nepotes.
Sic olim instituens conuiuia lauta Iosephus
Lætitia, uinoq; dicm, & sermone trahebat,
Et cum conuiuis largo se proluit haustu.
Nec Deus est numen rectæ cui gaudia mentis
Displiceant, si non pietas uioletur, & æquum.

Præterea gelidi partes habitantibus orbis
Quà uidet Arctoi gens Teutona ſyderis axem,
Feruidus his ſanguis magis, & ſitientia corda,
Quàm qui ſub tepida uiuunt regione locorum,
Quò magè liberiore ſitim reſtinguimus hauſtu.
Si mihi, ſi tantùm ſperare, & dicere fas eſt:
Quandoquidem ipſe Deus Iudæa in gente repulſas
Pugnantes cum mente ſua, cum lege ſacrata,
Gentis amore ſuæ tulerit tamen, ut pia ſeruat
Sacra, Deumq; colit quem non gens cætera norat:
Non equidem dubitem ueniam hac in parte daturum
Egregijs uirtute uiris, quos largior hauſtus
Corripuit ſeſe, atq; animos mœrore ſolutos
Inuadens ſubitò uicit generoſa meriuis,
Si pietas, ſi priſca fides, ſinceraq; conſtet
Teutonico ritu non fictæ gratia mentis.
Ne tamen hoc uſu ueniat, ceu maximus ille
Laudibus arguitur uini uinoſus Homerus,
Conticeo tandem, & facto ſic ſine quieſco.

Iohannes Maior, Ioachimus
Doctor & Poeta coronatus.

CAR-

CARMINA FV-
NEBRIA, SCRIPTA
PHILIPPO LINDEMANNO

Franco, pietate & uirtute præstanti Iuueni, & opt. artium Magistro, alumno Academiæ VVitebergensis gratiß: qui 6 Id: Ianuarij Anno Christi 1563. cœlo nebuloso & caliginoso, inter Neopyrgum ad Danubium & Ingolstadium ex equo lapsus, postridiana die in religiosa confessione salutaris fidei nostræ pie mortuus est, & in pago eius uiciniæ, Vnterstallen, qui est Neopyrgensis Diœcesis, sepultus iacet.

Sic ne Philippe cadis? num tali fata dederunt
In terris uitam claudere fine tibi?
Indigno fine? At nobis intendere litem
Non fas est summo, qui regit illa, Deo.
Hic fortaßè tuos uoluit finire labores,
Tota tibi uarios quos tua uita tulit.
Vt quanto maior pietas coniunctaq; uirtus
Ingenua fuerit cum probitate tibi:
Tanto etiam magis aduersis te casibus omni
Iactarit uitæ tempore Diua potens.
Vidisti mortem Patris, pia dogmata Christi
Qui Patriam docuit, uir pius ipse, tuam.
Hanc premerent rigidi cùm bellica militis arma
Præreptus patriæ cladibus ipse fuit,

Vidisti excidium cuius, tristemq; ruinam,
Ex intestinis quæ fuit orta malis.
Sæpè etiam frangit quæ dira calumnia pectus,
Impedijt meritis commoda digna tuis.
Sic morbos tolerasse graues te nouimus, atq;
Semianimem tristi sæpè cubasse toro.
Attamen eripuit cùm te diuina uoluntas,
Feciſti officij munera iusta tui.
Quæq; tibi fuit ingenij præstantia, maior
Cultura uigili facta subinde fuit.
Nec tantùm ingenuas didicisse fideliter artes
Cura tibi, sed & has cura docere fuit.
Leucoris id nouit, tibi aget mea patria grates,
Dum fluet irriguos Rheddesus inter agros.
Turba tuas memori celebrabit pectore laudes,
Quæ tulit ex operis commmoda magna tuis.
Cùm duce te primas iter est ingressa per artes,
Et sua Castalijs labra rigauit aquis.
Sic tibi præclaræ peperisti nomina laudis,
Sic meruisti summis te placuisse uiris.
Diuinus patrio te fouit amore Melanthon,
Cui carus ueluti filius alter eras.
Sic quoq; te simili dilexit Eberus amore,
Qui sacro Christi dogmate pascit oues.
In te etiam propensus erat Camerarius, à quo
Nostra trahit summum patria tota decus.

Summa

Summa Machaonij Peucerus gloria cœtus,
Qui te diligeret, non simulanter erat.
Efromum taceo, cuius præconia de te
Scire magis, breuiter quàm recitare iuuet.
Hîc etiam uatum numerus se plurimus offert,
Namq; his, ut uates tu quoq;, carus eras.
Cui fauet Andini sublimis Musa Maronis
Maior, erat totus, docte Philippe tuus.
Sic Hofferus erat, Iuris decreta sacrati
Qui docet ad ripas Sala uadose tuas.
Sed te præ reliquis summo dilexit amore
Et uersu & Medica Monniger arte potens.
Non tamen huic cessit Schosserus, carmina cuius
Optima Nasonis dixeris esse modos.
Sic neq; Caselius cessit, cui uena Pelasgo
Carmine, cui Latio carmine uena fluit.
Quid multis? tua te pietas, tua maxima uirtus,
Ingenium rectum, semper aperta fides,
Dilectum fecêre uiris, uirtutis & ipsos
Quos studium ducit, quos decus omne iuuat.
Virtuti fortuna tuæ sed prorsus ut impar
Semper erat: Tali sic quoq; morte peris.
Vsq; adeò nihil est toto super orbe beatum,
Vsq; adeo miseri puluis & umbra sumus.
Quid possum præter lachrymas, tristesq; querelas?
Et tamen his nemo uincere fata potest.

Ergò mihi satis est, cœli quòd sede receptum
Te scio perpetua luce dieq; frui,
Tristibus ereptum nebulis, caligine tetra
Exitium constat quas peperisse tibi.
Illic firma pijs patria est, hanc & scio uotis
Te petijsse tuis, dum tibi uita fuit,
In qua perpetuò dubijs quasi sedibus acto
Cernebas stabilem fata negare locum.
At nunc se cœlis tua mens sanctißima gaudens
Intulit, à mundi libera facta malis.
Viue Deo fœlix, æternum uiue Philippe,
In Christi capias gaudia uera sinu.
Vltima quæq; tuis fero manibus accipe iusta,
Nam uolo sint luctus ut monumenta mei.
Dilexi uiuum, dolui tua funera, tandem
Vt iungat rursum nos noua uita precor.

Iohannes Baptista Lechelius
Onoltzbacensis

AD TVMVLVM
M. PHILIPPI LINDEMANNI Franci.

ERgò Philippe iaces, studium cui nomen equorum
Quod dedit, euentus triste fuisse docet,

Dum

Dum deiectus equo, nebulæ caligine denſæ
Mortifero lædis uulnere triſte caput
Crudelis Parcas fati rea numina mœſtus
Albis, & undiſoni Mœnus & Iſter agunt.
Magna tui uerè quoq; me miſeratio tangit,
Qui uarijs animi dotibus auctus eras.
Doctrinam noras patefactam cœlitus, artes
Hauſerat aſſiduò mens ſtudioſa bonas,
Mens ueri ſtudioſa, capax uirtutis, ad omnem
Prompta uiam ſolidæ cognitionis erat.
Hinc igitur latebris diſcebat & cruta Iura
Pectoris, illuſtris Papiniane, tui.
Inſignis grauitas, & caſta modeſtia uitam
Inſuper ornabat laude nitente tuam.
Quid loquar? una decus uarium breuis abſtulit hora,
Virtutis tollit non tamen omne decus.
Degit & Angelicos inter mens uiuida cœtus,
Iudicium donec Chriſtus in orbe ferat,
Et regnum Patri tradens ſit in omnibus idem
Omnia, perfundat cunctaq; luce ſua,
Æternæ uitæ tunc fonte perenne frueris,
Interea uernis ſparſa ſit urna roſis.

Iohannes Hofferus
I. V. Doctor.

Flectere

Flectere si pietas fatum & doctrina ualeret,
Non orbi ereptus docte Philippe fores
Sed te præsenti sors tristior abstulit æuo
In cœlo possis ut meliore frui.
Paulus Lignarius.

EPITAPHIVM
M. PHILIPPI LINDEMANNI Franci, amici sui charissimi.

HAs lachrymas tibi, et hæc nostri monumenta doloris
Exequimur cineri docte Philippe tuo.
Par ætas, & par studium sub flore iuuentæ
Quondam una gemimos iunxit amicitia.
Nunc ætate graui alterno certasse iuuaret
Officio, & studijs consuluisse bonis:
Heu rarò sors æqua bonis: dum uiuis ad Istri
Flumina, nec uerbi copia pura sacri est,
Finitimasq; ideò forte expatiatus in urbes
Audisti pure uerba sonare Dei:
Iamq; uiam relegis: nebulæ denso aëre obortæ
Prospectum ex ipsis eripiunt oculis.
Tu lapso reuolutus equo capite in sola terræ
Illiso, egregiam fundis ab ore animam.
Viuere quem longùm decuit, longùmq; licebat,
Heu scelus huic tenerum rumpere saxa caput.
Iohan: Maior Ioach: D.

DICA-

DICATVM MEMORIÆ SACRÆ.

Lindmanni tumulus patria procul urbe Philippi
Exulat, externi margine factus agri,
Qua Neopyrga iacet regione binominis Istri,
Sede Palatina nobilis ille locus,
Sanguis ubi tuus & fraterna cæde Diasi
Pro Christi fusus nomine tinxit humum.
Huc tua te pietas uicino è limite traxit
Ingoloſtadiacæ, docte Philippe, ſcholæ,
Quã repetẽs percepta ſacri poſt munera cœtus,
Decidis excuſſus non rediturus equo.
Cauſſa uiæ pietas, reditus tibi cauſſa probatum
Officium, mortis cauſa & utrumq; tibi.
Sed Deus ingrati ſoluit te carcere mundi,
Quo pietas quod amet nil uidet eſſe ſuper.
Proq; tua bonitate & amici pectoris uſu
Spectataq; mihi non titubante fide,
Hæc cineri fero iuſta tuo, ſemotus ad Albim,
Care Philippe Deo, care Philippe bonis.
Nũc anima at poſt fata uale ſalue optima ſalue,
Thariadæ ſeu te continet ille ſinus,
Seu quicunq; locus mundi melioris, in unum
Dum uocet aduentus buccina læta Dei.

Populari & conuictori ſuo amiciſſimo
Eſromus Rudingerus Pabepergenſis F.

Notatio quorundam, quæ corrigenda sunt.

B 2 V	*Versu* 8 *antiquitas*	*lege antiquitus*
B 5 V	*à fine* 3 *intercedat pro eo* 9 *in templum*	*pro ipso in templo*
B 7 V	24 *Goselarienſi*	*Goſelarica*
C V	5 *inopia*	*inopiæ*
D 6 V	30 *Illiſio*	*Illuſio*
D 8 V	*ultimo Chirurgi*	*Chirurgiæ*
E 7 V	21 *libcras*	*liberales*
H 4 V	19 *quibus*	*quis*
H 8 V	*à fine* 4 *iura*	*iuga*
L V	12 συνέργες	συνέργες
L 6 V	20 *aliquamdiu*	*aliquam*
M 4 V	23 *itebis*	*iterum*
O V	1 *cui robora*	*qui robore*
P 5 V	11 *ſit*	*ſi*
R V	23 θωπεύματα	θωπεύματα
R 3 V	37 *Religio*	*Relligio*
R 4 V	16 *benefecerint*	*benefecerit*
S 2 V	*à fine* 4 ἔυκες	νομοδετῆμ ἔυκλες
S 8 V	*à fine* 9 *& nos*	*nos etiam*
T 3 V	9 *humana ſapientia explicare non poteſt*	*etſi humana ſapientia de ſe glorioſe prædicat, explicare tamen non poteſt*
X 5 V	21 *hoc anno à tali luce*	*hoc anno tali lue*

Y 4	V 6	36	35
Item	V 3 9	fidei ſuæ & relig:	fidei & rel:
Z 6	V 16	& affici	ſicut affici
Z 7	V 16	publicæ	publicè
a 6	V 13	celeberrimam	celeberrimæ
	V 21	Hozyg	Hazag
b 8		uerſibus ultimis, pijs mami- bus præceptoris ſanctiſſimi cuius memoriæ piæ illa d	piæ memoriæ præceptoris ſanctiſſimi, cui illa d
c	V 17	De hac igitur ra- tione	Ad hanc igi- tur rationem
k 5	V	à fine 6 uitæ	uite
l 3	V	à fine 16 Illa ea	Illc ea
m 4	V 5	duris	donis.

Cætera facilè unuſquiſq; uidebit & corriget.

1564.

SECVNDVS LIBER QVOrundam ſcriptorum publice propoſitorum a Rectoribus Decanis, & profeſſoribus in Academia Vuitebergenſi.

Vuitebergę apud Ioſephum Klug.

Anno. M. D. XLVIII.

x

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.



VM omnis gubernatio vitæ humanæ, tum vero Ecclesiastica omnium difficillima est, nec sine præsentia & auxilio dei sustineri potest, ideo & nos adsiduis & ardentibus votis ad Deum æternũ patrem domini nostri Iesu Christi clamemus, vt Moyses, Si non precedes nos, ne educas nos, Nisi te ipso gubernante consilia, & colligente, fouente, ac tuente Ecclesiam, nostri labores, nostræ contentiones a tq; eonatus quid proficient? Est autem & vestri officij, angi cogitatione periculorũ Ecclesiæ, & petere vt sit eius status θεοσεβὴς, honestus, tranquillus & durabilis. Vt præcipit Psalmus, Rogate quæ ad pacem sunt Ieruſalem. Hæc vota

& si quotidie repetenda sunt, tamen præcipue in congressibus scholasticis ingeminanda sunt, in quibus tribuitur testimonium doctrinæ ijs, qui seruiunt in ministerio Euangelij.

Petimus igitur vt omnes, qui amant Ecclesiam Dei, & ministerium Euangelij, conueniant die Martij xvi. in templo arcis, vbi publice renunciabitur Theologię doctor vir honestus & doctus, Magister Maximilianus Maurus Vuitebergensis. Vult Deus esse scholas & pia studia scholarum Euangelij, quę pars sunt ministerij Euangelici. Ex his discentium agminibus delegit ministros filius Dei, sedens ad dextram æterni patris, dona dans hominibus, pastores & Doctores, Fouende sunt igitur scholæ, & iuuandæ, cum alijs officijs, tum præcipue pijs precibus. Date Die xiij Martij Anno. 1546

RECTOR ACADEMIAE.

HAC nocte studiosus & pius adolescens Henricus Appel Vratislauiensis

uiensis ex hac mortali vita, & ex hac schola in æternam Academiam vocatus est, vbi iam coram audit videtq; Deum æternum patrem. & filium eius Dominum nostrum Iesum Christum. Et vt hic a Spiritu Sancto de Deo erudiri cæpit, & amore eius accensus est, Ita ibi iam & clariore luce perfunditur, & totus in conspectu Dei acquiescit. Exhalauit enim animam inter assiduas preces, & toto morbi tempore egregium specimen pietatis prebuit, mirifica tolerantia & animi æquitate.

Fiet ei funus hora quarta, ad quod conueniant scholastici ante bibliopolium Mauricij Bibliopolæ, & in hac vita de causis mortis, de futuro iudicio cogitent, & pijs precibus singuli suam vitam & totam Ecclesiam Deo commendent, ac petant vt Deus bona ingenia, vt sint Ecclesiæ seminaria, seruet. Datę Vuitebergæ Die xiij Martij Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

IN hodierna lectione Euangelij proponitur imago vtriusq; regni. Tyrannidis Diaboli, & regni filij Dei Domini nostri Iesu Christi, qua commonefacti cogitemus quam tristis seruitus sit eorum, qui non sunt liberati per filium Dei â furoribus Diaboli grassantis aduersus genus humanum, contra vero quãta misericordia Dei sit, quod filium nobis presidio esse voluit aduersus Diabolum, Sicut scriptum est, Apparuit filius Dei, vt destruat opera Diaboli.

Agnoscamus igitur hæc, & filium Dei inuocemus, vt nos regat, nec sinat nos compelli â Diabolo in Tragica mala. Hæc semper & assidue meditanda sunt, maxime vero quando fiunt congressus Ecclesiæ. Cum autem hac nocte, honesta pietate & bonis moribus predita coniunx Francisci Zielsdorff ex hac mortali vita euocata sit, hortamur scholasticos, vt ad funus hora quarta conueniant, & pijs precibus salutem Ecclesiæ Deo commendent

Datæ.

Datę Dominica Oculi, Die xxvlij. Martij. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

4

DECESSIT hac nocte ciuis honestus & literis excultus Vrbanus Cranapel, qui multos annos in hac ciuitate iudex fuit, atq; in eo munere integritatem, iusticiã & diligentiam totius ciuitatis testimonio pręstitit, donec morbo difficili correptus, ex illa sua statione, in ocium se recipere coactus est. Mira autem constantia et patientia multos annos durantẽ morbum pertulit, seq; verbi diuini lectione & auscultatione sustentauit, & expectauit horam qua ex hac ęrumnosa vita, in æternam consuetudinem Christi, quem hic agnouisset, confessus esset, & pie inuocasset, transferretur. Quam quidem, vt adesse sensit, gratias Deo æterno patri liberatoris nostri Iesu Christi egit, eiq; post confessionem constantem, animam suam pijs precibus commendauit.

uit. Huic Vrbano Cranapel Funus fiet hora xij. Volumꝰ igitur, vt omnes ſcholaſtici ad ædes ipſius, quæ ſunt vicinæ arcí, conueniant, & ſuum officium in conſeruanda honeſtiſsima funerũ cæremonia pie declarent, qua admonemur, vt cogitemus de noſtra mortalitate, de cauſis peccati & mortis, de beneficijs Chriſti, de reparatione huius fragilis naturæ, & de vita æterna. Decet enim nos, vt pios milites, bonis ominibus proſequi eos, qui in communi militia rebus pro ſuo loco bene geſtis, ex acie in tutum receptum euocantur & precari, vt nobis quoq; liceat confecto vtiliter noſtro curriculo, cum bona cõſcientia hinc decedere & expectare noſtri imperatoris Chriſti & totius cœleſtis exercitus iudicium de rebus, quas in ſua quiſq; vocatione geſſit. Datæ in Die Aprilis Anno 1 5 4 6.

RECTOR ACADEMIAE.

5

OBIIT heſterno die pia ac honeſta matrona Benedicta, relicta vidua clariſsimi

carissimi viri Ioannis Hondor-
fij olim consulis huius ciuitatis, qui de
Ecclesia, Republica & schola nostra
preclare meritus fuit. Et ipsa Bene-
dicta cum viuo marito fidem ac pie-
tatem coniugalem egregie prestitit,
tum post mortem eius, vidua sanctissi
me vixit, & magno studio ac assiduita
te, Dei verbum legit ac publice audi-
uit: Ita vt vere dici queat, quod de
Anna prophetissa Lucas scribit, non
discessisse eam de templo seruientem
ieiunijs et obsecrationibus, non tantum
vt luctum suum leuaret, & solitudi-
nis dolorem leniret, sed multo magis
vt Christum filium Dei recens his lo-
cis patefactum, vlnis suis exciperet, et
complecteretur, quem quidem pie
dum vixit coluit, & moriens arden-
tibus votis inuocauit, suamq; pietatẽ,
liberalitate tum erga alios egentes,
tum erga pauperes scholasticos & mi-
nistros Ecclesiæ declarauit. Ei funus
fiet hodie hora ij. Volumus igitur vt
omnes scholastici ante ædes ipsius con

conueniant, & in conſeruanda pia funerum cæremonia officium ac obedientiam ſuam declarent, vt decet homines agnoſcentes ſuam mortalitatem, & reparationem huius fragilis naturæ expectantes. Datæ Quarta Aprilis. Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

Deceſſit hodie honeſtus et ſtudioſus & bene literatus adoleſcēs Henricus Nouiomagus Geldrenſis, qui cū antea pie vixit, tū vere in hoc ipſo agone perſpicua confeſsione & inuocatione filij Dei oſtendit ſe quoq; teſtari, veram eſſe doctrinam de Deo quæ ſonat in Eccleſia Chriſti. Quare ſperamus eum iam in alia ſchola multo eruditiore & iucundiore viuere, in conſuetudine Dei, Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum. Corpus autem ſepelietur hodie hora quarta a meridie: Ideo ſcholaſticos hortamur, vt ad funus in foro antecedes Chriſtiani Beiers conueniant, vt ritus funerum pie

pie seruentur, qui instituti sunt vt ibi de causis mortis, de iudicio futuro, & de beneficijs Christi cogitemus, & uitam suam quisq; Deo commendet. Etsi enim vetustas ignara Dei dixit, Optimum esse non nasci, aut cito mori, tamen nos sciamus, uitæ longius spacium propter tres causas expetendum esse, Primum vt ipsi doctrinam de Deo discamus, Secundo, vt eam in vitæ periculis & in inuocatione exerceamus, & in nobis veram sententiam confirmemus. Postremo vt confirmati alios quoq; erudiamus. Datæ Octaua Aprilis.

Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

VETVSTISSIMAE in Ecclesia pænæ duæ fuerunt, segregatio, & excommunicatio, quarum exempla a primis patribus sumpta sunt. Et in veteribus Canonibus, prior quę est mitis commonefactio, ἀφορίζεσθαι vocatur ἀφορίζεσθη.

ἀφορίζεσθαι, Altera multo triſtior vocatur ἀναθεματίζεσθαι, quæ pœna precidit hominem â tota ſocietate Eccleſię, quæ quidem & Deum contra præciſos tanquam hoſtes inuocat. Nec eſt vana hæc inuocatio. Has pœnas & noſtri conuentus, doctrinæ cauſa inſtituti, minantur. Relegatio leuior eſt, ſed excluſio atrocior. Et in his, qui propter violatam iuris iurandi religionem ex noſtris conuentibus eiiciuntur, crimen ipſum non ſolum infamiam parit inter homines, Sed etiam irritat iram Dei. Et expreſſe minatur Deus pœnam periuris, , cum ait in Secundo præcepto. Non erit impunitus quicunq; nomen Dei vane vſurpauerit. Et hanc vocem Deus omnibus ſeculis, vniuerſalibus exemplis confirmat, quæ etiam Ethnicos mouerũt, vt prouidentiam diuinam, & iram aduerſus ſcelera agnoſcerent, vt dicta plurima grauiſsimorum ſcriptorum oſtendunt, Et noti ſunt verſiculi.

Ah mi ſer, et ſi quis primũ periuria celat
Sera tamẽ tacitis pœna venit pedibus.

Eſt

Est enim iuramentum inuocatio Dei, qua duæ res maxime contînentur. Nam in ea inuocatione testamur, nos Deo tribuere debitam gloriam, quod sit inspector rerum humanarum, amans veritatem & puniens fraudes, ac simul petimus, vt nos puniat si fefellerimus. Qui igitur contra iuramentum faciunt, facto ipso ostendunt, se negare, Deum esse inspectorem rerum, & cum prouocauerint Deum vt puniat fallentes, & sit hostis, Deus gloriam suam defendit & iuste irascitur ijs qui detrahunt ei verum honorem, scilicet prouidentiæ, & insuper tanquam lacessere ausi sunt, quasi dicerēt, si est Deus, declaret in hac pęna. Hic tantus contemptus Dei, in-est in violatione iurisiurandi. Ideo homines summo studio reuerentiam iuramenti in sese & in alijs confirment, nosq; iuuentuti hanc admonitionem sæpe proponendam esse censemus: Sciunt autem nostri auditores in legibus academiæ diserte positum esse, Cum iuris dictionis neruus sit iuramentum, intel

ligi

ligi omnes qui mandato Rectoris retinentur, seu vadimonio obligantur, aresto vt vocamus, retineri iuramenti religione, eosq; iudicari periuros, qui discedunt ignorãte, aut non concedente Rectore. Sic autem discessit hinc, nuper. Nec sciente nec permittẽte Rectore, qui eum mane reiusserat, & cognitionem negotij expectare, cum quidem alium atrociter læsisset. Optamus autem vt a Deo veniam delictorum petat, & discat mores diligentius regere. Quare eum mitiore pœna commonefaciendum esse duximus, & relegamus eum, vt hinc trienniũ proximum absit. Die xij Aprilis Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

INTELLIGIMVS ex hominibus dignis fide, multos conscendere aggerem, nec tantum impedire operas, sed etiam illa discursatione passim vel cespites, vel arenarum cumulos impellere,

pellere, qui impulsi magnas ruinas trahunt. Cum autem & prius edicta proposita sint, quæ conscendi aggerẽ prohibent, iuste vituperatur contumacia illorum, qui eius edicti autoritatem contemnunt.

Nunc igitur rursus & de sententia Illustrissimi Principis, Ducis Saxoniæ Electoris etc. et Burgrauij Magdeburgensis & nostro nomine seuere præcipimus omnibus, qui ad nostram Iurisdictionem pertinent, ne in aggerẽ conscendant. Suntq; tres graues causæ huius nostri edicti, quarum prima est, quod ingrati et valde iniusti sunt hospites, qui Rempub, quæ prebet hospicium, detrimento afficiunt, vt faciebant Centauri & Lapithæ. Ac prẽsertim impium est literarum & doctrinæ cælestis hospitia turbare. Scitis autem vos esse hic hospites & frui optimarũ rerum necessaria doctrina. Cum igitur in vniuersum omnes hospites deceat modestia, maxime vos in literarum hospitijs oportebat tranquillos & bene moratos esse. Altera

Altera causa est, quod volumus vos reuerentia Illustrissimi principis & Rectoris moueri. Nimis barbari sunt qui cogitant leuem autoritatem esse horum edictorum: Quæcunq; causa erat harum prohibitionum, tamen voluntati Illustrissimi principis & nostræ parere vos iustum est, nec confirmanda est petulantia violatione huius edicti, & similium, sed moderatione & obsequio alenda est reuerentia magistratuum. Nos igitur si quos audiemus contra edictum fecisse, carceri inclusos commonefaciemus vt discant hospitij iura, & reuerentiam quæ Magistratibus debetur.

Tertia causa est, quod in turbatione operarum, rixæ exoriri possent. Vt igitur respublica sit tranquillior, & singulorum incolumitas tutior sit, occasiones rixarum prohiberi necesse est. Vetus est illud verissime dictum, vitare peccata est vitare occasiones peccatorum. Idem de periculis veriss. dici potest. Non ita indulgeat sibi iuuentus,

tus, vt omnes ludos, omnes omniũ con-
greſsus, omnibus temporibus & omni-
nibus locis ſibi permitti velit. Sit ratio
gubernatrix omnium officiorũ, & qua-
dam diligentia mores regantur, vt quid
ſit quod vocant ſapientes diſciplinam,
intelligere diſcant. Deniq; ſæpe cogi-
tent Pauli vocem, qui iubet nos verſa-
ri inter homines, cum quadam eximia
conſideratione omnium officiorum, &
attentione, non, vt inſipientes ſeu fatui
qui ſine delectu & ſine conſideratione
ambulant, quocunq; rapiunt cęci impe-
tus. Sic enim ait Paulus ad Epheſios 5.
περιπατεῖτε ἀκριβῶς καὶ μὴ ὡς ἄσοφοι. Mo ἀλλ' ὡς σοφοί.
ueant igitur ſingulos hæ grauiſsimæ
cauſæ quas recenſuimus, & memine-
rint hoc noſtro edicto rurſus præcipi ne
quis in aggerem conſcendat. Dominica
Palmarum Anno. 1 5 4 6.

9.

RECTOR ACADEMIAE.

Duæ ſummæ res ſunt, & optimæ ad
quas præcipue conferri ſtudium & diligentiã

diligentiam oportet, scilicet cognitio doctrinæ salutaris, & disciplina, id est honesta morum gubernatio. Hæc duo bona sunt omnium in vita præcipua. Non si omnium regnorum quæ vnq̃ fuerũt opes in vnum aceruum conferrentur, tantum bonum esset quantum est mediocris doctrina, & honesta disciplina. Longeq̃ antecellit opulentissimo regi Cambisi Daniel, aut aliquis inferior recte eruditus & non pollutus atrocibus sceleribus.

Disciplina

De his duabus vitæ nostræ quasi metis sæpe cogitemus. Et Paulus eas nobis monstrat, iubens militare bonam militiam, videlicet retinentes fidem & bonam conscientiam, ac omnia imperia debebant vtriusq̃ rei curam sustinere, vt homines recte doceri curarent & disciplinam regerent. Talia fuerunt Dauidis, Salomonis, Iosaphat, Ezechiæ, Iosiæ imperia, & subinde aliquos gubernatores Deus excitat ad hanc curã.

Sed scholis literarijs maxime commendata est, vtriusq̃ rei tuendæ diligentia, Doctrinæ & disciplinæ. Itaq̃ Dei beneficio

beneficio auditoribus omnes artes honestæ quæ literis continentur & ad agnitionem Dei,& naturæ rerum & ad mores regendos necessariæ sunt mediocriter proponuntur.

Disciplinam vtinam possemus regere seuerius. Sed tamen nostræ commonefactiones non desunt, & contendimus aliquo cum labore, frenare & cohercere petulantiã. Qua in re vt Deus nos adiuuet ardentibus votis precamur quia scimus sine Deo nullam gubernationem fœlicem esse. Sed filius Dei inquiens nihil potestis sine me facere, iubet nos anniti, & auxilium promittit & affirmat copiosum fructum laturos esse eos, qui manent palmites ipsi inserti, Hic custos & adiutor nostræ gubernationi aderit, Scimus enim nos esse Ecclesiæ Dei membra. Ideo non solum doctrinam sed etiam leges de moribus proponemus. Ac significamus vobis hodie hora duodecima nos publice statuta Academię recitaturos esse, Ad eã recitationẽ præcipimus vt frequẽtes cõueniatis

diligentiam oportet, scilicet cognitio doctrinæ salutaris, & disciplina, id est honesta morum gubernatio. Hæc duo bona sunt omnium in vita præcipua. Non si omnium regnorum quæ vnq̃ fuerũt opes in vnum aceruum conferrentur, tantum bonum esset quantum est mediocris doctrina, & honesta disciplina. Longeq̃ antecellit opulentissimo regi Cambisi Daniel, aut aliquis inferior recte eruditus & non pollutus atrocibus sceleribus.

Disciplina

De his duabus vitæ nostræ quasi metis sæpe cogitemus. Et Paulus eas nobis monstrat, iubens militare bonam militiam, videlicet retinentes fidem & bonam conscientiam, ac omnia imperia debebant vtriusq̃ rei curam sustinere, vt homines recte doceri curarent & disciplinam regerent. Talia fuerunt Dauidis, Salomonis, Iosaphat, Ezechiæ, Iosiæ imperia, & subinde aliquos gubernatores Deus excitat ad hanc curã.

Sed scholis literarijs maxime commendata est, vtriusq̃ rei tuendæ diligentia, Doctrinæ & disciplinæ. Itaq̃ Dei beneficio

beneficio auditoribus omnes artes honestæ quæ literis continentur & ad agnitionem Dei,& naturæ rerum & ad mores regendos necessariæ sunt mediocriter proponuntur.

Disciplinam vtinam possemus regere seuerius. Sed tamen nostræ commonefactiones non desunt, & contendimus aliquo cum labore, frenare & cohercere petulantiã. Qua in re vt Deus nos adiuuet ardentibus votis precamur quia scimus sine Deo nullam gubernationem fœlicem esse. Sed filius Dei inquiens nihil potestis sine me facere, iubet nos anniti, & auxilium promittit & affirmat copiosum fructum laturos esse eos, qui manent palmites ipsi inserti, Hic custos & adiutor nostræ gubernationi aderit, Scimus enim nos esse Ecclesiæ Dei membra. Ideo non solum doctrinam sed etiam leges de moribus proponemus. Ac significamus vobis hodie hora duodecima nos publice statuta Academię recitaturos esse, Ad eã recitationẽ præcipimus vt frequẽtes cõueniatis

Sępe enim iam accidit vt ad eã auſcultationem non ita multi conuenerint. Ideo vos monendos eſſe duximus vt maiori frequentia ad vocem Magiſtratus audiendam conueniatis, Deinde & hoc monemus vtrunq; eſſe mandatũ dei Vt diſciplinæ frenos patiamini, & vt magiſtratibus honeſta precipientibus obtemperetis, Has virtutes maxime intelligi, & coli decet in Eccleſia, præſertim cum Deus etiam pęnas cõtumacię, & præmia obedientię propoſuerit. Quare ſi menbra Eccleſiæ Dei eſſe vultis, amate diſciplinam & vos ad reuerẽtiam aſſuefacite, quia ſcitis deum ſic velle regi genus humanum.

O æterne Deus pater domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor omnium rerum & Eccleſiæ tuę, tuere doctrinam veram & diſciplinam honeſtam in his domiciliis Eccleſiarum. Nec ſinas in his locis graſſari impiam barbariem aut ſpurtitiem: Sed maneant hic honeſtæ ſcholæ, te vere inuocãtes in agnitione et fiducia filij dei, domini noſtri Ieſu Chriſti & ueris

ueris officijs te colentes. Datæ postridie Paschatos Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE. 10

Quod fælix & faustum sit Christo gubernante cras mane hora sexta iuxta leges. Academiæ alius Rector eligetur. Ad eius renunciationem, quia ea publica esse debet, vt scholastici conueniant, hortamur. Facile est imperiũ in bonis vt inquit Plautus, Ingenia enim erudita & recte educata intelligũt quantũ beneficiũ dei, & quam manifestũ atq; euidẽs argumẽtum sit prẽsentię diuinę mediocris gubernatio & disciplina. Quare & nõ grauatim obedientiam prestãt & quicquid possunt officij ad ornandũ, & tuendum magistratum, & gubernatorum ordinem libenter conferunt. Sunt enim scholæ ob hanc præcipue causam institutæ, vt sint pietatis, legum, disciplinę, & omnium honestorũ officiorum Gymnasia. Qua propter homines literarum & doctrinæ studijs deditos, nihil magis decet, quàm reuerentia er-

erga leges & Magistratus. Praeclare dictum est à Platone. Illum esse optimum ciuem, qui omnibus victorijs ac Triumphis obedientiam erga leges potiorem ducat. Sua sponte igitur honesti scholastici hoc officium præstabunt, ac cogitabunt in hoc congressu etiam vota & preces coniugendas esse, Vt Deus per Christum, Ecclesiam suam, Reip. statum & pietatis ac doctrinæ studia tueri velit, & conseruare. Pridie Calendas Maij Anno 1546.

PHILIPPVS MELANTHON.

IN tantis humanæ vitæ miserijs nihil est magis expetendum vera agnitione Dei, & huius ipsius doctrinæ intellectus in qua Deus se patefecit. Idq; studium ita ornat Deus, vt affirmet hos cœtus suum domicilium fore, in quibus leguntur, audiuntur, discuntur libelli: continentes Euangelium. Ideo non differamus hanc doctrinæ cœlestis explicationem in scholis institutam. Deinceps igitur

igitur ſicut vſitatum èſt hora Octaua in æſtate prælegam Pauli Epiſtolam ad Romanos bidùo ſingulis ſeptimanis. Vltima Aprilis Anno 1546.

IN EVCLIDEM.

NON dubito quin moderátæ & generoſæ mentes conſiderantes egregium illud Symbolum, quod Platonem in foribus ſcholæ ſuæ pinxiſſe aiunt ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω, ſummo impetu ad ſtudium Geometriæ rapiantur. Nam præter illas maxime illuſtres demonſtrationes, quæ magnam vim habent etiam in alijs liberaliorib⁹ ſtudijs ac in enarrabilem certitudinem, qua ad Dei cognitionem ducimur, etiam maximas & grauiſsimas vtilitates ad omne genus vitæ adfert. Videmus enim Geometriam non tantum prodeſſe Mechanicis, ſed etiam philoſophis quibus in ſuis diſputationibus maxime opus eſt demonſtrationibus, vt confirmẽt mundum eſſe finitũ.

Non plures esse mundos. Terram in medio collocatam obtinere centrum vniuersi aliaq; his similia, quę sine Geometria tractari commode nequeunt. Sicut passim in Platone. Aristotele, Galeno, & alijs videre licet, Vt enim ex multis vnum dicatur. Quis illud Galeni libro x. de vsu partium intelligit, oculorũ qualitatem reduci ad vnitatem ideo, quia conorum axes sint in vno plano, qui non mediocriter hisce elementis institutus est? Demonstrat enim Galenus illud Geometrice. adducta propositione ex vndecimo Euclidis. Ad hæc quid iucundius est, quid homine liberaliter instituto magis dignum, quam in metiendo non solum terræ, sed cælestium etiam corporum, ac spaciorum magnitudine occupatum esse, Cuius tractationis principia, progressiones, & quasi perfectionem quandam ex Geometria peti necesse est. Astronomia enim vt plerisq; notum est nihil certi tradere potest sine Arithmeticis & Geometricis demonstrationibus, quibus tanquam alis in cœlestium corporum

rum contemplationem euehitur & di-
ſtinctiones temporum aliaq; multa vti-
lia tradit, quibus in vita commode care-
re nō poſſum⁹, niſi in extrema barbarie
degere vellemus, Sit enim ſemper no-
bis in conſpectu heroica illa vox Ari-
ſtippi, qui amiſſis omnibus naufragio re
bus, cum paucis accedens Rhodium lit-
tus, ac inueniens Geometricas quaſdam
figuras delineatas, bono animo ſocios
eſſe iuſſit, ſe enim agnoſcere hominum
veſtigia, volens nihil timendum eſſe, in
eis locis, in quibus harum artium ſtudia
colerentur, Vt igitur inter nos etiam
ſint hominum veſtigia ſummo ſtudio
conandum, ne illarum diſciplinarum
ſimus rudes quod tum demum fiet ſi di
ligenter Euclidis elementa deguſta-
uerimus. Petierunt itaq; a me qui-
dam meorum familiarium vt ipſis prio
res aliquot libros Euclidis explicarem,
quod cum videam D. noſtris præcepto
ribus etiam probari, publice hoc ſignifi
care volui, vt ij, qui mea opera vti vel-
lent ſcirent meam ſedulitatem & ope-
ram eis non defuturam. Incipiam

autem enarrationẽ Deo iuuante proxima die ſabbathi hora xij. xviij Martij.

SEBASTIANVS THEODORICVS.

13 +

ET ſi Ariſtotelis diſputationes in Phyſicis admodum exiles ſunt & anguſtę, tamen ipſos fontes legere vtile eſt, & cum conſuetudo eos diſcenti familiares facit, magis conſpicitur vſus. Cum igitur muneris quod mihi mandatum eſt ratio poſtulet, vt aliquos Phyſicos libros Ariſtotelis prælegam iam enarraturus eram μετέωρα. Sed ſcio exempla deeſſe. Ideo nunc dulciſsimum carmẽ Pontani quod inſcripſit μετέωρα enarrabo, quod profecto dignum eſt cognitione. Nam & res in natura multas quarũ cognitio vitę vtilis eſt, cõtinet, & has exponit ſonantibus verſibus. Credo melioribus quam fuit olim Empedoclis carmen de iiſdem rebus. Sunt autem exemplaria in omnibus bibliopoliis venalia. Interpretationem exordiar Deo iuuante proxima die Iouis poſt meridiem hora iij, in auditorio medicorum. Nec dubito omnibus vtilem & ſuauem fore huius

huius carminis cognitionem. Quare scholasticos adhortor vt ad eam enarrationem frequentes conueniant. Addam & Physicam explicationem. Et vix alia materia illustriora mixtionum exempla continet. Vbi de qualitatum actione mutua & συμπαθεια multa dici necesse erit quæ postea in vniuersa doctrina de natura rerum, imo in valetudine tuenda & in morborum & remediorum diiudicatione cognouisse prodest. Spero autem aliquanto post Græca & latina exemplaliquot librorum Aristotelis qui sunt vtiliores ædituros esse Typographos, quæ cum haberi poterunt ipsum textum interpretabimur. Die x. Maij. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE. 14

EXamen delectorũ ad stipendia cras Deo iuuante inchoaturi sumus. Quare scholasticis delectis ad stipẽdia ex hac Saxonia quam tenet Dux Elector, quæ fuit olim Senonũ pars, p̃cipim⁹, vt cras hora prima in domo Academiæ vbi est auditoriũ Iuris consultorũ conueniant. Necesse est, n. fieri studiorũ inspectionẽ

Quare

Quare ſinguli ſpecimen ſuorum ſcriptorum adferant, & ſciant eos qui defugient examen. ſtipendia amiſſuros eſſe. Profecto in tanta confuſione omnium imperiorum, ſingulare Dei beneficium eſt, quod alicubi adhuc Principes, cura literarum tuendarum & ornandæ Eccleſiæ afficiuntur. Pro eo beneficio grati ſimus Deo, & oremus vt has piorum ſtudiorum ſedes gubernet ac ſeruet, quarum certe tantiſpermediocris ſtatus ac tranquillitas erit, donec nos ſtudia diligenter colemus, & non abijcimus curam inuocationis. Ac hodierna Euangelij lectio hortatrix eſſe debet ad diligentiam in ſtudijs. Nemo enim ſine eruditione intelligit hoc genus ſermonis in hac narratione, Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato & de iuſtitia & de iuditio. Etſi enim & politica poteſtas horribiliter arguit partem mundi de peccatis, de iuſticia, & de iuditio, tamen Spiritus ſanctus in miniſterio Euangelij arguit totum mundum, de alio peccato ſcilicet contemptu filij Dei. De alia iuſtitia, ſcilicet imputata

tata & donata nobis propter filium Dei intercedentem apud patrem. De alio iuditio scilicet iudicijs sapientiæ mundi contemnentis Euangelium. Magna caligo fuit expositionis quondam in hac optima contione propterea quia genus sermonis erat ignotum. Vt igitur Lux doctrinæ quæ necessaria est Ecclesiæ, retineatur, accendatur in omnibus maior discendi cura. Die xxiij. Maij. Anno. 1546.

RECTOR AC ADEMIAE.

15

SCHOLASTICI Thuringi quibus stipendia dantur ab Illustrissimo Principe Duce Saxoniæ Electore etc. cras hora prima veniant ad examen in domũ Academiæ in qua est auditorium Iuris consultorum. Si qui defugient examen, amittent stipendia, Scitis autem omnes, Deo præstadã esse hanc obedientiam, vt vero studio doctrinam Ecclesię necessariam discamus. Et propter eam causam præcipue Deus ser

uat

uat policias. Vt sint aliqua studiorum domicilia, & pio studio vere discentibus adest. Hæ causæ valere in omnibus debent vt serio discant. Sed multo magis debẽt Ecclesiæ suam operam hi qui tanquam milites, certa ab Ecclesia stipendia accipiũt. Moueat autem Turingos etiam vetus decus, vt literis & virtute excellere studeant. Nomen enim Tyrigetæ significat eos fuisse vetustę & laudatæ gentis præstantissimos ac fuisse in Turingis magna literarum studia, multæ historiæ luculenter ab eis scriptæ testantur. Et hodie Turingia ingenium habet Stigelij, quod eruditissima antiquitas Virgilij & Ouidij tempore magna cum admiratione probasset Die 28. Maij Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

16

AGIMVS gratias toto pectore Deo eterno, patri domini nostri Iesu

Iesu Christi, quod Ecclesiam æternam sibi colligit & seruat, & nunc quidem in his ipsis regionibus lucem Euangij accendit, & studia & disciplinam tuetur. Celebratur autem quoannis memoria patefactionis admirandæ Spiritus sancti, quæ facta est die quinquagesimo, postquam ex morte filius Dei reuixit. Et congruunt dies ad Pentecosten, in qua post Pascha primũ in Aegypto celebratum, Lex in monte Sina illustribus testimonijs, promulgata est. Nam has patefactiones vult nos Deus assiduè intueri, vt certo statuamus veram esse doctrinam in Ecclesia sonantem & vt inuocemus hunc verum Deum, qui se patefecit. Hæc magna Dei beneficia in his feriis considerandæ sunt, & mens ad inuocationem & omnia pia officia excitanda. Quanta bonitas est quod Deus se patefecit, quod cõfirmauit nos certis testimonijs, qnod in illa priore Pentecoste dedit sapientiam legis, quod in posteriore misit Spiritum sanctum, & testimonium nobis manifestum ostendit, Spiritum sanctum esse

esse hypostasin, & quod hoc agitatore ex essentia procedente nos sibi copulat & accendit in nobis nouam lucem, iustitiam & vitam æternam. Vult etiam peti hoc donum, & reuera petentibus largiri. Iam cogitemus quantus furor sit, hanc munificentiam aspernari, nec petere hanc Dei, societatẽ promissam. Obtestamur igitur vos omnes propter gloriam Dei, & propter Salutem vestram, vt hæc tanta Dei beneficia consideretis, quæ vt declaretis vos magni facere. ardentibus votis petite vos ipsos & hanc totam scholam regi Spiritu sancto. Sit & in moribus vestris modestia, ne in uobis & in alijs mœrore Spiritum sanctum adficiatis. Est autem & inter Spiritus sancti dona ministerium Euangelicum: quare id quoq; veneremur, &, vt significatio extet nostræ reuerentiæ erga ministros Euangelij, mandamus vt singuli scholastici cras sua munera ad aram offerant. Hoc anno 1546. â natali filij Dei, annis 3055. Pentecosten tota Ecclesia in cœlo & in terra celebrauit. Ad hanc non

nos ad iungamus, et simul cum vniuersa Ecclesia Deo gratias agamus, pro patefactionibus in vtraq; Pentecoste factis, & pro donato Spiritu sancto, Et petamus deinceps quoq; in his regionibus, Ecclesiam, pia studia, disciplinam & politias seruari & regi. Te igitur æterne Deus, vnice pater domini nostri Iesu Christi oro, vt propter filium tuum, dominum nostrũ Iesum Christũ, crucifixũ pro nobis, & resuscitatum nos, & Ecclesiam, & studia huius nostri cœtus gubernes, & deinceps multis seculis hæreditatem filio tuo inter nos colligas, vt multi te æternum Deum vere inuocent, celebrent, & veris officijs colant. Anno. 1546.

IOANNES SAXONIVS
Hattestedius, Germanicæ iuuentuti
Academiæ Vittebergensis,
studiosæ Latine dicendi.
S. P. D. 17

IVLII Cæsaris commentarios de bello Gallico hactenus enarraui, & quia historię cognitio vitæ hominum necessaria

ria est, & quia sermonẽ Iulij & formã nar
rãdi vtcunq; imitari vtilissimũ est. denicq;
patriæ amore iucundior est Iulij historia
quia nemo vetustior scriptor Germanię
meminit. Et hic non solũ bellicam virtu
tem nostrarum gentium, sed etiam do-
mesticam disciplinam & integritatem
celebrat, cuius consideratio mentes ge-
nerosas ad virtutem accendit. Nunc
enarrabo commentarios belli ciuilis, in,
quibus florentissimi imperij mutatio
orta ex dissensione ciuili duorum præ-
stantissimorum ciuium recitatur, qua in
lectione conspici potest, non solum
quæ semina sint ciuilium bellorum,
sed etiã quã necessaria sit moderatio gu-
bernatorib. quæ domita ambitione, &
repressa vndictæ cupiditate, cedit æmu-
lis, ne publica tranquillitas turbẽtur, vt
cessit Aristides Themistocli, Themisto-
cles Eurybiadi. Ita si paululũ remisisset
de contentione Pompeius, nõ exarsisset
tã triste bellũ, q; totã imperij formã mu-
rauit. Denicq; multa sunt exempla a sum-
ingenij artifice, & peritissimo reipub.
scripta, quæ lectorem de vitæ guberna-
tione vtiliter monent. Vos autem ado-

lescentes præcipue, amate Julij scripta propter sermonis genus. Nullius sunt in tota lingua Latina narrationes rectiores. Nam consilio, rerum ordine, proprietate verborum, & perspicuitate, omnibus Julianæ antecellunt. Et tota forma orationis pura, propria, venusta, & interdum mollibus metaphoris, nõ procul accersitis distincta, plurimum gratiæ habet, ac ad phrasin lectori parandam; & ad parabilem facundiam vtilissima est. Etsi enim Ciceronis oratio splendidior & amplior est, tamen eius ambitiosas periodos, ne illa quidem ætate eloquentissima, multi imitari potuerunt, quæ quidẽ præsertim in texendis narrationibus aliquid adferunt impedimenti, vt ostendit historia Pontani, qui dum effingere periodos Ciceronis conatur, sepe admodũm lentas & frigidas narrationes efficit. Hæc vero Juliana natiua, candida, & sine adfectatione fluens oratio, multo & ad vsum nostrum adcommodatior est & in narrationib. illustrior. Experientur itaq; omnes studiosi, plurimum sibi & ad loquendũ, & ad scribendum prodesse Julij lectionẽ.

Illud etiam inter legendum ſæpe cogitent bonæ mentes, diuinitus mutari imperia, & mutari propter hominum furores, eamq; ob cauſam ſingulis maiore cura mores ſuos regendos eſſe. Nam etſi hoc verũ eſt, Quidquid delirãt Reges, plectuntur Achiui, attamẽ illud diuinitus dicitur, propter populi peccata ſæpe imperia mutari, vt apud Salomonem ſcriptum eſt. Singuli igitur ſciant, ſua bene, & ſecus facta, ad totam rempub. pertinere, maximeq; ſalutarem eſſe moderationem, frenantem animum ne de omnibus rebus pugnet, vt ſapientiſsime apud Euripidem in Oreſte dicitur, & Deo & ciuibus immoderatas contentiones diſplicere. Sic enim ibi dicitur.

μὴ νᾶυς γὰρ ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν πολὺ
ἔβαψεν, ἔσω δ' ἀνδρὸς ἦν χαλᾶ πόδα.
μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὰς ἀγαν προθυμίας,
μίσει δ' ἁσοί

Enarrabo autem eos tantum libros, qui ab ipſo Iulio ſcripti ſunt. Vt antea

antea ſeptem de bello Gallico. qui ſunt natiui Cęſaris, interpretatus ſum, ita nunc omiſſo octauo, commentarios belli ciuilis inchoabo, quorum tres ſunt γνήσιοι Cæſaris, Reliqui & alieni ſunt & admodũ mendoſi. Quanquã autem perſpicua eſt oratio Cæſaris, tamẽ interpretis opera iunioribus opus eſt, non ſolum in explicandis gentium & locorum appellationibus, ſed ſæpe etiam in conſiliĳ expoſitione, & in illuſtranda phraſi, & oſtendenda forma orationis, & compoſitione, & in enarrandis locis aut obſcuris, aut vitio temporum deprauatis. In his ſpero me diligentiam & fidem meam ſtudioſis probaturum eſſe, Vale. Vitebergæ pridie Idus Iunĳ, Anno.

1546.

RECTOR ACADEMIAE.

ADOLESCENS Auſtriacus natus in familia nobili, non procul à fabiana, quæ nunc Vienna vocatur N. qui cum natura moderatus & placidiſsimus eſſet & Deum vera pietate co-

leret, modestíssime apud nos vixit. Hũc Deus ex hac ærumnosa vita hac nocte euocauit. Etsi autem necesse est propter doctrinæ explicationem, & propter gubernationem, aliquibus longiora vitę spacia concedi, tamen tantum est erumnarum in hac vita, vt videatur non de nihilo dictum esse a Menandro. ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσι ἀποθνῄσκει νέος. Quẽ Deus diligit, moritur iuuenis. Ac profecto nisi causas viuendi ex doctrina cœlesti sciremus non valde optanda longior vita videretur. Sed tres sunt causæ veræ & præcipuæ, vt opus sit mediocri vitæ spacio. Prima vt discamus doctrinã de Deo. Secũda, vt eam exercitijs diuturnis inuocationis confirmemus. Tertia vt alios iuuare docendo, gubernãdo, & alijs officijs posimus. Hæc militia non est leuis. Ideo vtrunq; pijs precibus à Deo petamus, Et vt vitæ spacia longiora bonis ingenijs concedat, & vt eorum militiam postea adiuuet. Quia profecto nisi Deo gubernante non sunt felices humani labores. Hæc in funerum cæremonijs

cogitate

cogitate ad accendendam inuocationem Dei pro nobis ipsis, & pro tota Ecclesia Fiet autem funus huic Augustino hora quarta. Ideo scholastici conueniant ea hora ante ædes Reuerendi D. Doctoris Martini Lutheri. Fortassis hic Augustinus ideo citius extinctus est, ne Turcicos exercitus in patria grassantes videret. Nam qui Turcica arma non metuunt valde errant, quæ quidem iam prodigijs denunciata sunt, Nuper enim in Pannonia inferiori crebri ignes ceu ῥῦακες e cœlo deciderunt, Et conspectus est niger bos in aere eijciens ingentes flamas. Hæc prodigia non sunt ridenda, Nam & ante interfectum regem Ludouicum, meminimus igneam crucem e sublimi in fontem Heraclij delapsam esse. Et post mortem Regis Ioannis vuæ quarum χὺμος intus non fuit vinum, sed cruor, repertæ sunt. Deus æternus pater domini nostri Iesu Christi, Ecclesiam æternam

in his regionibus sibi colligat, & hospitia Ecclesiæ defendat, & regat. Pridie calendas Iunij Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

19 INTER dona quę filius Dei sedens ad dextram ęterni patris dat Ecclesiæ nominatim recẽset Paulus docẽdi ministerium. Sciamus igitur pias scholas non tantum humano consilio constitui & seruari, sed filium Dei earum autorem & gubernatorem esse.

Ideo eas maiori diligentia tueri studeamus. Et Dei beneficium esse sciamus, quod flectit aliquorum principum mentes ad hoc opus, vt scholas foueant, & aliquibus pauperibus scholasticis dent stipendia. Sint igitur in hac schola, prę-cipue delecti ad stipendia, modestiores.

Cum autem explorentur studia eorũ, vocamus hodie eos qui ex Mysia delecti

delecti sunt ad stipendia, Quos quidem & vetus patriæ nobilitas ad literarum studium & virtutem inuitare debet, Nam & Homerus eos iustissimos hominum vocat, & in Argonautico carmine, laudatur eorũ erga hospites Argonautas beneficentia. Hic est enim versus in primo Argonauticon. Mysi.

τοὺς μὲν ἐϋξείνως μυσοὶ φιλοτητι
μίσγοντας δειδέχατο.

Sit nunc etiam hæc magnæ laus Mysiæ, quod Argonautas, id est, hoc scholasticum agmen benigne fouet. Veniant igitur scholastici hodie delecti ad stipendia ex mysia, hora prima ad domũ Academiæ in qua est auditorium Iurisconsultorum. Die iij Iunij Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE. 20.

SAEPE cogitandæ sunt cum omnes Dei patefactiones, tum vero hæc ipsa quę facta est filio Dei in cœlum ascendente coram magno agmine Ecclesiæ

A S Cenſio

eius temporis, & inter plausus angelorum, Moysi, Eliæ & aliorum, ac inenarrabili lætitia complectentibus se æterno patre & filio.

Hic triumphus omnium qui vnquã fuerunt pulcherrimus fuit, nec frustra hoc spectaculum oculis Ecclesiæ exhibitum est. nec ad illos tantum pertinuisse putandum est qui tunc aderant.

Nos quoq; tanquam in rem præsentem venientes mente aspiciamus illud iter, & sciamus testimonium esse futurę vitæ, ac gratias Deo agamus, quod immensa misericordia se toties tam illustribus modis generi humano patefecit vt testaretur nos sibi curæ esse.

Et quidem filius Dei ascendens in cœlum diserte testatus est, se nobiscum semper affuturum esse. Hæc pij sæpe multumq; cogitent, Vt se ad inuocationem excitent, & vere lætentur bonitate Dei.

Hoc

Hos etiam dies ducant esse iucundiores propter memoriam tantarum rerum. Adest nobis filius Dei spectator omnium actionum, exaudiens ac iuuans inuocantes, puniens vero impios a quibus contemnitur.

Ac Paulus inquit filium Dei sedere ad dextram æterni patris, vt dona det hominibus, inter quæ nominatim recenset doctrinæ ministros, Vere est igitur filius Dei piarum Academiarum Rector, cui vt obtemperemus, mores nostros piè regamus.

Audio autem quosdam tumultus cieri in vicinis pagis. Quare hoc edictũ proposui, ac præcipio omnibus scholasticis vt sint modesti, & caueant ne tumultus in oppido, vel in vicinia cieant nec horum dierum quibus Dei beneficia cogitanda sunt lætitiam suis furoribus turbent. Ac si quos resciuero contra hoc edictum fecisse seuere eos puniam.

Præcipio

Præcipio etiam ne lauent ſcholaſtici in flumine. Qua in re periculo ſuo quiſq; moueatur, & cogitet diabolum inſidiari hominum vitæ. Interdum etiam in ripa moleſta eſt nautis & alijs petulantia iuuenum.

Errant ſi qui putant ſcholaſticos debere cyclopum ſimiles eſſe. Agmen eſtis Eccleſię Dei, in quo lucere virtutum exempla debent, Quare petulantes ex noſtro cætu eijciendi erunt. Die iij Iunij. Anno 1546

PHILIPPVS MELANTHON.

21

HODIE hora prima conueniant in domo Academiæ in qua eſt auditorium Iuris conſultorum delecti ex Voitlandis ad ſtipendia. Sciunt enim nomina eorum, qui ad examen venerunt Illuſtriſsimo Principi mittenda eſſe. Et ſtudijs vtilem eſſe hanc inſpectionem doctrinę, & ad diſciplinam profeſſe ſperamus. Decet autem omnes bene moderatos

moderatos amare nerues disciplinæ. Nec nomen tantum gentis variſſæ a veritate factum, Sed etiam res magnę olim pro defensione libertatis Germanicę gestæ, significant magna virtutis exercitia in eo gente fuisse, quæ imitari posteros necesse est. Datum v. Iunij. Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

22.

Deus æternus pater domini nostri Iesu Christi conditor omnium rerũ singulari beneficio in Ecclesia certos ritę πάσχα τῶ seruauit, inde vsq; ab exitu Israelitarũ ex Aegypto, hactenus tria millia annorũ, & annos sex et quinquaginta, Vult enim cognosci & celebrari mirandum consilium reconciliationis factę per filium suum Dominum nostrũ Iesum Christum, quem voluit pro nobis fieri victimam μεσίτην καὶ ἱκέτην Nec tantũ in terris celebratur Paschatis memoria, sed multo maiore frequentia & lætitia cælestis Ecclesia vniuersa hodie conuenit ad Ducem suum filium Dei, λόγον

λόγον περὶ εἰκόνος ἀϊδίου, ἀϊδίῳ πατρὶ,
Et gratias ipsi ac patri æterno agit, intue-
tur in luce patris omnes causſas cur de-
cretum sit, hoc modo liberandum esſe ge-
nus humanum, & simul nos complecti-
tur suis votis, Orat iam, ne Pascha de-
leatur in terris, ne doctrina extinguatur,
& petit seruari ac defendi has nostras
Ecclesias quærentes & amantes verita-
tem. Adiungamus ergo nos ad hui-
us Ecclesiæ æternæ societatem, & cum
ea gratias agamus Deo æterno patri &
filio eius Domino nostro Iesu Christo
pro admiranda liberatione facta per fi-
lium, & petamus veris gemitibus ac vo-
tis, vt nunc defendat & regat has Ec-
clesias, nec sinat inter nos extingui lu-
cem doctrinæ. Ipse est καρδιογνώστης,
scit nos simplici studio quæsiuisse veri-
tatem. Nunc oremus, vt suo auxi-
lio testetur hanc esse suam veritatem,
quam docemus, & opem ferat ipsi peri-
clitanti doctrinæ, quia Dei opus est ser-
uare veritatem. Et filius Dei reuixit ex
morte, vt deseruat opera diaboli. Nunc
igitur etiam ardentibus votis oramus
filium

filium Dei, vt reprimat diabolum molientem paricidia Ecclesiarum nostrarum & conantem mendatijs idola restituere. AD TE IESV CRISTE fili Dei crucifixe pro nobis et resuscitate cõfugimus, te inuocamus cum vniuersa Ecclesia cœlesti iam tecũ Pascha celebrãte, & precamur, vt Ecclesiam huius oppidi & harum regionum serues, defendas ac regas. Hortamur autem Magistros & scholasticos qui adsunt, vt letentur cum societate totius Ecclesiæ in celebrando Paschate, & nobiscum coniungant gemitus & preces. Declarent & iam hanc suam pietatẽ significatione aliqua gratitudinis erga Euangelij ministros. Datę die Paschatis. Anno 1547.

23.

RECTOR ACADEMIAE.

SEMper in hoc aliquod, furiosi turbine mundi
Hospicium cætus vult Deus esse pij.
Lacte sareptanæ viduæ sic viuit Helias,
Sidonio tristis dum furit orbe fames.

Sic

Sic et in Israel premeret cũ sæua Tyran-
Cultores veræ qui pietatis erant: (nis
Abdias occul a multos sub rupe latẽtes,
Abscondit, largis muneribusq; fouet,
Abditur Abdiaca quoq; nunc Eccleſia
(valle,
Dũ pariunt Reges funera, bella, famẽ,
Iusta sed vt sacrũ pauit matrona prophe
Abdias, expulsis hospiciũq; dedit (tã.
Sic habet hic aliquos Princeps Elector
(alumnos,
Dat quibus ad musas æra dicata bonas
Illis cras summam veniant, mandamus,
(in arcem.
Hic etenim sũptus distribuendus erit.
Hũc iustos referant verę virtutis ad vsus
Turpia sunt sacris non facienda bonis.
Ac pia turbentur ne diris agmina bellis,
Oremus summũ supplice voce Deum.
Datæ Vitenbergæ xxviij Iunij. Anno.
1546.

RECTOR ACADEMIAE.

SEmper in hoc aliquod, furiosi turbi-
(ne mundi,
Hospitium

TANTA fuit modestia veterum militum belli tempore, vt Vrias domum vocatus cum quidem coniugem haberet ingenio & forma præstantem, noluerit cubare domi: Sed toto eo tempore quo in castris exercitus erat, iudicarit sibi perinde ac si in templo esset, etiam honestas voluptates omittendas esse vt animus & ad præliandum intentior esset & ad orandum. Et Ecclesia eius temporis, sua bella, vocabat bella Dei, Quia, vt defenderentur hospitia doctrinę, gerebantur. Tale nunc bellum geritur. Et optandum est vt milites aliqui imitentur Vrię modestiam vt certe speramus aliquos esse. Etsi autem nostri scholastici nondum in acie dimicant, tamen sciant se in ijsdem castris mente & precibus esse debere & petere, vt Deus adsit exercitui. Sint igitur modesti & de peccatis suis & Ecclesię cogitent. Vt autem ciuitas hoc tempore tranquillior sit præcipimus scholasticis, vt vitent frequentiam sicubi vident vagari milites. Ac mandamus vt hoc præsertim tempore ita regant mores vt ad pareat eos publi-

cam pacem expetere, & affici cura salutis Ecclesiæ totius orbis terrarum. Datæ viii. Iulij Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

DVRATE, & vosmet rebus seruate secundis. Quam ad spem non tantum humanis rationibus erigamur, sed ijs consolationibus quas Deus proposuit. Semper fuerunt, sunt, & erunt magni tumultus Imperiorum, aliâs alibi. Inter has & Ecclesia duriter quassatur, quam tamen mirabiliter seruat Deus, vt seruauit stantem inter aquarum montes in mari rubro. Cum igitur certum sit manſuras esse reliquias Ecclesiæ Dei, & quidem ibi manſuras ubicunq; sonabit vox Euangelij, & doctrinæ studia erunt, non abijciamus literas, nec hanc nostram militiam deseramꝰ, sed bona cũ spe seruiamus Deo, etiã inter arma et inter classica. Misceamꝰ autẽ studijs gemitꝰ & vota

& nobis

& nobis hanc Dei vocem inculcemus, Conuertimini ad me, & ego cõuertar ad uos,

Duximus itaq; uobis ſignificandum eſſe de migratione noſtra nihil hactenus decretum eſſe, nosq; deinceps donec Deus concedet, hic operas ſcholaſticas facturos eſſe. Nec tamen prohibemus quo minus diſcedant, ſi qui malunt alibi eſſe quacunq; de cauſa. Illis vero qui adſunt præcipimus, vt ſint moderati, non ſolum, vt vrbs tranquillior ſit, cuius rei tamen habenda eſt ratio, ſed multo magis vt pœnitentiæ ſignificationem modeſtia morum oſtendant.

Nam eos qui non vere nobiſcum inuocant Deum, nec pœnitentiæ officia curant, mallemus procul à nobis abeſſe, quam inter nos verſari. Illis vero qui diſceſſuri ſunt mandamus, vt quod iuſtum eſt, ſatisfaciant ijs quibus debent. De locatione etiam ſciant omnes qui non extruduntur, ſed ſua ſponte mi-

grant, pensionem integram pro semestri soluere debere.

Postremo admonemus uos decreti veteris, de neruo Iuris dictionis nostræ, ne quis discedat ex vadimonio seu Aresto, vt vocant.

Cum autem his diebus contra eam legẽ discesserit N. nec soluerit ijs quibus debet, Relegamus eum de sententia cõsilij nostri ex hac Academia, ut absit hinc triennium. Hoc exemplo cõmonefacti cæteri maiore fide præstent iustitiam & alia honesta officia Datæ Die xx Iulij. Anno. 1546.

DECANVS FACVLTATIS ARTIVM.

QVANQVAM magnis fluctibus cymba Christi concutitur, tamẽ obrui eã nõ sinet Defẽdet De⁹ aliqua studiorum hospitia, & seruabit Ecclesiæ reliquias. Vult autem & peti hanc defensionem pijs votis, & interim doctri-

nam

nam cæli quæ ministerio Euangelico necessaria est. Sicut in lectione Euangelij hodierna laudatur mulier, quamuis despecta, lauans vngẽs, tergẽs ac discuti-
uians pedes filij Dei, Significatum est enim hęc Deo gratissima officia esse pedes id est ministeriũ Euangelicum tueri, quod faciunt & scholastici recte discẽtes, & pij principes bellum gerentes, ne deleantur purę doctrinæ Euangelij studia, ne restituantur ἐδιωλομαμίαι

Cum autem vsitatum sit ad publica examina Magistros conuocari, significamus nos cras hora prima conuenturos esse, & petimus vt cæteri Magistri Philosophiæ intersint illis eruditis colloquijs, & suas sententias amanter nobiscum & inter sese conferant. Hæc sententiarum collatio, & dulcissima est & vitæ ac artibus vtilis, & hoc quidem tempore leuatio aliqua est eorum dolorum quos cogitatio periculorum publicorum adfert. Quæ vt mitiget Deus, oramus, & certe mitigaturũ esse nõ dubitamus. Die xxvi. Iulij Anno. 1546.

27 Paul. Ebrus.

CVM Syracusæ à Marcello obsidione cincta in summo essent discrimine, Archimedes adeo nihil remisit de studijs suis Geometricis ac Mechanicis, vt eam etiã oppugnationẽ, qua capta vrbs est, intẽtus demõstrationi quam instituerat, non senserit. Fecit id quidem ille amore earum artium, ad quas maximo animi impetu ita rapiebatur, vt auellere eum nulla difficultas potuerit, Quarum tamen omnem fructum ad defensionem patriæ suæ contulit, quam aduersus hostes sua industria & mirificis machinarum inuentionibus diu tutam reddidit. Ita nos quoque in hoc bellico tumultu retineamus studium bonarum artium, cum sciamus eas Ecclesiæ necessarias esse, quæ sine vllo dubio in ruinis regnorum permansura est vsque ad finem mundi, iuxta inmutabiles Dei promissiones, qui nos quoq; in medijs procellis teget & tuebitur, si seria morum emendatione declarabimus nos vere iram eius timere, & fiducia

cia mediatoris Christi, mitigationem inpendentium malorum petemus, vocationis nostræ opera sedulo & fideliter faciemus, & Deo euentum huius periculi committemus, Sicut monet ac promittit Psalmus. Reuela domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet. & alibi cum inquit, Vacate & agnoscite quod ego sum Deus. Prohibet trepidationem ex consternatione in periculis ortam, quæ & preces impedit, & vocationis officia interrumpit. Vult nos esse tranquillo animo, facere officium nostrum, & petere a Deo ac expectare prosperum negociorum exitum. Quare non sinamus nobis adhuc quidem vtiles artes terroribus præsentibus de manibus excuti, sed tempus quod a precibus iam non minus necessarijs quam Syracusis erant Archimedis, machinæ, & a lectione sacrarum literarum reliquum habemus, ponamus in cognitione scriptorū antiquitatis, qui res vtiles generi humano complexi literis, ad nos transmiserunt. Ex quorum numero cum in

primis sit HESIODVS, iussus sum eius opusculũ cui titulus ἔργα καὶ ἡμέραι adolescentibus explicare, maximeq; illos locos quì aut de stellarum ortibus loquuntur aut ex doctrina de natura rerum desumpti sunt. Eam igitur enarrationem, iuuante Deo crastina hora quarta auspicabor, eiq; tribuã binos in Hebdomada dies, videlicet Lunæ & Martis. Reliquis diebus dictaturus vt antehac Physicen Datæ Die xxvi Iulij. Anno.

1 5 4 6.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI.

28

SEMPER in animis circumferamus hoc dictum. Non erit labor vester inanis in Domino, semper hæc necessaria consolatio sit in auribus ἔναυλος, Deum effecturum esse, vt studia nostra salutaria sint Ecclesię, nobis & magnæ parti generis humani, etiamsi magni imperiorum tumultus existant, qui minantur doctrinæ & cultoribus eius interitum. Deus enim immensa misericordia

reliquias

reliquias ibi seruat, vbi purę doctrinę studia mediocri sedulitate coluntur. Hac spe & hoc tempore scholasticas operas facimus, & Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi oramus, vt seruet hanc Ecclesiam, & hanc scholam, & nostros labores regat. Explorauimus autem eruditionem quorundam his diebus, de quibus renunciatio testimonij fiet die. iij. Augusti. ad quam vt conueniant omnium disciplinarum doctores & Auditores, petimus, vt ostendant se fauere linguarum & Philosophiæ studijs, & hoc tempore cõfirmẽt discentes. Tribuant etiam id officium honori horum qui nunc gradu Magisterij Philosophici ornabuntur, quia in hoc numero multi sunt & in Philosophia præclare eruditi, & qui carmen latine, & Græce non aspernandum scribunt.

Fiet autem hęc renunciatio quod faustum ac fælix sit die. iij. Augusti qui est insignis duabus victorijs Græcorum. Nam eo die ante anos bis mille et viginti

quatuor, Græci & ingentem exercitum Persarum ad Plateas profligarunt. & ad Ibi ad Mycalen classe vicerunt. Hæ etsi fuerunt claræ victoriæ, tamen Atticæ ciuitatis hoc maius decus fuit, quod vltro cesserunt Athenienses de loco honestiore Spartanis, ne discordia ex ambitione orta noceret Reipub. Ac modestissime dictum est ab Athenensibus ὄκ ἐνν τῶ τοιῶδε τάξιοσ ἕνεκα στασιάζειν πρεπό. παντι γὰρ τεταγμένοι, πράσομεθα χρησόι εἶναι. Quod vtinam in vita omnes imitaremur, vt rectæ faceremus & saluti comuni consuleremus, omissis priuatis contentionibus, quæ ex κενοδοξία oriuntur, Die. 1. Augusti Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

29

Thrasyb. lib. 2. cap. x.

IN secundo libro xenophontis inquit ante prælium Thrasybulus, vnum quẽ libet in exercitu suo loco sic conniti debere, quasi in vno ipso plurimũ momenti sit ad victoriam futurum. Sic semper in publi-

inpublicis periculis de se quisq: cogitare debet, Sic viuito, quasi in tua vnius diligentia aut negligentia plurimum momenti sit. Et profecto ita est. Sæpe vnius temeritas omnia euertit, Sæpe vnius peccatum iram Dei irritat aduersus totam multitudinem.

Hæc nunc in periculo publico orbis terrarum sæpe cogitemus, & mores diligentius regamus. Sit etiam in scholasticis maius studium tranquillitatis & modestiæ, ac discedant à militari turba. Multi vesperi veniunt in forum, cum milites in excubias distribuuntur, & ibi inepta curiositate miscent se concionibus militaribus. Eam rem ipsi ductores ordinum iudicant esse periculosam nostris. Ideo præcipimus ne deinceps ad illas militares conciones accedatis. Vt autem in hodierna lectione Euangelij filius Dei ostendens vere sibi curæ esse auditores suos dulcissimis verbis inquit σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον. Ita nũc quo B sperem vere eũ misericordia affici, et

petamus

petamus aſsiduo gemitu vt reſtituat pi-
am & ſalutarem pacem. Datæ. viij. die
Auguſti Anno 1546.

RECTOR ACADE-MIAE.

30

Quo die traditum eſt Mariam matrẽ Chriſti ex hac mortali vita euocatã eſſe, in qua annos duodecim ſuperſtes fuerat filio, eadem die heri deceſſit pia mulier Margarita Socrus oeconomi noſtri Collegij. Funus autem hodie fiet hora quarta ad quod ſcholaſtici conueniant vt pijs ceremonijs declaremus nos diſcernere mortem hominum â morte pecudum & teſtemur, vitam eſſe dei beneficium, & vitæ totius curſum & mortis iter à Deo petamus. Cumq; œconomus bene mereatur de Repub. & multis pauperibus ſcholaſticis, pij qui eius beneficio vſi ſunt, orent Deum vt & coniugem piam & honeſtam fœminam, & matrem multorum liberorum & vere αἰκούρον ſeruet incolumem. Has preces debent ei pauperes multi, ſicut viduæ

Thabite

Thabitæ cuius sit mentio in Actis Apostolicis, pauperes debebant in Ioppe Die xvi. Augusti Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE. 31

Bono consilio & uere paterno animo quotannis præcipimus, ne scholastici in flumen aut stagna ingrediantur, & iuuentutem de periculis commonefacimus, Quia nimis multa exempla nos docuerunt quam sit infidum flumẽ & inimicum hominibus. Sed hæc tota ætas nec legum reuerentia, nec periculorum suorum cura valde adficitur. Quanquam autem nobis magnum & assiduum dolorem hæc negligentia iuuentutis adfert, tamen hoc tristius est, quod sæpe ipsis qui non sunt morigeri exicioſa est.

Iterũ igitur præcipimus vitari lauationes in flumine. Et cum heri adolescens bene literatus & honestis & pijs moribus præditus Basilius Storcensis in stagno

ſtagno perierit, hodie funus ei fiet hora duodecima. Hortamur igitur ſcholaſticos, vt conueniant ad Noſocomion quod proximum eſt ipſi loco ſepulturæ communis extra portam, vt & funerum ceremoniæ ſeruentur. & ibi piis precibus ſuam vitam quiſq; Deo cõmendet, Quod eo faciendum eſt ſtudioſius, quia huius adoleſcentis interitus oſtẽdit diabolum inſidiari noſtræ vitæ, Ideo autem filius Dei ſe oſtendit humano generi, vt deſtruat opera diaboli. Confugiamus igitur ad filium Dei, & veris votis petamus vt concultato capite ſerpentis, nos ſeruet & regat. Die iiij. ſeptembris Anno. 1546.

MAG. SEBASTIANVS THEODORICVS.

SVNT omnino dulciora ſtudia doctrinæ præſertim Philoſophicę tranquillis temporibus, Sed tamẽ præſertim eruditos, qui ſciunt cauſas humanarum miſeriarum, erigere & confirmare animos oportet, etiam difficilibus temporibus

bus, ne aut dolore aut desperatione abijciant doctrinam de Deo, & de alijs rebus bonis. Imò tuncà voce Dei, & sapientum sermonibus qui nobiscum in literis loquuntur, petenda est quædam leuatio. Quare tantisper donec conceditur fruamur doctrina, Imo cum libros habemus in manibus, sępe suspicientes in cœlũ, gemitu & votis â Deo pacem & doctrinæ conseruationem petamus. Cum autem & Ecclesiæ Dei, & vitæ cõmuni, doctrina de anima vtilissima sit, Aristotelis textum Græcum hora iij. quæ mihi attributa est enarrabo. Ad eam interpretationem inuitet auditores vtilitas huius partis Physices. Videtis in Ecclesia, explicatione potentiarum Animæ, discriminę noticiæ & appetitionum opus esse, Hęc nihil lucis habent sine his elementis, Dicendum est quid sit λόγος cũ filio Dei nũcupetur εἰκὼν æterni patris: dicendũ quid differũt λόγος & πνεῦμα, dicẽdũ quomodo vt in homine, spiritꝰ ex corde vehit oñes cordis motus, amorẽ, irã, misericordiã et alios. Ita & spiritꝰ

Sanctus

Sanctus æterni patris & filij pectora amore mutuo iungit. Imo Deum & nostra pectora iungit, vt in suauiolo amor maternus hęret in genis infantis. Hæc & alia multa lumen accipiunt ex his dulcissimis disputationibus de anima. Et aliqua voluptas erit Aristotelicos fontes gustare vt dicitur.

Nam quamquam Sapor est ablata dulcis in vnda.

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Auspicabor Deo dante proxima die Martis in loco solito, Die. v. Septembris Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

33

ORemus Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi vt mitiget nobis publicas & priuatas calamitates, ac in ira misericordię suæ recordetur. Nam profecto dutiter exercemur. Heri decessit scholasticus honestus & studiosus Ioannes Mittagk frater Magistri

gistri, qui in hac Academia fidem & diligentiam in docendo præstat. Huic Ioanni funus fiet hodie hora xij. ad quod cõueniant scholastici ante collegium, & vt funerum cæremoniæ pie seruentur, & vt suam ibi quisq; vitam Deo commendet. Verissimum est enim, a Deo vitam nostram pendere, vt videmus leuissimis casibus robustos homines extingui. Oremus igitur Deum vt nos seruet & gubernet. Die viij Septembris Anno, 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

34

MEMINISTIS Martinum Hopp Œconomum, & virum honestum fuisse, & vera pietate Deum coluisse, & in eoconomina pauperũ scholasticorum fidelem beneficum, & fœlicem fuisse, & huic nostræ Ripub: non solum vtilem, Sed etiam propter multas virtutes ornamento fuisse, Deniq; vere bonum publicum fuisse, vt in Græco versu dicitur.

χρήσθ' ἀνὴρ, ὥσ φάσ', κοινὸν ἀγαθὸν θεῖ.
Quare non dubitamus, quin in cœlesʃtem conſuetudinem æterne Eccleſiæ traductus ſit. Sed nos eius interitū, propter honeſtam coniugem, magnum gregem paruorum liberorum, & noſtræ oeconomiæ mutationem merito lugemus. Et hic accidit caſus tempore alio qui difficili, Sed Deus orandus eſt, ne hanc cymbam qua vehimur, quæ multis magnis procellis concutitur, mergi ſinat. Funus autem Martino fiet hodie hora xii, ad quod conueniant ſcholaſtici, & ut piæ funerum cæremoniæ ſeruentur, & vt ibi vitam noſtram & Rēpub. Deo, pijs precibus cōmendemus, Profecto etiam omine mouemur, quod talis vir, cuius tanta fuit vtilitas, hoc tempore nobis ereptus eſt, ſed filius Dei promiſit ſe manſurum eſſe apud eos, qui eum inuocant, Die x. ſeptembris Anno.

1546.

RECTOR ACADEMIAE.

Tempori

TEMPORE Arcadij & Honorij, venit Romam vir pius ex oriẽte cui nomen fuit Dirimachius. Ibi cum vidit crudelia spectacula gladiatorum, & plausus furentes populi, quoties in arena aliquis interficebatur, postridie concionari cæpit, & aboleri illum morem iussit. Hunc populus lapidibus obruit. Adeo placent consuetudine confirmati furores. Occurramus igitur malis exemplis summa seueritate. Intelligimus autem magna petulantia discurrere noctu adolescentes, & heri multipliciter iritasse ciues delectos ad excubias agendas. Scitis autem hoc tempore maiore cura quam alias, tranquillitatem ciuitatis tuendam esse, & mores oportuit modestiores esse ad precationem.

Quare præcipimus, ne vesperi in foro discurrũt scholastici inter ciues delectos ad excubias, neue eos vlla petulantiæ significatione interturbẽt neue interrogati curob ambulẽt cõtumaciter respõdeãt Si nõ obtemperabũt seueris exemplis

pumientur. Datæ xx. Septembris Anno
1546.

IOANNES STIGELIVS DECANVS.

VT Deus humana missurus origine (natum
Zachariæ patrio texit amore domũ.
Cũ populis motis, passimq; vagantibus (armis
Sæua palestínus bella timeret ager
Nam licet hinc Italus patrijs pedes hor- (ridus armis
Hinc Parthus celeri bella moueret equo
Attamẽ Abiades parua cum gente Sa- (cerdos
Propicium coluit, tutus ab hoste, Deũ.
Et ynodum hanc paruam conuentus fo (uit amici,
Quæ norat natũ non procul esse Dei.
Iam tum natus erat Christi tuba prima (Ioannes,
Inq; suis cunis dulce iacebat onus,
Hunc, vt erat presens, coniunctaq; sang (uine virgo,
Plena

Plena Deo, Christi casta futura parẽs,
Excipiens tenerum blandis tractabat in
(vlnis,
Et patrio puris more lauabat aquis,
Decretiq; memor cœlestis, vt abluit illũ
Sæpe dedit teneris oscula blanda genis,
Sensit, vt accrescẽs humanos induit ar-
(tus,
Iã noua sub matris pectore forma deus
Applaudẽsq; inter dulcissima suauia, sta-
(tu
Infantis complet corda tenella suo,
Ergo vt difficili fidentẽ tempore Vatem
Seruauit, generis mẽbraq; sancta, deus
Sic nũc cũ subito Germania mota tu-
(multu
Horrida ciuili sanguine bella timet,
Conatiq; diu Christum extirpare Ty-
r anni
Miscere horrẽdo cũcta cruore parant.
Nostra Deo fisi, firmemus pectora, certi
Tecturũ hunc cetus omnia mẽbra sui
Debita nec doctis ideo cõmercia Mulis
Mẽs nostra audito segnior hoste neget,
Sed studia hæc nulla fracti asperitate co-
(lamus,

Quæ verũ vitæ, dantq; fouentq; decus,
Organa quæ præbent, quorum aut Ecclesia Christi
Officio, aut legum publica normauiget,
Hæc tua militia est, studijs addicta iuuentus,
Hæc decet officij te bona nosse tui
Ac velut his adfert meritas infamia pœnas,
Pierides ficta qui pietate colunt,
Calliope merita sic illos fronde coronat,
Est quibus officij cognita causa sui
Sint procul, accedunt qui sic penetralia (Phœbi,
Vt medicata fugax pocula musca petit,
Qui studijs animũ vitę ciuilis ad vsum
Excolit, hunc merito publicus ornat (honos
Si quos ergo caput sacras efferre per artes,
Iuuit, & ingenio conciliare decus,
Si qui operã tali nauarũt artibus œstro
Vt sibi deberi præmia recta putent,
Secernicq; rudis cupiãt a nomine vulgi
Et celebre a veris nomẽ habere bonis
Temporis

Temporis his aliquot certi decernimus horas,
Et causam alloquij colloquijq; damus
Nostra nec his deerit recta & studiosa volumus,
Qui recto officium pectore tale petũt.
Fortiter est bonis studiorum hic ordo tuendus,
Quẽ ratio veteri publica more probat,
Vt pia seruetur studij possessio nostri
Quod multi extinctum funditus esse velint
Dum licet ingenio ditari, discite iuuentus
Iste dabit fruges, iste colendus ager,
Cætera fide Deo, pressis qui subuenit, ille
Excubias nostro pro grege semper agit:

Hoc octiduo accedant Decanum petituri gradum Magisterij, vt vsitato more nomina dent.

Anno.
1546.

EXLIBELLO de anima hactenus didicimus, quanta sit præstantia ac dignitas HOMINIS, cuius non solum corpus inæstimabili sapientia ita conditum est, vt omnes particulæ ad certas functiones destinatæ, propterea{que} conueniente substantia, figura, ac situ fabricatæ ac collocatæ sint: sed etiam Anima ornata est imagine Dei conditoris, quæ etsi obscurata est lapsu primorum parentuu, tamen vestigia adhuc aliqua prioris lucis in Mente, & libertatis in Voluntate reliqua ostendit. Quæ res Hominem longe omnibus animantibus excellentiorem esse declarat. Cum autem ante Nondinas Lipsicas non queat commode enarratio alicuius longioris scripti institui, putaui me non inutiliter facturum, si hoc intervallo Hominis sedem & cubile quasi, Terram videlicet, studiosæ iuuentuti considerandam & metiendam proponerem, vbi cognita vastitate terreni globi, vicissim

vicissim hominis infirmitas & paruitas animaduerti poterit, reptantis in terra non aliter, quam si in amplissimo agro agmina Formicarum videas, discurrentium aut congregatarum, has quidem vt colliculum aliquem pedali latitudine, habitandi causa excauent, illas vero vt frumenti grana, paleas, & stipulas congerant. Rursus tamen dignitatem hominis æstimare licebit ex eo, quod ratio humana diuinitus excitata & adiuta, huius ipsius vastissimæ molis terrenæ, quam homo nullus vnquam perreptare totam potuit, figuram, quæ sensum fugit, & magnitudinẽ inquirere & prodere ausu fuerit, & in terra varie distãtes vrbes, flumina, maria, montes, ita depingere ac monstrare valuerit, vt aliquis etiam sedem patriam suam nunq̃ egressus possit præcipuas terræ regiones scire & indicare, & locorum interualla certa ratione metiri. Hæc quoq̃ industria hominem a bestijs in eadem terræ superficie oberrantibus, discernit, & digniorem ipsa terra facit. Præterea cognitio magnitudinis terræ, quæ de cor

porum cœleſtium interuallis & magnitudine in Aſtronomia dicuntur, declarat & illuſtrat. Et habet neceſſarium vſum in hiſtoriarum & poetarum lectione, poſſe regiones terræ habitabilis diſcernere. vrbium interualla metiri, dierum ac noctium quantitatem, æſtatis ac hyemis temperatas aut immoderatas vires in qualibet regione noſſe. Nec Scriptura diuinitus patefacta vllo modo hac doctrina carere poteſt. Vt enim cætera nunc omittam, certe inuocantes Deum, debemus orare fiducia filij ipſius coæterni Domini noſtri IESV Chriſti, nati ex maria virgine in Bethlehem, educati in Nazareth patefacti in Hieruſalem, ibidemq; crucifixi, ſepulti, & reſuſcitati, ad generis humani liberationem. Illorum autem locorum certum ſitum & interuallum in iudæa, iacente inter Arabiam, Syriam & Aegyptum, monſtrat hæc doctrina de terræ dimenſione, ne putemus eſſe conficta locorum nomina, ſicut quidam noſtra ætate luſit deſcriptione florentiſs. & beatiſsimi regni in Vtopia. Deinde magnopere com-

menda

mendat nobis filij Dei immensam mi-
misericordiam hæc ipsa terræ contem-
platio cum cogitamus, quãto amore ge-
neris humani flagrare oportuerit filium
Dei, qui ex eterna gloria, ac infinito ma-
iestatis suæ throno egressus, abiecit se,
& concludi passus est in hãc angustissi-
mam aream terræ, quæ respectu cœle-
stium corporum puncti rationem habet,
ac reptauit inter Homines, hoc est, fœ-
dissimos & vere ἐφημέρους vermiculos,
ipse quoq; vermis factus, vt ipse de se lo-
quitur Psalm xxi, & passus est se vt ver-
miculum à crudelissimo serpente con-
culcari & conteri, vt genus humanum a
peccato liberaret, & ex his angustis &
sordidis cauernulis secum transferret in
cœlestẽ illam infinitæ amplitudinis glo-
riam. De his tantis rebus etiam hæc ter-
ræ mensuratio pium auditorẽ commo-
nefacere poterit. Cum igitur hæc do-
ctrina homine digniſsima sit, & vtilita-
tes maximas, nec nullam voluptatẽ affe
rat, hortor scholasticos, vt hanc
Physicæ partem reliquæ adiungant.

Dictabo

Dictabo autem rationem de dimensione treræ, ac postea addam modum vsitatum, quo ex longitudine & latitudine loci cognita, vrbium interualla ac situs perueſtigantur, quanta potero perſpicuitate & breuitate, & hodie hora quarta Deo iuuante incipiam. Cum autem, ſicut in reliqua vita ampliſsimus & neceſſarius eſt vſus Arithmetices ita hec quoq; ratio metiendi terram ſine eius artis mediocri vſu abſolui nullo modo poſsit, hortor ſcholaſticos, vt a profeſſore Shpærici libelli Arithmeticen diligenter diſcant, & in primis cognoſcant & exerceant modum quærendi radicem, vt vocant, quadratam, quam partem Arithmetices hanc ipſam ob cauſam profeſſor Sphęræ hiſce diebus ſe auſpicaturum promiſit, vt audituris hanc locorum dimenſionem gratificetur. Grato igitur animo hanc prouidentiam & beneuolentiam Lectorum amplecti debetis, qua veſtris ſtudijs quam rectiſsime conſulere ſtudent. Die Aprilis viij.

Anno.

1 5 4 6.

Decanus

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI.

CRAS hora prima Deo iuuante, publicum examen eorum qui nunc gradum Magisterij Philosophici petunt instituemus. Cum autem deceat doctrinæ explorationem in quadam fieri eruditorum frequentia, hortamur Magistros vt tunc ad nos accedant. Hi congessus in quibus de Deo & rebus bonis disseritur, per se sese iucundissimi sunt, & dignissimi viris bonis, Et hoc tempore non solum communicatione sermonis leuanda est mœstitia. Sed etiam accendenda vota mutuis consolationibus, vt filius Dei inquit. Si quid duo aut tres consentientes petent, fiet. Declaremus igitur & in tali congressu commune studium petendi auxilij cœlestis, ne doctrina Ecclesiæ necessaria deleatur. Vult enim inuocari Deus, & ideo magnis periculis exercetur Ecclesia, vt liberationes mirandæ testimonia sint præsentiæ Dei in Ecclesia, Quare non frangamur animis. Sed nos consolationibus diuinis confirmemus.

memus, qualis hęc eſt, Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt, & ſciamus gratum Deo officium eſse, & non inutile defenſionem & gubernationem petere, Quod vt à pluribus fiat, libentius cõueniamus, vt Paulus inquit ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ. Propter has cauſas hi cõgreſsus etiam hoc tẽpore appetantur & amentur, quos vt Deus defendat toto pectore oramus. Datæ Die xxvi. Septẽbris Anno 1 5 4 6.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI.

39

HODIE vna cum Eccleſia Dei, gratias agimus Deo conditori Rerum, quod addidit nobis cuſtodes ſuos angelos, ipſum diligentes & coram cernentes. Et precamur nunc, cum magna agmina impiorum ſpirituum crudelibus parricidijs delere hanc Eccleſiam & ſcholam conantur, vt filius Dei dux noſter

nos

festum Angl. nov.

nos defendat, & aduersus diabolos, & satellitium impium Gypęti, exercitus piorum angelorum opponat, & seruet doctrinam diuinitus monstratam. Quod eo faciat, quia literis extinctis nec agnosci ipse, nec celebrari angeli commilitones nostri possunt. Cumq; vocet Angelos πνευματα λειτουργικα. Spiritus curantes bona publica, maxime scholas & studia doctrinæ eis curæ esse consentaneum est, quæ verisime sunt bona publica, generi humano pręcipue necessaria. Hæc vt defendat toto pectore precamur, Optamus etiam, vt angeli intersint renunciationi gradus cras futurę, et parietes scholæ nostrę & iuuentutem tueantur. Sicut in Euangelio dictum est. Angeli eorum semper vident faciem patris. Cum autē & angelos Deo caros, & sine superbia seruientes nobis, adfuturos renunciationi sperem⁹ hortamur, & scholasticos, vt simul adsint & nobiscum vota faciant, vt Deus seruet hanc scholam, quæ certe propter studiū veræ doctrinę magnis periculis exercetur. Nō sinat igitur Deus veritatem

veritatem ſuam deleri, nec permittat vt aduerſarij vincant, qui dicerent euentũ teſtariſua idola recte coli. O ęterne Deus pater domini noſtri Ieſu Chriſti, ſana & ſerua & rege Eccleſiam, extricatam ex erroribus Die. Michaelis Anno

1546.

RECTOR ACADEMIAE.

40

FATA nobis Oeconomum fideliſsimum eripuerunt, nunc fideliſsimus miniſter funus Domini ſequitur. Nam hac nocte deceſsit pius & honeſtus iuuenis Nicolaus Euander, filius concionatoris Eccleſiæ Iſenacenſis viri docti & honeſti. Non fiunt hęc caſu, cum Chriſtus dicat, omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. Ac ipſi quidem beati ſunt qui in inuocatione filij Dei ex hac vita migrant, Sed cum amittuntur in Eccleſijs aut politijs, aut œconomia homines fideles noſtro damno moueamur, & oremus Deũ, vt ſeruet bona ingenia & prouehat ad gubernationem Euandro autem

tem funus fiet hodie hora quarta, ad quod conueniant scholastici ante ædes huius collegij. Et singuli suam vitam & Rempub. hoc tristi tempore ardentibus votis Deo commendent,

Narrant hoc anno terræ motu quædã oppida antiquissima in Palestina, & multa milia hominum absorpta esse. Sepulchrum etiam Christi, quod immotum stetit annos quingentos mille, nũc quasi satũ profundiore loco, quam antea stare. Hæc certe Ecclesiæ & vniuerso terrarum orbi ingentem mutationem significant, quam vt Deus mitiget precemur. Datæ Die vij. Octobris Anno.

1546.

RECTOR ACADEMIAE.

41. DECESSIT hac nocte pius & honestus Iuuenis Ioannes Gruen Pegensis, cui funus hodie fiet hora xij. Ideò hortamur scholastico, vt ante nosocomium eo tempore conueniant, vt

pie cæremoniæ funerum conſeruentur, quæ ſemper in Eccleſia ſeruatæ ſunt, vt de immotalitate, & de futuro iudicio ibi nos commonefaciamus cumq; ſemper & in primis hoc tempore horribiliter inſidietur diabolus humano generi, in his congreſſibus de communibus periculis, & de cauſis humanarum miſeriarum cogitemus. Et cum vitam & ſtudia noſtra, tum Eccleſiam et has politias, quæ prebent hoſpitia Eceleſiæ pijs precibus Deo commendemus Die xiij. Octobris. Anno 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

42

DECESSIT hac nocte adoleſcẽs nobilis in familia equeſtri vetuſtæ gentis Myſorum natus, & honeſtis moribus præditus. Chriſtophorus à Breitenbach, quæ familia multos præſtantes viros genuit, qui & conſilio rexerunt Rempub. & doctrinæ monumenta poſteris tradiderunt. Hic autem Chriſtophorus pietatis eximia ſigna oſtendit

ostendit in ipso agone se commendans filio Dei, qui abolita morte vitam reddit omnibus serio eũ inuocantibus. Tales traduci in æternam Dei consuetudinem vere statuendum est, corpus autem hodie hora quarta sepelietur. Quare vt pie ceremoniæ funerum seruentur, ea hora scholastici ante ædes D. Antonij Schenitz nobilitate & virtute præstantis conueniant. In eo congressu singuli petamus, vt Deus nos gubernet & seruet, & piam & salutarem pacem Reipub. restituat Datæ die xij. Octobris Anno.

1546.

RECTOR ACADEMIAE.

IVCVNDIORA sunt studia literarum in otio & tranquillis temporibus, Sed in hac vita non est perpetua hominum tranquillitas. Et cur Ecclesiam suam Deus tanquam in medijs fluctibus nauigantem varie exerceri velit, causæ notæ sunt ex cœlesti doctrina, de quibus cogitantes, adiungamus &

hanc consolationem, quam non nosset homines, nisi certis & illustribus testimonijs diuinitus tradita esset, quod affirmat Deus se Ecclesiam suam seruaturã esse, & quidem in ipsis erumnis nobis ad futurum, & inter afflictos, qui eum inuocant, habitaturum esse. Idq; facit, vt in admirandis liberationibus, præsentia eius in genere humano conspiciatur. Quare etsi nũc multa sunt pericula, nostræ Ecclęsiæ & Academiæ, tamen erigamus nos cogitatione promissionum diuinarum, ac petamus & expectemus auxilium a Deo æterno patre domini nostri Iesu Christi, Hac spe reliquias scholæ tueamur.

Ideo quod faustum ac fœlix sit, cras Rectorem Academiæ eligemus, & nostrum cætum ad renunciationem conuocamus, Conueniant igitur Magistri & Scholastici, cras post septimam horam in auditorio maximo collegij, vbi non solum audient vsitatam renunciationem, Sed etiam pia vota coniungant, vt Deus protegat hanc Ecclesiam, & doctrinę stu

dia

dia, & hæc noſtra tecta. Id officium poſtulat Deus, nec inane murmur inuocationem noſtram exiſtimemus, Sed ſciamus, vota noſtra, gemitus noſtros, & lacrymis exaudiri, vt in Eccleſiaſtico dicitur. Precatio humilium nubes penetrabit, & lachrymæ viduæ genis defluentes in cœlum aſcendunt. Plerumq; autem vt vidua, Eccleſia nulla aut exin gua habet humana præſidia itaq; aliqua cũ ſpe auxilij diuini precatio facienda eſt. Die xvij. Octobris. Anno. 1546.

RECTOR ACADEMIAE.

CYGNEAM Vrbem honeſtam, & cuſtodem diſciplinæ ſeueram, & nobis amicam, obſidione cinctam eſſe certũ eſt, Quæ ſi fuerit dedita, aut occupata, exercitus hoſtilis huc adducetur. Et ſi autem ſperamus Deum mitigaturum eſſe has calamitates, tamen cum hic metus ſit obſidionis, vtilius eſt tenere ætati hinc abeſſe, propter multa pericula, & varios obſidionum euentus. Et Illuſtriſſimo principi electori ſic viſum eſt,

 dimittendum

dimitendum esse cætum scholasticum.

Quanquam igitur dolendum est discipari hanc scholam, quæ harum Regionum Ecclesias pie erudijt, tamen necessitati pareamus, ac liberum est cuiuis quo volet migrare. Sed hoc officium iustum & necessarium est, vt singuli creditoribus satisfaciant.

Aliqui ex lectoribus in vicinam vrbem Meideburgam se conferent, vbi si quam scholę vmbram habere poterunt, hac hyeme operas, scholasticas deo iuuante, facturi sunt.

Oremus autem Deum ardentibus votis vt piam & salutarem pacem restituat Die vi Nouembris Anno.

1546.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS

Sæpe

SAEPE accidunt Ecclesiæ mala inextricabilia humanis consilijs, cuius rei illustris imago proposita est in lapsu primorum parentum qui post delictum vere ab omnibus creaturis destituti erant. In tantis miserijs cum essent, prodijt tamen Deus conditor & voce promissionis edita ostendit se recipere genus humanum. Quo exemplo testatus est se nobis opem ferre, etiam cum destituimur ab omnibus creaturis. Ac non solum exempla deinceps multa tradita sunt, sed præcipitur etiã vt in ærumnis petamus & expectemus opem diuinam, vt enim conspici præsentia Dei in Ecclesia possit, in his ipsis periculis, quæ non discutiuntur humanis consilijs, dextra sua Deus nos erigit ac protegit. Hac igitur fide excitati, hoc tristi tempore, petamus a Deo veris gemitibus ac votis vt in ira misericordiæ recordetur, ac piam & salutarẽ pacẽ huic Vrbi & his regionibus in quib. sunt Ecclesię hospicia, restituat, & priuatas calamitates mitiget & rursus pia doctrinæ studia accendat. Nam ad

belli mala acceſsit Academiæ etiam illa calamitas, quod hic vnus annus tres viros nobis eripuit, qui præcipue fuerunt vſui ſcholæ, Doctrinæ lumen Reuerendum D. Martinum Lutherum. Deinde gubernatorem œconomiæ fidelem & fœlicem.

Nunc Ioannem Rhau quæſtorem, Virum honeſtum, integrum, officioſum & bona fide functum ſuo munere. Talium virorum interitus etiam propter omẽ nobis maiorẽ dolorem adfert, quod tamẽ vt Deus mitiget oremus. Fiet autem funus Ioanni Rhau hodie hora quarta, ad quod conuenire honeſtos homines pium officium eſt. Quare eos præſertim qui noſtræ Accademiæ coniuncti ſũt adhortor, vt vſitatis cæremoniis interſint, & coniungant preces cum Eccleſia petente mitigationem communium miſeriarum, & pacem. Die vi. Februarij. Anno.

1547.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS

Eſaias

ESAIAS inquit iustos colligi, ne vide ant mala, & dulcissimis verbis eos in cubili suo quiescere ait, donec filius Dei Ecclesiam suam, reuocatam ex morte in triumpho suo coram vniuerso genere humano æterna gloria ornabit, Cum igitur fatalis mutatio orbi terrarum impendeat, Deus præripuit venientibus calamitatibus hoc ipso anno multos viros in his regionibus virtute præstantes, Reuerēd. D. Marti. Luth. Fride. Mico. Cordatum, & nuper Vratislauiensis Ecclesiæ gubernatorē Hessum & alios. Extincti sunt & in bello multi, quorum fuit eximia virtus, Albertus Dux Brunsuicensis, prælians in ripa Danubij, simili ęta te & fortuna vt Palas Euandri filius apud Virgilium, & alij quidam viri fortes, qui pio studio propter Ecclesiam militarunt. Nunc in hoc oppido ciuis honestissimus Georgius Plochinger ex hac mortali vita euocatus est, qui Deum vera pietate coluit, & familiam habuit honestissimam, ac liberos reliquit quorum ingenia magno ornamento Ecclesiæ ad posteritatem fore speramus. Fiet autem

Georgius plochinger.

funus Georgio cras hora duodecima in quo pios conuenire decet ad cõseruatiõnem piæ cæremoniæ & ad precationem vt nostram vitam Deo commendemus, ac petamus vt publicas calamitates mitiget & seruet Ecclesiam & Eceleſiæ domicilia ad posteritatem. Impendent enim magnæ vniuersi orbis terrarum mutationes, quas vt Deus clementer regat toto pectore eum rogamus, Die ii. Feb. Anno. 1 5 4 7.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

47.

NON existimemus irritas esse preces & gemitus piorum in Ecclesia Dei. Sed reuera exaudit nos Deus & mitigabit nobis calamitates publicas & priuatas, si eum fiducia filij inuocabimus, qui propter Ecclesiam ἐκ τῆς factus est æterno patri, Quare in omnibus pijs congressibus vota coniungamus, ac ardenter petamus vt Deus sibi inter nos perpetuo Ecclesiam seruet ac

regat

regat eiq; honesta & tranquilla hospitia concedat, & non sinat extingui doctrinæ lucem ac studia, Hęc hodie quoq; petamus cum ad funus venerandi Domini Nicolai Rhodę conueniemus, qui heri ex hac mortali vita in cœlestem euocatus est, Senex fuit amans doctrinæ cœlestis & vera inuocatione Deum coluit, Fiet autem ei funus hodie hora duodecima, Tunc igitur in plateam proximã ædibus viri honestissimi Magistri Lucæ Edelbergij veniant Magistri & scholastici Academiæ. Die xxv. Feb Anno

1 5 4 7.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

DEVM æternum patrem domini nostri Iesu Christi conditorem cœli & terræ & Ecclesiæ suę oramus vt propter filium mediatorem in ira sua misericordiæ recordetur, ac mitiget publicas & priuatas calamitates, videmus enim quasi fatali concursu multarum calamitatum ingentem iram

Dei

Dei denunciari, Accedit ad bellum inteſtinum lues, quæ paſsim vagatur, & publici dolores priuatis miſeriis augentur. Cum autem vir clariſsimus, erudi tione & virtute prę ſtans Laurētius Zoch Doct. Iuris hac nocte ex hac mortali vita ad æternam Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti, & totius Eccleſiæ cœleſtis con ſuetudinem euocatus ſit, magno in luctu ſumus, & quod talem virum qui eximium Academiæ noſtræ ornamentum fuit, amiſimus, & quia ſcimus magno dolori eſſe eius interitum clariſsimo viro Domino Hieronymo Schurf Doctori iuris, qui & de Republica & de hac Academia optime meritus eſt, & nunc totius noſtri cætus propter virtutis & ętatis autoritatem tanquam pater eſt, Quare & ipſius, & honeſtiſsimarum matronarum, matris & filiæ dolore affici nos iuſtum eſt, Miſceamus autem lacrimis noſtris vera vota, vt Deus mitiget nobis ærumnas, nec ſinat diſsipari harum Regionum Eccleſias, & extingui doctrinæ ſtudia, ſed piam & ſalutarem pacem reſtituat. Funus autem fiet cras poſt concionem

concionem circiter horam nonam ante meridiem, Ad quod conuenturos esse omnes Doctores, Magistros & scholasticos nostros non dubitamus, & vt cõueniant eos hortamur vt, & dolorem suum ostendant, & suas preces cum nostris coniungant. Anno.

1 5 4 7.

IAM HVC PERTINET SCRIPtum quod supra est impressum, cuius initium est, Deus æternus pater etc.

RECTOR ACADEMIE Vuitebergensis S. D. omnibus Doctoribus & magistris, qui Doctrinam Ecclesiæ & vitæ necessariam in Academia docent. 49

CLARISSIMI & doctissimi viri, amici & collegæ carissimi. Cùm Paulus Apostolus dicat, vniuersam naturam rerum gemere & parturire cum Ecclesia Dei

Dei, neceſſe eſt ſimul multos in Eccleſia magnorum, dolorum ſenſu adfici quorum veras cauſas & efficacia remedia oſtendit non humana ſapientia, ſed doctrina cœleſtis, Ac vos quidem nunc in tantis noſtris & Eccleſiæ periculis duriter excruciamur.

Sed gemitus noſtros & lachrymas, ac doloris cauſas videt exauditq; Deus æternus pater domini noſtri Ieſu Chriſti qui propter filiũ, qui pro nobis ſupplex eſt æterno patri, mittigabit ærumnas & in ira miſericordiæ ſuæ recordabitur. Cumq; nos cogitatione doctrinæ cœleſtis ſuſtentari & ſeruari velit, ſtudia doctrinæ etiam non prorſus extingui ſinet, quæ quidem & in ijs locis ſeruabit, vbi vox ſonat verę doctrinę.

Quanquam autem multi horribiliter iraſcuntur noſtro oppido, tamen hactenus Deus ibi ſeruauit vocem ſuæ doctrinæ & ſcholæ reliquias, Quare & ipſi eas non deſeramus, donec deus facultatem aliquam conueniendi concedet

det, præsertim cum adhuc multæ gentes de magnis rebus nostræ Ecclesiæ iudicia intueantur.

Cum igitur instet tempus eligendi Rectoris de more, etsi inter arma & in tam tristi bello hę deliberationes intempestuę videntur: tamen quia de necessarijs quibusdam negocijs deliberandum est, velim aliquam frequentiam esse consilij nostri, voscę adhortor, vt quod faustum & fœlix sit in oppido nostro ad calendas Maij, ad electionem Rectoris & ali quędam negocia conueniatis.

Etsi autem in tantis periculis dissimilitudo & iudiciorum & voluntatum existere solet, & nos multa nostra vicia & errata agnoscimus, ac necessario dicimus vt Daniel: Tibi domine iustitia: tamen simul vt Daniel ad misericordiam Dei confugimus, cum sciamus nos bono & simplici studio quęsiuisse veritatem & multas partes doctrinæ necessariæ in Ecclesia recte illustrasse

ac

ac vere ibi esse Dei Ecclesiam, vbi de fundamẽto, quod est filius Dei, recte docetur.

Talium inuocatio cum non sit irrita, hac certa spe leniamus dolores nostros, & petamus, vt Deus inter nos seruet semen sanctum, vt vocat Esaias, hoc est, suæ Ecclesię agmen & reliquias, & mitigationẽ calamitatum expectemus, sicut propheta inquit Misericordiæ domini est, quod nõ consumpti sumus. Bene valete. Datę Vuitebergæ Aprilis Die xvii. quo die ante annos 3353. Noha obtemperans mandato diuino Arcam ingressus est, & annum integrum in medijs fluctibus ac procellis iactatus, firma fiducia diuinæ promissionis, exspectauit liberationem, ingenti cum dolore animi conspicatus interitum fere totius generis humani. Quo exẽplo monemur, vt nunc quoq; in ruinis imperiorum, ac ingentibus ærumnis ac periculis confidamus Deum defensurum & glorioſe liberaturum esse suam Ecclesiam Anno. 1547.

Fride-

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

OREMVS Deum æternum patrẽ Domini nostri Iesu Christi, vt intra simul misericordia recordetur & poenas mitiget. Non exhauriri dolor noster posset etiamsi tantum flumen lachrimarum profundere possemus: quantum vndarum vehit Albis, tanta multitudo calamitatum concurrit. Accesserunt ad cætera belli mala tristissima plurimorũ domestica funera, & quod ominosum est, videmus insigni virtute, & pietate præditos præcipue extingui, quasi granis exemptis denuncientur aliæ tristiores poenæ siliquis. Heri honestissima matrona coniunx viri clarissimi Domini Doctoris Benedicti Pauli in inuocatione filij Dei, & inter vota, plena pietatis, ex hac mortali vita decessit & ingentem dolorem ac ingens desiderium, hoc præsertim tristi tempore marito graui annis & patri multorum liberorum, & pleno sincerissimi amoris erga coniugem

& liberos reliquit. Huius dolore nos quoq; adficiamur, & nos ipsos communium & nostrarum miseriarum cogitatione ad inuocationem Dei, & ad vera officia pietatis excuscitemus. Fiet hodie funus mortuę illi matronæ hora tertia ad quod conuenire volumus eos, qui ad Academiam pertinent, quicũq; nunc in oppido nobiscum degunt. Fuit ipsa matrona exemplum illustre pietatis & optimorum morum vniuersæ ciuitati, & cum in tota vita Deum veris officijs coluit: tum in ipso aditu mortis perspicua confessione fidei, & inuocatione sese filio dei Domino nostro Iesu Christo commendauit. Quare ab huius matronæ morib. in vita, & â consolatione, qua ipsa sese erexit in morte exemplum sumamus. Harum rerum cogitatio etiam lenire luctum marito virtute, & pietate præstanti debet, cum quidem verissimam esse vocem filij dei statuat. Hæc est voluntas dei, vt omnis qui credit in filium habeat vitam æternam. Hac nos consolatione confirmemus, nec deprauari eam falsa interpretatione

tione hostium Euangelij sinamus. Date die .xxij. Augusti Anno. 1 5 4 7.

HIC DEI BENEFICIO RESTITVTA EST ACADEMIA

51
+

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

MISERICORDIAE Domini, quod non consumpti sumus, inquit Ieremias, non tantum de sue ætatis calamitatibus, sed etiam de tristioribus pœnis, quas in Ecclesia horribiliter grassaturas esse alijs temporibus vidit, quas tamen leniri significat immensa bonitate Dei, ne prorsus ipsius notícia in genere humano extinguatur. Ergo vt Ieremias, ita nos quoq; Deo æterno patri domini nostri Iesu Christi, conditori cœli & terræ & Ecclesiæ suæ, laudem iustitiæ & misericordiæ tribuamus, quod & vere irascatur peccantibus, & tamẽ in ira misericordiæ suę recordetur, eumq; vero timore, & vera inuocatione colamus, ac nunc gratias agamus, quod aliquas

Thren. cap. 3.

Ecclesiæ suæ in hac vrbe, & in his regionibus reliquias seruat, quodq; lucem doctrinę suę non prorsus extingui sinit. Etsi autem in magno luctu & mœrore sumus, tamen & hanc ipsam ob causam, vt a voce Dei consolationem petamus, decreuimus, Deo iuuante, rursus inchoare prælectiones, de quib⁹ singuli lectores horas & materias significabũt. Quãquam autem iucundiora sunt studia doctrinę lætis temporibus, tamen propter imperiorum tumultus nullo modo abijcienda sunt. Sed cum propter priuatam consolationem, tum vero propter posteritatem colenda sunt, & difficultatibus repugnandum est animi moderatione, & pia precatione, quæ nõ erit irrita, Excitemus nos ad curam legendi & discendi voce diuina, quæ inquit. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eũ, & mansionem apud eum faciemus. Habitabit inter nos Deus, si studia cœlestis doctrinæ modeste colemus & nobis & alijs calamitates leniet, & hospitijs doctrinæ restituet tranquillitatem, vt labores

discentiũ

discentium prouehat, quod vt faciat, ardentibus eum votis, & veris gemitibus oramus. Die xvi. Octobris Anno 1546.

PHILIPPVS MELANTHON. 52

DEO æterno patre Domini nostri Iesu Christi conditore cœli & terræ & Ecclesiæ suæ iuuante, inchoabo enarrationem. Epistolæ Pauli scriptæ ad Colossenses. Die xxiiij. Octobris proxima, hora nona in ædibus collegij veteris, Deinde æterarum prælectionum materias & tempora indicabimus. xvi. Octobris.

1547.

CASPAR CRVCIGER. 53

SYMBOLI Niceni enarrationem ideo instituí, quia cum articulos fidei ordine recenseat, explicatio ita instituí potest, vt summam doctrinæ quæ propria est Ecclesiæ complectatur. Necesse est autem integrum doctrinę corpus te-

nere inquo mẽbra oportet recte distribui & ordine collocari. Etsi autem antea locos aliquot enarraui, tamen decreui res easdem ab initio repetere.

Quanq; enim de sententia nihil mutabimus, tamen quędam membra vberius in repetitione vt sæpe fieri solet enarrabuntur. Et auditores rectius iudicare discunt ijs de rebus quas in repetitione iterum atq; iterum intuentur, seu vt Plato dicit, quas diu multumq; sursum ac deorsum voluunt.

Adiungam autem & Ebraicæ linguæ Grammaticen, & enarrationẽ vel Psalmorum vel prouerbiorum Salomonis, vbi cætum auditorum videro. Oro autem Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, fontem sapientiæ & cõditorẽ Ecclesiæ vt seruet Ecclesiam, & studia nostra regat. xxiij. Octobris. Anno. 1 5 4 7.

PAVLVS EBERVS.

Cum

54
+

CVM visum sit gubernatoribus huius Academiæ inchoare rursus operas scholasticas, ego quoq; ne officio meo desim, cras hora prima auspicabor Deo iuuante secundum librum Hesiodi, qui continet præcepta Oeconomica & Ethica, quibus inspersa sunt multa Physica & Astronomica, de ortibus & occasibus certarum stellarum, quibus vetustas partes anni discernere, & initia præcipuarũ operarũ rusticarũ designare solita fuit. Tribuã eius libelli explicationi duos dies, alteris duob⁹ more consueto dictaturus Physicen, in cuius secundo libro absoluetur tractatus de causis, & vtilia dicentur de fato, de fortuna, de casu, de viribus & effectionibus Astrorũ, & de alijs naturæ partibus, quarum cognitio maximum vsum habet in vita cõmuni, & veras voluptates quærenti iucundissima est, Deum æternum patrem D. nostri Iesu Christi coniunctis, & ardentibus votis precemur, vt his vastatis regionib⁹ piã ac salutarẽ pacẽ cõcedat, vt iuuẽtus reuocari ad necessariarũ artiũ cognitionẽ possit, ne extinctis pris studijs

doctrinę cęlestis obscuratio sequatur, & in moribus barbarica feritas existat, quę iusticiam disciplinam & omnem honestatem opprimat & conculcet, quæ mala cum tanta sint, vt quilibet fanus & se & suos potius extinctos esse malle debeat, quam in illis pestibus vitam ducere, anniti, debemus vt & seria morum emẽdatione ac precum assiduitate ea mala auertamus, & suo quisq; loco pro virili pia studia reuerenter colamus adiuuemus & promoueamus. Hæc si diligenter fecerimus Deus nobis & impẽdentia mala mitigabit, quæ cum alia signa tum præcipue sequentes luminarium horrẽdi defectus minantur, & in turbatione imperij Germanici aliquem tamen nidulum dabit, vbi colere & exercere studia pietatis possimus. Te præcamur æterne fili Dei Domini noster Iesu Christe λόγε καὶ ἐικὼν τοῦ πατρός tuere, rege ac cõserua Ecclesiam tuam in his ingentibus ærumnis ac periculis, ac prohibe ne impeditis pijs studijs puritas tui verbi opinionum humanarum sordibus inquinata deleatur. Sed adiuua vt syncera doctri-

na propagari ad posteritatem possit, vt relinquatur inter nos tibi sanctum semẽ quod te agnoscat, & in æternitate cum æterno patre tuo & spiritu sancto celebret. Amen Amen. xxiij. Octobris. Anno. 1547.

RECTOR ACADEMIAE. VITEBERGENSIS.

55

VIR honestus & eruditus Ioannes Sens Naoburgensis, qui recens in schola Lubecensi vtiliter erudijt iuuentutem, cum in multis, Academijs antea fuisset, & perlustratis multis regionibus non tantum multorum hominum vrbes vidisset, sed etiam mores, ac studia cognouisset, nuper huc venit ex patria ægrotus. is hac nocte cum animam filio Dei pie commendasses, decessit. Vt autem funeris cæremonię vsitato Ecclesiæ more fiant, hortamur scholasticos, vt hora iiij. ante ædes ioseph Typographi cõueniant, Cum autem hos congressus in Ecclesia institutos esse sciant, vt

cõmonefacti morte aliorum cogitemꝰ de cauſis mortis, & aliarum calamitatũ de noſtra immortalitate, de iudicio Dei & de filio Dei, domino noſtro Ieſu Chriſto, vt ſeruet Eccleſiæ ſuæ bona ingenia & aliquod ſanctũ ſemen. Ac nũc tẽpora nos exuſcitent vt vota faciamus ardẽtiꝰ. Minitantur horribiles motus nõ ſolũ diſcordiæ in Rebp:, ſed etiam ipſæ Eclipſes, quarum illa in qua Sol menſe Nouembri obſcurabitur, ingentes tumultus proximo anno denunciat, quia in illis tenebris cum congreſsus fiat Solis, Lunæ, Martis, Veneris, Mercurij in Scorpio, faſtigium cæli tenente, dira venena miſcentur. Petamus autem à Deo mitigationem pœnarum, & vt fiat ardentior precatio, mores ſint modeſtiores, xxiiij. Octobris. Anno.

1 5 4 7.

IOHANNES BVGENHAGEN. POM. DOCTOR.

56 + HODIE hora tertia incipiã prælegere Ionam Prophetam, in quo diſcemus illud

illud psal. 51. Ecce enim veritatem dilexisti quæ est in occulto, & occultam sapientiam tuam manifestas mihi. Christus suo spiritu adsit nobis.

PHILIPPVS MELANTHON.

57
+

Οἱ θνατοὶ πελόμεθα τοῦ ἄυριον ὄκ εσόρεσθαι inquit Theocritus, humana sapientia non omnes casus prospici posse. Nosq; homines esse meminerimus, & imbecillitatem nostram agnoscamus, ac à Deo gubernationem petamus, vt mandatum est, Iacta curam tuam in Deum & ipse te sustentabit. Etsi igitur nescimus quam diu concessurus sit Deus halcyonia nostris studijs qualiacunq;, tamen interea non abijciamus literas.

Rogatus sum à quibusdam, vt Salomonis prouerbia die Saturni enarrem. Liber plenus est dulcissimarum sententiarum

sententiarum de omnibus vitæ partib⁹ & doctrinam multiplicē continet. Cras igitur Deo iuuante hora nona inchoabo eam enarrationem. Die iiii. Nouembris, Anno. 1 5 4 7.

IACOBVS MILICHIVS DOCTOR.

58

ETSI dulciora sunt studia doctrinæ tranquillis temporibus, tamen cum ars medica omnibus tēporibus necessaria sit, nunquam studia eius abijcienda sunt. Imò sæpe noua remedia in ipsis castris reperta sunt. Vt scribunt Alexandro in somno monstratam esse herbam, medentem vulneribus, quę sagittis venenatis facta erant, Significandum igitur duxi studiosis artis Medicæ, me & Galeni librum de mòrbis, & symptomatibus enarraturum, & biduo in septimana traditurū artis epitomen in qua doctrinæ partem complecti necesse erit, eam, cuius maximus vsus est, & quæ vitæ humanæ præsidium est. Oro autem Deum vitæ & artis autorem, vt & pacem

cem ſtudijs concedat, & in docendo diſcendo & meditando nos adiuuet. Et doctrinam vtiliſsimam vitæ monſtratã ab ipſo & teſtificantẽ Deo cure eſſe genus humanum non ſinat interire. Cras igitur Deo iuuante hora iiij. in meis ædibus inchoabo epitomẽ Ad diem Iouis libros Galeni de morbis, & ſymptomatibus Græce. vi. Nouembris.

SEBASTIANVS THEODORICVS.

QVOD fauſtum & fælix ſit enarrabo in prælectione publica mihi cõmendato librum de anima editum ante annos aliquot in hac Academia, qui magnam phyſices partem repetit, & illuſtrat, & multa cõtinet profutura in alijs artibus ac præcipue in doctrina Eccleſiæ. Multum etiam ad tuendam valetudinẽ conducunt. Et cõſideratio ipſa ſeu quaſiscunq; aſpectio naturæ dulcis & perliberalis & homine ingenioſo digniſsima eſt. In qua & hoc conſiderandũ eſt Deũ velle aſpici artem qua condita eſt hominum

num natura, vt inde ſumamus euiden-
tia teſtimonia quæ oſtendunt hanc na-
turam rerum non extitiſſe caſu, vulq;
hanc conſiderationem opificij ſui moni-
tricem eſſe de diuina natura.

In omni inuocatione neceſſe eſt nos
cogitare, nos inuocare Deũ, qui ſit mẽs
intelligens, ſapiens, bona, iuſta, caſta, be-
nefica, miſericors. Horum nihil cogi-
tari poteſt quid ſit aut quale ſit niſi hũc
typum vtcũq; conſideremus ſcilicet ani-
mam humanam, quę eſt mens intelli-
gens & ita conditavt ęterno & immoto
ſepto diſtra-hat honeſta a turpitudine,
quod ſeptũ ideo cõditũ eſt, vt diſcerna-
mus Deum a malis & inceſtis naturis.
Sed omitto præconia huius doctrinæ
quia nullius hominis tanta eſt eloquen-
tia, vt vel enumerare vtilitates poſsit,
quas adfert hæc doctrina. tametſi velut
per caliginẽ in hac vita res tantæ foris
tantum, & procul aſpiciuntur, ſed præ-
parari tamen Deus nos vult hac cõſide-
ratione ad illam alteram ſecuturam in
conſuetudine cœleſti illuſtriorem. Auſ-
ſpicabor autem die Iouis hora xij De

DE DVABVS ECLIPSIBVS, quarum altera Lunæ erit die Octobris xxviij. altera Solis dira & horrenda die Nouembris duodecimo, huius anni 1547.

CERTA Deus toti impressit vestigia Mundo
Agnosci sapiens conditor vnde queat.
Nec natas casu res esse ars indicat ipsa,
Stellarum motus, quæ regit atq; vias.
Esse Deumq; docet mentis lux insita nostræ,
Separat a factis quæ, vicioſa bonis,
Cõscia corda Dei cũ iustã vindicis iram
Quolibet admisso crimine mœsta tremunt.
Et semper culpam pœnæ commitantur atrocem,
Et si sera, tamen premia laudis erũt.
Nõ vrbs, nõ regio, non ætas vlla seueri
Judicij exemplis, non domꝰ vlla caret.
Ac Deus vt flectat nos ad meliora, stupendis
Incautos

Incautos ſignis premonet ipſe datis.
Sepe timent aliquem conterrita ſidera ca-
(ſum.
Sepe ingens tellus ceu ruitura tremit,
At quem nulla mouent venturę nuncia
pœnæ,
Cyclopum ſimilis forſitan eſſe volent,
Sponſi Penelopes minitantia numina ri-
dent,
Cũ cernunt tota triſtia ſpectra domo,
Cũq; madent tetro ſudantia ſaxa cruore,
Et ſubita Phœbũ Cynthia nocte tegit,
Mox tamen hunc riſum Sardoum pœ-
na ſecuta eſt,
Qualis contempti numinis eſſe ſolet.
Nos igitur moniti tollamus lumina ad
aſtra
Non aſpernantes ſigna verenda Dei,
Heſperias Phœbum cum cras mergetur
in vndas,
Luna tenebroſum proferet atra caput.
Poſtque dies aliqnot cũ iam decreuerit
orbis,
Venit & ad fines Scorpio Luna tuos.
Horranda inuoluet fratris caligine uult?
Cũ iam de cœli culmine ducet equos.

Et ſimul in tenebras incurrẽt Marsq; Venuſq;,
Callidus & fraudum ſtructor Atlantiades,
Hei mihi quos motus populi, quantoſq; furores
Portendunt tetro ſidera iuncta loco?
Hæc licet aſtra regant homines, regit attamen Aſtra
Noſter qui non vult ſtoicus eſſe Deus
Nos igitur quibus eſt afflicta Eccleſia curæ,
Aſsidue oremus ſupplice voce Deum
Leniat vt clemens hæc tanta pericula nobis,
Et ſanet populi vulnera ſæua ſui.

DE ECLIPSI SOLIS, FVTVRA DIE NOVEMBRIS DVODECIMO.

Anno. 1547.

INDIGNVM est hominum celo lugente furores,
Non homines propriis ingemisse malis.
Nam si fata Deus differt, non protinus auffert
Si qua ruit sero, vasta procella ruit
Penelopes risere proci non irrita signa.
Signa sed exitium præmonitura sequens,
Tristia cum noctu discurrunt spectra per aulam,
Lapsaq; de Pario marmore gutta rubet:
Solis & obscura subito terrugine tincti
Decidere effusis temo videtur equis:
Illis ergo comes paulo post flebile fatum
Sardoi risus, luxuriæq; fuit
Finxerit hæc sane non hos male pinxit Homerus
Pro stulta pœnas impietate clare,

Nos igitur moniti metuamus numinis iram
Euentura monent sidera si qua momonent:
Ac si quæ fuit, vt certe fuit hactenus ingens *
Flamma, secuturę prima fauilla fuit.
Quadriiuges etenim cœli de culmine ducens
(Quando bis orta dies sexta Nouẽbris erit)
Amittet radios Titan, & lumine cassum
Terribili fratrem Cynthia nocte teget.
Nulla diu tenebris luxerunt sidera tantis,
Nulla diu infecit tristior vmbra polũ,
Non funesta adeo spectacula prębuit orbi
Delius hoc æuo, quod meminisse potes.
Tempore quo Synodus certamina finijt orta,

Quæ cœca fuerant ambitione Patrũ
Hic vbi Bodamici velox per limpida (ſtagna
Ceruleas gaudet voluere Rhenus (aquas.
Agmine tunc etiam comitum ſtipatus eodem,
Phœb. in atratis decolor ibat equis
Hunc Gemini,& Maia genitum, Mar temq; vehebant,
Qui gladios acuit Ciſca Boheme (tuos:
Hinc animoſa ſuas acies Germania cedi,
Vidit, & Italiæ ſanguine fluxit a- ger,
Nunc etiam iuncti Phebo quaſi funera ducent.
Qui proprijs rapido motibus axe meant,
Dira veneniferæ qua Scorpio ſpicula caudæ
Vibrat, in octauæ nigra feretra domus.
Contigui Venerem ledunt contagia Martis,
Vẽtilat accẽſas ferreus ille faces, Cui

Cui vafer ingenij Cyllenius arma ministrat,
Vi dolos, atq; dolo vis geminata furit:
Vt cum sulphurei rapit ignem copia nitri,
Horribiles edunt fulmina tanta sonos.
Ergo velut gessit tunc acre Bohemia bellum,
Doctoris cineres fortiter vlta sui.
Sic iterũ clades portendunt astra cruentas:
Non plus fata tamen quam pia vota valent.
Orandus Deus est, vt Christi propter honorem,
Pro scelere humano supplicis ante patrem,
Membra tegat cœtus parui sua dicta colentis,
Et regat afflatu pectora docta suo,
Concedat studijs pacem, concedat & aris,
Leniat ærumnas liberet àq; malo,

OVTINAM ſtudiũ Deus vt probat ęquus honeſtũ
Sic referat Muſis ocia grata bonis,
Sicut & Halcyoni tempus modo mitius inſtat
Sic placidos nobis det quoq; bruma dies,
Vt pax cõcedat doctrinæ ſemina ſpargi
Artibus & fingi corda tenella ſinat,
Nam quamuis ætas Muſis hei ferrea noſtra eſt
Et ſpretæ Leges iam ſine honore iacent,
In tamen hiſce malis nullum ſperare leuamẽ
Nec fas nec pietas nec Deus ipſe ſinit,
Totius ipſa licetlabatur machina mũdi
Et polus in partes ſidat vterq; ſuas,
Non linquere tamen Chriſto ſacrata iuuentus
Irritus in ſtudijs nec labor vllꝰ erit
Quo

Quo magís inceptos curſus vrgere memento,
Ingenio vt releues publica damna tuo.
Ipſe quoque vt mœſtas hac tempeſtate Camœnas
Qua ſaltem potero ſedulitate iuuẽ uem,
Quos nato Tulli ſolers induſtria ſcripſit,
De virtute libros officijſq; legam.
Officijſq; exempla bonis bona ſemper vt adſint
Ad iungam Iliados grande Maronís opus.
In quo deletæ reparantur mœnia Troiæ
Exiguo Auſoniæ condita parua loco.
Sic vtinam inſtaurent noſtram minus aſpera Troiam
Fata, ſua lenit quæ bone, tate Deus.

Anno. 1 5 4 7.

Anno

Anno. 1547. Die. 25. Nouembris, quæ fuit dies Enceniorum templi Ieroſolymæ, quia Macabeus eo die ante annos. 1709. templum recuperauit & repurgauit, quo anno & Iubileus fuit, videlicet, anno â Mundi initio. 3800. Teſtatur autem & ipſum exemplum recuperati templi, non deſeri Eccleſiam â Deo, etiamſi ſæpe duriter exercetur. Anno. 1547.

DE CANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHICAE.

63

ETSI in tantis Germaniæ motibus in qua certum eſt hoſpicia eſſe Eccleſiæ Dei, horribiles terrores nobis propoſitos eſſe cernimus, & multa pericula interitum Eccleſiæ Dei, & literis minitantur, tamen hac nos conſolatione ſuſtentemus, quod promiſit Deus, ſuæ gloriæ ſe non defuturum eſſe Propter nomen meum, inquit, remouebo furorem meum propter me. propter me faciam, ne mea gloria blaſphemijs

blaſphemijs obruatur. Hanc promiſ-
ſionem & ſimiles infigamus animis,
eaſq; ad nos ipſos pertinere ſciamus,
tantiſper donec ipſi ſtudia veræ doctri
nę modeſte colimus, & vera inuoca-
tione, veris gemitibus petimus, vt no-
ſtri cœtus propter gloriam Dei ſeruẽ-
tur. Mecum igitur coniunctis votis
ſinguli orate Deum, ne lucem doctri-
næ inter nos extingui ſinat. Propter
te æterne Deus, Pater Domini noſtri
Ieſu Chriſti conditor humani generis
& Eccleſię tuæ, fons ſapientiæ, prop-
ter tuam gloriam ſeruato cœtus do-
centium, & diſcentium in hoc oppido,
tu guberna ſtudia noſtra, vt te vere
celebrent, Tu ſemina doctrinæ, quæ
ipſe ſparſiſti & excitaſti foueto. Acce-
dant autem ad hanc precationem, dili-
gentia regendorum morum, & diſcen-
di cura. Laudat enim Deus non igna-
uum ſeruum, ſed negociantem, nec ig-
nauas preces exaudit, ſed eorum vota,
qui ſuo ſtudio oſtendunt, ſe vere ap-
petere ea bona quorum mentionem
faciunt. Et recte dictum eſt â Baſilio

μόναν βέλτιστον καὶ δεῖ πρὸ παντός.

Cum autem propter examina vtile sit seruari morem decernendorum graduum, duxi auditoribus nostris voluntatem Collegij nostri significandam esse, nos honestis & doctrina mediocriter instructis, petituris hoc tempore gradum Magisterij Philosophici non defuturos esse. Nomina igitur dent Decano hoc triduo. Anno.

1548

PHILIPPVS MELANTHON.

64 SICVT consuetudo fuit, partiri τὰς διημερομάδας. Ita deinceps biduum tribuam repetitioni dialectices, & libello vulgari Horatij de arte poetica. Quia cõmunes quasdam regulas continet, vtcunq; commonefaciunt qua discentes & scribentes de ordine & discriminibus personarum, & aliarum circumstantiarum seruandis. Proximo igitur die, Lunæ Deo iuuante incipiam

incipiam repetitione Dialectices. Et eadem hora vt eruditiores aliquod habeant exercitium adiungam interpretationem organi grece scripti vbi videbunt studiosi non spinosam esse Aristotelis Dialecticen, cum autorem ipsum legent. Sed spinas longis & intricatis expositionibus aliunde iectas esse. Erit igitur interpretatio simplex & plena. Proprietas verborum sæpe occasionē præbet interpreti dicendi de aliquo vocabulo quod magnam lucem textui adfert. Anno. 1 5 5 &.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI. 65

CRAS deo iuuante in publico examine eruditio eorum qui nunc testimonium de studijs suis petunt explorabitur. Cum autem inspicere studia iuuentutis honestissimum sit: oro & illos quibus gubernatio studiorum commendata est, & cæteros qui Philosophiam amant, vt ad id examen veniant

niant: Etsi autem hi congressus tranquillis temporibus iucundiores sunt: tamen cum sciamus Ecclesiam Dei nõ interituram esse, non sunt exercitia doctrinæ prorsus omittenda. Et alia qua dolorum leuatio est, eruditorum sermonum de rebus optimis communicatio, quam si quis sua causa non expetit: tamen virtus est velle alijs hoc officij genere lenire mesticiam. Conspectus enim & oratio eorum quorum similis est fortuna, aliqua est leuatio dolorum. Vt in illis dulcissimis versibus dicitur

γερων γέροντα γλῶτταν ἰδίσκῃ ἔχθ,
παῖσ παιδί καὶ γυναικὶ πρόσφορον γύνη,
Νοσῶντ' ἀνὴρ νοσοῦντι καὶ δυσπραξία,
λύφθεις, ἐπωδὸν ὅστις τῷ πεπονθότι.

DEVM autem æternum patrem Domini nostri Iesu Christi conditorem generis humani & Ecclesiæ suæ oramus, vt & Ecclesiam regat, & lumen doctrinę non sinat extingui. xix. Ianuarij. 1548.

Decanus

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI LECTORIBVS. S.D.

ECCLESIA Dei inter imperiorũ tumultus vt cymba in fluctibus iactatur, vt sæpe significant imagines in Euangelio propositæ, & quę sit causa tantarum calamitatum generis humani, cælestis doctrina exponit. Cum autem inter ipsa pericula seruet Deus Ecclesiam suam, nequaquam vult nos studia doctrinę abijcere propter temporum difficultates, imo tunc & remedia a doctrina petere, & cogitatione promissionis diuinæ accendere vota iubet, & vult maiore cura propagari doctrinam vt ad posteros perueniat. Et pollicetur labores nostros non fore inutiles, ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ, q. d. Etiamsi hominum iudicijs studia sunt intempestiua & inutilia, tamen Deo curæ erit, vt sint salutaria. Cum igitur hæ veræ causæ nos moueant, ne exercitia literaria omittamus, & constet de rebus optimis

mis tradi doctrinam a nobis mediocri diligentia, scilicet perspicuam & incorruptam sententiam cœlestis doctrinę & Philosophiam, speramus bonos viros probaturos esse hanc nostram sedulitatem. Deum certe votis ardentibus oramus, & vt seruet Ecclesiam suam, & vt medeatur communibus miseriis. Rectius est autē in his tantis calamitatibus a Deo opem petere, & cogitatione doctrinæ dolores lenire, quam vel irasci Deo & maledicere hominibus, vel abiectis doctrinæ studijs frustra tumultuari, & cumulare publica & priuata mala, cum quidem & sapientes viri apud Ethnicos docuerint arte ferendas esse res aduersas, ne maiora mala accersat indignatio, iuxta hos versiculos.

μὴ μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου πράγματι
κρείσσονας ἑτέρους. τόνδ' ἀναγκαίους φέρε.

Itaq; quod faustum & fælix sit Deo iuuante

iuuãte proximo die ſeptimo Februarij teſtimonia ſtudiorum tríbuemus aliquot honeſtis vtris, eiſq; vſitato more decernemus gradum Magiſterij Philoſophici, ac Deum oramus, vt & horum ſtudia, & nos et Eccleſiam huius oppidi clementer regat, & cuſtodiat hæc tuguriola in quibus & doctrina propagatur, & vota offeruntur, filio, Domino noſtro Ieſu Chriſto crucifixo pro nobis & reſuſcitato, vt ipſe cum ſit ἱκέτης καὶ μεσίτης pro nobis perferat ea ad æternum patrem, vt in noſtro cœtu eti am collegta- tur & con- ſeruetur vera Ec cleſia.

Die Februarij. v Anno 1548.

IN THEORICAS PLANETARVM

Vtinam

67
+

VTINAM, vt cum, Græcis oraculum respondisset, tunc pacem fore, cum aram cubicam in Delo duplicassent, sapientes interpretes moneri eos iudicarunt, ita fore pacem, si Philosophiam colerent. Ita & nostris temporibus mitia studia Philosophiæ, quæ mentes ad moderationẽ, & ad amandam tranquillitatem, ac populi salutem tuendam flectit, pacem restituerent. Ac profecto Reipublicæ vtile esset non aspernari Gubernatores hanc præsertim partem Philosophiæ quam nos docemus. Sed verus autor pacis Deus est, ab hoc petamus, vt propter Religionis, Legum, & disciplinæ cõseruationem, & propter educationem honestam puericiæ reddat his regionibus tranquillitatem. Quod quidem, vt faciat Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, toto eum pectore oro. Cum autẽ hæc interualla mediocria, & quasi Halcyonia non alia in re honestius, aut vtilius collocari possint, quam in doctrinæ studijs, de creui pro mea virili aliquid operæ ad iuuanda

iuuanda studia Philosophię conferre. Et cras hora secunda inchoabo Theoricas. Scitis doctrinam de motibus cœlestibus non solum dulcem esse bonis mentibus, sed etiam vitæ hominum necessariam, quia anni descriptione carere nõ possumus. Cumq; Deus ita instituerit motus, vt sint anni metæ, vult certe aspici cœlum, vult has metas obseruari. Quare hęc doctrina nullo modo negligenda est, Vetus est versus, quem vsurparũt aliqui de dignitate considerationis motuum cœlestium, quem adscribam, vt quanquam multæ sunt grauissimę causæ in quib⁹ huius Philosophiæ dignitas & vtilitas conspici possunt, tamen & hic breuis versiculus de præstãtia eius studios os admoneat,

ἔστα βλέπων κάλλιον ἀνθρώποις πέλει.

die Decẽbris xviij Anno 1547.

Erasmus Reinholdus
Saluelden sis.

RECTOR ACADEMIAE
VITEBERGENSIS.

DVAS honestissimas matronas, pietate pudicicia, & cæteris virtutibus omnibus, quæ in matre familias requiruntur, excellentes, recens amisit hoc oppidum, nuper honestissimam coniugem viri clarissimi Doctoris Benedicti Pauli, hac nocte vero, honestissimam coniugem viri honesti Domini Ambrosij Reiter consulis huius oppidi, VValpurgam, natam in familia Reinekorum, cuius virtus & auctoritas, in Comitatu Mansfeldensi valde celebratur, Mater eius soror fuit viri excellentis omnium virtutum laude, Ioannis Reinek. Fuit igitur hæc ipsa mulier vere, quod græci dicunt. ταμὲν ὁρᾶσεται ὅτι γενναία γυνὴ. Cum autem & sanctissime vixerit, & in invocatione filij Dei domini nostri Iesu Christi decesserit, ipsa quidem iam & Dei, & domini nostri Iesu Christi, & matris Heuæ, & Mariæ & suorum consuetudine fruitur. Et abducta videtur, ne sit spectatrix impendentium confusionum orbis terrarum. Sicut scriptum est: Iusti colliguntur

colliguntur, ne videant ventura mala: Sed nos futura pericula cogitemus & luctu mariti, & multorum liberorum, qui tali matre orbati sunt, adficiamur, & Deum oremus, vt eos sua consolatione sustentet, ac erigat. Ad funus autem, quod fiet hora tertia conuenire omnes pietas hortatur, vt qualicunq; officio luctum mariti & liberorum leuemus, & vt ostendamus nos virtutem matronæ magnifeciſſe, & vt Deum oremus, vt huic oppido, & nobis omnibus pacem restituat, nec accendat totam iram suam, nec deleri sinat reliquias inuocantiũ eum in hoc oppido. Anno 1548. Die duodecimo Ianuarij.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

MVLTAE sunt magnæ causæ, propter quas morte nostrorum dolere nos iustum est, vult enim nos DEVS adfici desiderio nostrorum,

vult nos cogitare, cur genus humanũ, & morte & reliqua mole calamitatum oneratum sit. Sed rursus etiam vult nos moderari dolorem, vult aspicifilium suum DOMINVM NOSTRVM IESVM CHRISTVM crucifixũ pro nobis, & resuscitatum, per quem reddidit æternam vitam. Cumq; pijs sciamus mortem iter esse ad æternam cœlestis Ecclesiæ consuetudinẽ, vult nos cogitatione eius boni lenire mœsticiã, vult & in nobis ipsis, desiderium accendi illius melioris vitæ, in qua dulcissima consuetudine DEI & Domini nostri IESV CHRISTI, & vniuersæ reliquæ Ecclesiæ fruemur, vbi te filius DEI ipse cõplectetur, vbi suauissimi sermones erunt, de sapientia & iustitia Dei, cum Angelis, cum Prophetis & Apostolis, Hæc cum in funeribus, cum vero alias sæpe cogitanda sunt. Ac hodie funus fiet honestissimæ matronæ Dorotheę, quæ fuit coniunx honesti & integri viri Gregorij Pontani, ad quod hora duodecima conuenire Doctores, Magistros,

gistros,& Scholasticos volumus. Sunt enim ritus funerum pie seruandi. Et ostendamus nos adfici luctu familiæ honestissimæ. Scitis enim virum clarissimum patrem Gregorium Pontanum, cuius & sapientia & virtus est excellens longo tempore magna fide sustinuisse molem gubernationis, ac benefecisse Ecclesijs & Reipub. Etsi autem & ipsi & filio præcipue leniet dolorem cogitatio pietatis, quę fulsit in moribus huius matronę in tota vita,& iam in hoc agone, in quo perspicua confessione veræ Doctrinæ,& ardẽti inuocatione filij Dei, ex hac mortali vita discessit, tamen & pericula talia impendent, vt qui nunc moriuntur præstipi videantur, ne spectatores sint horribilium tumultuum, quos secuturos esse multæ sunt coniecturæ, non solum ex Astris & prodigijs, sed etiam ex ipsis adparatibus & animorum incendijs, & tamen prodigia etiam passim conspiciuntur.

Viri digni fide nobis significarunt

ex diuersis locis, in Saxonia conspectos esse in aere dimicantes exercitus. Talia signa non sunt irrita, Quare Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi oremus, vt mitiget pœnas, & seruet inter nos reliquias Ecclesiæ suæ, sicut inter horribiles tumultus Iudeæ, vltimis regni temporibus seruauit Zachariam, Elisabet, Simeonem, Annam, Mariam & alios electos innumerabiles, quos cum in tantis furoribus fere quotidie multa milia trucidarentur. & vbique vagarentur milites, cogerent etiam superstites vesci coctis interfectorum carnibus, seruatos esse cernimus, speremus Deum mirabiliter nunc quoq; suos aliquos cœtus, in quibus sonat vox Euangelij, seruaturum esse, & vt seruet, toto eum pectore oramus. Die Februarii xx,

1548.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

Apud

APVD Esaiam scriptum est: vti-nam auscultasses mandatis meis, quod si fecisses pax uelut flumen rigasset terram vestram. Non dubium est ad nos quoq; hanc contionem pertinere. fatendum est enim nec gubernatores in agenda disciplina satis seueros fuisse, nec modestiam prestitisse iuniores quæ decuerat eos, & quam poterant prestare. Nunc dolemus aliquos similem sibi licentiam,, vt antea sumere, qua in re vt cogitent & de suo & de communi huius oppidi & harum gentium periculo, commonefaciendos eos esse hoc edicto duximus. Cum in oppido sint & milites & alij peregrini, nocturnæ vociferationes & discursationes plenæ sunt periculi. Quare præcipimus scholasticis ne noctu sine lychnis vagentur, & ne vociferationibus irritent vel hospites, vel alios. Ipsa per se petulantia turpis est & digna pæna. Sed nunc propter mutas causas periculosior est quam fuit antea tranquillis temporibus. Ideo seueriſsime præcipimus vt

& modestiores sint scholastici, & vt pacis publicæ & suæ incolumitatis causa uitent omnes tumultuum occasiones. Datæ iij. Februarij. Anno 1548.

VITVS VVINSEMIVS.

LEX attica fuit honestima μὴ ψευδῆ ἐν ἀγορᾷ videlicet vt in cõtractibꝰ & Iudicijs fides pactorũ seruaretur. Sed multo sanctius mandatum est, μὴ ψευδῆ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ne cœlestis doctrina corrũpatur. Sed serit omnibus tẽporibus inde usq; ab initio generis humani diabolus horribiles corruptelas doctrinę. Oremus autẽ deum vt & lucem suę doctrine & pacem harum Regionum tueatur. Enarrabo autem nũc Philoctetẽ, Tragediam inter omnes Sophoclis quę extantij iucundissimam. In qua cum aliæ multæ sunt imagines, tum initio deliberatio est mirifica generosi adolescentis, nati ex Achille, cui Vlisses persuadet, vt contra patris & suam naturam adduci se sinat.

ſinat, vt aliud ſimulet aliud agat, & obtemperat initio Pyrrhus, ſed tandē vincit naturæ rectitudo, vt fraudem detegat Pyrrhus, cum quidem ipſe dicat omnia difficilia eſſe quæ contra naturam conemur. Deinde imago proponitur viri magni. Sed in quo moroſitas & pertinatia pene ferrea eſt. Sed tā dē flectur diuinit⁹ ad vtilitatem cōmunem, Illa autem ſunt eruditiſsima & dulciſsima quod Troiā ſine telis Herculis capi nō potuiſſe ibi ſcribitur, qua re ſignificatum eſt, magnas res non poſſe perfici ſine heroica vel virtute vel fortuna, vt inter enarrandum copioſius dicemus. Deinde finis eſt dulciſsimus, vbi Hercules hortatur duces vt ſint cōcordes, & vt templis parcant, & promittit eis fœlicitatem, ſi templis & religionibus parcant quod vtinam nunc quoq; fiat ac addit ſententiam ſuę orationi Hercules grauiſſimam, ἦμαρ εὐσεβεία συμβιώσεται ἑρατοῖσι καὶ ζῶσι καὶ θάνωσι, ὅκ ἀπόλλυται. Auſpicabimur autem auxiliante deo cras hora octaua v. Februarij. Anno. 1548.

DE ECLIPSI LVNAE, QVAE ERIT DIE XXII. APRILIS Anno. XLVIII.

72

VT Solymi quondam flammantia in aere caſtro,
Videre & medio prelia facta die:
Terribileſq; tubæ cœlo ſonuere, priuſquam
Illata in Templũ ſunt ſimulacra dei.
Agmina ſic inter rutilas equitantia nubes
Vidimus hoc anno conſeruiſſe manus.
Vidimus infeſtis acies cõcurrere telis,
Sæpe faces liquidum qua per inane volant.
Vidimus & Phœbi tubar eluctantis ab Arcto,
Dum vigil excubias nocte ſatelles agit.
In ſpeciem teretis conuerti protinus haſtę,
Imbuta Hectoreo ſanguine qualis erat.

Nunc

Nunc alio ſigno Deus impia pectora tere t,
Pectora prodigijs non habitura fidē
Tot Veneris reliquas noctes vbi menſis habebìt,
Cnoſsia quot ſtellis cincta corona micat.
Et decimam noctis quando numerabimus horam,
Sirius & ſitiens pene ſubibit aquas,
Quæ fulgere ſolet radijs argentea puris.
In ferrugineis Luna rubebit equis.
Scorpius implicitam piceis hanc efferet umbris,
Qua patet vndecimæ ſplendida valua domus.
Falciger at primo Saturnus cardine ſurgens,
Et toruum ſtimulis ægocerota ciēs.
Gentibus arctois denunciat horrida bella,
Quarum fœcundos irrigat Albis agros,
Aſpicit oppreſsi Iouis ora minaciter idem

Sede

Sede iacens ima Iuppiter ora tegit.
Te memorant veteres astris Capri-
corne receptum,
Impositum postquam Pelion Ossa
tulit.
Scilicet extructis ad sidera montibus
ausos,
Vim serpentipedes Discq; parare ne
cem.
Pana sed in falso tunc ægocerote la-
tem,
Vertisse in trepidam grandia mon-
stra fugam.
Implicitum laqueis dirūq; hęsisse Ty-
phona.
Cœlum pro meritis hinc Capricor
nus habet.
Prędia nunc etiam metuo ventura gi-
gantum.
Iuppiter oppressos terga dabitq; fu-
gæ.
Atq; aliquis cui nascenti sua spicula vi
brat.
Scorpius in cœlo culmina summa
tenens:
Quamuis

Quamuis est Ithaco sapientior, haud tamen huius,
Effugiet noctis damna futura brevi.
Sed tu gnate Dei vindex custosq; fidelis
Agminis exigui, quod tua dicta colit,
Fata leues, studijsq; tuis seruato dicatos,
Ex ore infantum vt laus tua vera sonet.

Anno. 1547.

Caspar Cruciger Iunior.

PHILIPPVS MELANTHON.

73

HODIE non legam, sed cras Deo iuuante rursus enarrabo sentẽtias Salamonis. Deinde die Lunę hora nona

na prelecturus sum, Nam prandij horam differendam esse, & lectores & Senatores censuerunt, Quia studijs & precationi antemeridiana tempora magis idonea sunt. Et veteres a matutinis negocijs circa meridiem ad precationem publicam conueniebant, vt Iosephus de Esseis scribit. Ac mora hæc conuenientior est œconomicis operis in culina.

1548

74

PHILIPPVS MELANTHON.

APVD Thucydidem libro iiij. inquit Hermocrates dux Syracusanus, cuius sapientia & moderatio in primis profuit patriæ. Non turpe est, cedere amicos amicis nec duci mentes oportere stultæ contentionis amore. Οὐκ αἶσχρον ὁμοίως ὁμοίοις χωρεῖν καὶ μὴ δεῖ μωρίᾳ φιλονικίᾳ νικᾶν. Itaq; cum audiuissem adolescentibus ingratam esse mutationem horæ prandij quam nuper significaui, cessi

cessi de mea sententia: Nam in talibus officiosum est aliorum voluntati morem gerere. Ideo hodie. & deinceps deo iuuante prælegam hora viij. vt fuit consuetudo superiorum annorum.

IN EVCLIDEM.

DE signis tempestatum hi sunt apud Aratum dulcissimi versus.

πάντα γαὺρ οὔπω
ἐκ διός ἀνθρώποι γινώσκομεν, ἀλλ' ἔτι πολλὰ
κέκρυπται, τῶν αἴκε θέλῃ ἠὲ ἐς ἀὔριον, ἠὲ
ἔπειτα
ζεὺς ὁ γὰρ οὔπω γενεὴν ἀνδρῶν ἀναφανδόν
ὀφέλλει
πάντοθεν εἰδόμεν Θ', πάντη δ' ὀγε σήματα
φαίνων. id est,

Mortales nondum deprendimus omnia signa,
Quæ Deus impressit naturæ conditor arte.

sed

Sed nos multa latent, quæ nondum comperit vſus
Quorum aliqua oſtendet venturis Iupiter annis.
Qui genus humanum cum vere diligat, augens
Muneribus varijs toto ſe monſtrat in orbe.
Vt quoties oculis incurrunt vndiq; noſtris,
Eſſe Deũ doceant veſtigia talia, nosq;
Eſſe ipſi curæ monitos teſtẽtur, & ipſum
Agnoſcant noſtræ mentes, lucemq; ſequantur
Iuſticiæ, quam noſtra opifex in pectora ſparſit.

Vt autem non ſemper tempeſtates proſpici poſſunt ita nec alij euentus omnes proſpiciuntur. Et tamen multa, vt tempeſtatum, ita multorum euentuum ſigna Deus naturæ impreſsit. Et impreſsit ideo, vt ſint teſtimonia hunc mundum non caſu extitiſſe, nec volui caſu, ſed a mente architectatrice

trice conditum esse & gubernari. Fata igitur multarum rerum in cœlo picta sunt, quorum consideratio ad vitam ad frenandos multos cœcos impetus vtilis est. Et iucunda est hæc consideratio bonis mentibus, quæ eam ad virtutem referunt. Sed intelligi motus cœlestes, sine Arithmetica & Geometrica non possunt.

Has duas artes, inquit Plato, alas esse diuinitus additas humanis mentibus, vt vectæ in cœlum intelligere motus possint. Quare & Arithmetica assidue repetitur, & Euclides studiose narratur.

Cum autem in hac tanta tristicia temporum propter has ipsas causas, hæc studia magis colenda sint. Primū posteritatis causa ne ipsæ artes intereant, & barbaries sequatur ignara motuum cœlestium, nec metiendi, nec animi rationem intelligens. Deinde nostra causa, vt hæc Philosophia mœsticiam leniat, Nam & aspecto naturæ per

sese delectat, & nos de Deo commonefacit, Et regi aliquo periculo consilio possunt, cum significationes animadvertuntur. Ideo totum hoc genus studiorum auidius hoc tempore adpetendum est. Rursus igitur inchoabo enarrationem Euclidis, quod eo publice significo, quia intuitare quam plurimos ad artes necessarias discendas cupio. Nam motuum doctrina sine Geometria nullo modo intelligi potest. Siquis autem non vmbram doctrinae, sed solidam Philosophiae cognitionem expetit, huic doctrina de coelestibus motibus nequaquam negligenda est, qua in hac mortali vita, in huius vitae sapientia, quantulacunq; est, nihil cogitari dulcius potest.

Erasmus Reinholdus Saluelden sis

RECTOR ACADEMIAE VITEBBERGENSIS.

VIR medicus multis alijs præstantior vnus, inquit Homerus. Talem quidem fuisse Medicum, eruditione, industria, fide, sagacitate, & experientia excellentem, virum clarissimũ Doctorem Augustinum Schurff. multi experti fœlicem ipsius medicationem & digni fide norunt & prædicant. Erant autem & aliæ in eo virtutes omnes, bono & graui viro conuenientes, agnitio & timor Dei, iusticia in omni officio, prudentia in gubernatione domestica & publica. Præcipuũ autem in toto genere humano decus est, coniunctio virtutum, cum cognitione naturæ rerum, præsertim non ociosa, sed quæ ad cæteros homines iuuãdos refertur: quod fiebat ab hoc viro: qui & in medicando erat officiosus, ac multis opem tulit in magnis vitę periculis, & multum posteritati profuit in artis propagatione. Mirifica enim eius in docendo dexteritas fuit, ac vere de eo dici potest, quod Plato de Lysia inquit; Philosophiam ipsius naturæ insitam fuisse. Etsi igitur dubitare non

 debemus,

debemus, quin beati sint, vt doctrina filij Dei adfirmat, qui in domino moriuntur, & Doctor Augustinus, cum antea pie vixerit, tum vero in hoc extremo agone se Deo quotidie ardentibus votis & precibus, in agnitione & fiducia filij Dei Domini nostri Iesu Christi, commendauerit, ad cœlestiũ consuetudinem discesserit, vbi fruitur sapientia filij Dei, & dulcissimis sermonibus veterũ medicorũ, Ioseph, Esaiæ, & similium de tota rerũ natura, tamen nostra causa doleamus, talem virum ex hac cõsuetudine nostra abductum esse, qui diutius reipub. prodesse poterat. Res ostendit, cum tam multi tristes euentus concurrant his annis, fato singulari vrgeri rempub. quod vt mitiget filius Dei, qui ne totum genus humanum periret victima pro nobis fieri voluit, oramus. Hæc in funeribus cogitanda sunt, & serio petendum est, vt Deus in ira, misericordiæ suæ recordetur, & seruet aliquod semen sanctum in his regionibus, vt posteritas Ecclesias & mediocria hospitia

ſpitia habeat, In quibus luceāt noticia filij Dei, & Deus vere inuocetur. Neq; quaq; conſentaneum eſt, genus humanum, in quo lucet agnitio Dei, & magna præſtantia eſt naturæ, tantum ad has ingentes miſerias conditum eſſe & caſu regi ſine Deo. Ideo ipſarum miſeriarum conſideratio nos confirmet, vt vere expectemus aliam vitam, in qua Dei agnitio & cæteræ virtutes, quæ inchoantur in hac imbecilli vita, perficiantur: & ſciamus hanc partem generis humani quæ amplectitur vocem Euangelij, vere preparari ad illū portum, & hanc partem Deo curæ eſſe & inter magna pericula, & inter tetras confuſiones generis humani ſeruari, vt ſint aliqui de Deo teſtes. Huius etiam diei hiſtoria illuſtre teſtimoniū eſt ſecuturæ vitæ, quia magna multitudo Eccleſiæ vidit & filium Dei reſuſcitatum ex morte, aſcendentem in cœlum, & comites alios, qui ex morte reuixerant, qui Apoſtolis & alijs familiares fuerunt, non ſolum vt in illis, ſed potius vt in nobis ſpem & expecta

tionem ſecuturæ vitæ confirmarent. Hac cogitatione etiam nos accendamur ad precationem, ac petamus, vt aliqui cætus ſeruentur, qui fiant heredes illius æternæ cum Deo conſuetudinis. Hortamur igitur Auditores noſtros, vt hodie, hora duodecima, ad funus, & ad precationem communem pro tota Eccleſia, & nobis ipſis, conueniant. Leuent etiam hoc ipſo officio luctum viri clariſsimi, ſapientia, eruditione & virtute preſtantis D. Hieronymi Schurff, Doctoris vtriuſq; Iuris, qui fratrem non ſolum propter naturalem coniunctionem, ſed etiam propter ipſius ingenium, eruditionem & virtutes, valde dilexit. Scitis autem horum duorum virorum & voluntatem erga totam rempub. chriſtianam fuiſſe optimam, & eos bene meritos eſſe de multis honeſtis hominibus. Talium virorum memoria retinenda eſt.

Anno. 1548.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

Honeſta

HONESTA matrona vidua mater consulis Hieronimi krapp, cum pœne .80. annos vixerit, nullum in patria bellũ vidit nisi in hac extrema senecta hoc biennio. Etsi autem multæ & magnæ sunt in vita singulorum ærumnæ, tamen magna leuatio est videre patriam tranquillam, florentẽ Remp. Fælicitas igitur aliqua fuit, quod magnam vitæ partem egit tempore tranquillo & decessit priusquam nouos tumultus videret, quos quidem tanquam præsagiens sæpe in hoc morbo impendere dixit, Deum autẽ in agnitione mediatoris Iesu Christi pie semper inuocauit, & cæteris officijs matronalibus reuerenter coluit pudiciam & modestiam, & erga pauperes adeo benefica fuit, vt de suo victu multa comparcens, miseris mulieribus aut puellis largiretur, decessit autem placide in inuocatione filij Dei domini nostri Iesu Christi, & non solum sese in hoc morbo sed etiã suos & Ecclesiam sæpe deo commendauit. Hortamur autem scholasticos vt ad funus, quod

fiet huic honestę matronę hodie hora xij. conueniant & simul cum alijs vota faciant, vt Deus pacem his regionibus concedat.

RECTOR ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS.

78

BEATI mortui qui in domino moriuntur, inquit doctrina cœlestis, quæ consolatio longe antecellit omnibus consolationibus, quas de morte colligit philosophia. Cum autem Petrus senex, minister Academiæ pie vixerit, & iam ægrotus se assiduis votis filio Dei commendauerit, sperandum est eum ad cœlestem Ecclesiam discessisse. Fiunt autem funerum ceremoniæ, vt nos ipsi commonefaciamus de nostra fragilitate, de causis mortis, de resuscitatione & beneficio filij Dei, qui & hanc vitam prorogat multis, & postea exutis corporibus in vitam reuocat. Et in his congressibus singuli suam vitam & publicum Ecclesiæ statum Deo commendent, ac orent

orent vt Deus seruet semen sanctum in Ecclesiam, seruet bona ingenia profutura communi saluti ne relinquat hominum cætus orbatos bonis gubernatoribus & doctoribus. Ideo hortamur vt ad has ceremonias & conueniatis, & pia vota afferatis. Fiet autem funus Petro qui fuit Academiæ minister amplius 30. annis, hodie hora. 12. Die. vi. Maij. Anno. 1548.

IN PRAELECTIONEM DIOSCORIDIS. 79.

HACTENVS enarraui doctrinã de Anima dulcem & necessariam ordine discentibus. Nunc adiungam alias duas philosophicas materias, quarum cognitio etiam dulcissima est. Die lunę & die Martis singulis septimanis, enarrabo Pontani μετεωρα in quibus luculentę & eruditæ descriptiones sunt, vnde discuntur causæ mixtionum & varię qualitatũ actiones, quarum consideratio & in communi vita vtilis est. Die vero Iouis & Veneris

ris enarrabo dioscoriden vt Herbarū & fruticum appellationes, & naturas aliquo modo discant Iuniores. Nam & herbas ipsas quas gignit hæc regio monstrabo, & nomina vsitata in lingua vernacula addam. Et quidem inchoabo enarrationem à frumentorum appellationibus. Est enim turpis negligentia, horum ipsorum frumentorum & olerum, quib: vescimur, naturas & nomina ignorare. Est autem tota doctrina de stirpibus cum ob alias causas iucunda & vtilis, tū vero ideo etiam digna consideratione quia manifestum testimonium est prouidentiæ diuinæ. Cum enim tanta sit herbarum multitudo, & varietas, & singulis certæ vires inditæ sunt, vt medeantur aliæ aliis morbis, manifestum est hanc naturam rerum, non casu extitisse, sed mentem fuisse Architectatricem quæ fines prospexerit, & vitæ hominum consulere voluerit. Nec dubium est eos qui diligenter vtuntur his auxiliis herbis admodum vulgaribus multos sęcros morbos repel-

lere

lere posse vt ipsi multa exempla vidimus Estq; verissimum dictum Hesiodi vituperantis hominum negligẽtiam, qui non considerant quam multiplex, & magna sit maluę vtilitas.

Anno. 1548.

RECTOR ACADEMIAE VITTENBERGENSIS.

VNIVERSVM mundi opificium, ordo corporum celestium, leges motuum, vices dierum & noctium, æstatis & hyemis, sympathia inferiorũ corporum cum superioribus, denicq; mens hominis, & pœnæ atrocium scelerum præsentes, sunt illustria testimonia, quę ostendunt & esse Deum mentẽ architectatricem, & genus humanum Deo curæ esse. Etsi autẽ vtile est hanc ipsam adsensionem multis argumentis in mentibus confirmare, tamen multo illustrius testimonium est generi humano, quod ostendit vere nos Deo curę esse, quod ex illa arcana

cana sede sua prodijt, & se non fallentibus signis patefecit, & sua voce doctrinam & promissiones edidit. Hoc vero omnium euidentissimum testimonium est veri & mirandi amoris quod filius qui est imago viua æterni Patris, & pro nobis factus est deprecator ἱλασμὸς deriuata in sese ira aduersus nostra delicta, assumpsit humanam naturam. Cuius admirandi consilij causam, etiamsi nulla Creatura penitus perspicere potest, tamen filio cõfirmanti suas conciones resuscitatione mortuorum, credamus docenti & quis sit, & cur tale fœdus cum humana natura fecerit. Eritq; illustrior doctrina cum primorum parentum miserias & consolationem intuebimur, & nos ad illos conferemus. Post lapsum primorum parentum, cum Deus vere irasceretur humano generi, Remoueamus enim a Deo Stoicas imaginationes, ac vere & horribiliter, irasci eum peccatibus sciamus, vere etiam diligere obedientes, vere flecti misericordia, ibi filius qui & cõsiliorum de creatione &

creationis

creationis ſocius fuit, calamitatis noſtræ miſertus pro nobis deprecat⁹ eſt. Etſi autem Pater miſericors eſt, tamen & iuſtus eſt, nec remiſit peccatum, niſi ita, vt pœna ſolueretur, & quidẽ in genere humano. Nam homines deliquerant. Nec tamen æquale precium erat alius, niſi hic filius, nec ſuſtinere pœnas alius potuit, quare hic filius naturam humanã adſumpſit. Ita cum mirandũ decretum factum eſſet, quomodo iuſticię Dei ſatisfieret, Pater etiam miſericordia motus nos propter filium recepit. Nihil autem primi parẽtes rationari aliud poterant, quam ſe abiectos eſſe, & nullius creaturæ ope ſe reſtitui poſſe ſciebant. Iacẽt igitur oppreſsi horribili mœſticia & metu mortis. Ibi Deus oſtendit vere ſe opem ferre ſine cauſis ſecundis, prodit, & alloquitur eos, accuſat, & edita promiſſione eos recipit. Hæc fiunt ſimili modo quotidie in Eccleſia. Nunc videmus nos propter peccata noſtra, quæ & multa & magna ſunt, quodam cõcurſu calamitatum multiplicium duriter

puniri

Natalis

puniri. Et quocunq; respiciunt oculi quęrentes receptum & auxilia, nihil ab hominibus spei ostenditur; Intueamur ergo primum exemplum, discamus velle Deum etiam sine causis secundis Ecclesiæ opem ferre, Quare & apud Esaiam inquit. Ego gestabo etiã senescentem Ecclesiam. Ac vt primi parentes audita promissione de semine contriturο caput serpentis, erigebantur, ita & nos agnoscamus hunc filium dominum nostrũ Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, nobis donatum esse vt sit Emanuel, vt diuina potentia nos protegat, regat, depellat a nobis diabolos hostes suos, Ipsi nota est nostra imbecillitas, ipsi nos commendemus. Hæc adsidue in tota vita, imo in tota æternitate cogitanda sunt, sed tamen nunc cum Ecclesia in cœlo & in terra commonefacta die, quo ex virgine Maria natus est filius Dei, recitat historiam eius diei, maior sit intentio animorum agamus gratias pro ingentib: beneficijs, & petamus veniam & auxilium.

Adiun-

Adiungamus nos ad primos parẽtes, & cogitemus eundem diem festum ab ipsis celebratum esse in paradiso, audita promissione de semine, quo die primum Filius egit gratias Patri, deinde Angeli: postea filius prodijt concionator, Et recepti in gratiam primi parentes didicerunt expectandum esse Natalẽ huius seminis & hac cõsolatione erecti, reuixerunt ex morte. Vt igitur vera Ecclesia in cœlo & in terra, iam annos. 5510. hunc Natalem celebrat, veris officijs pietatis, ita & nos eũ vera pœnitentia, fide, spe, inuocatione, & gratiarum actione celebremus. Excuscitet nos cogitatio miseriarum & periculorũ, vt hũc filium ardentius oremus, vt caput Serpentis conterat. Cogitemus non leues esse causas, quare res tanta in diuino consilio decreta sit, vt filius Dei assumeret humanam naturã, & pro nobis victima fieret. Hæc cum vere facta sint, inde ratiocinemur & magnas esse calamitates generis humani, quæ aliter tolli non possunt, & ingentem amorem Dei erga nos

esse

esse, cum hoc modo nobis opem ferat. Haec beneficia cogitemus etiam non ad alios tantum pertinere, sed vere nos includamus in societatem eorum ad quos pertinent promissiones, sicut Adam & Heua statuebãt sese recipi audita promissione, sibi promitti auxilium contra serpentem, Nec sinamus nobis eripi hanc consolationẽ decreto Synodi Tridentinae quae iubet dubitare agentes poenitentiam, an certo recipiantur a Deo in gratiam. Huic errori opponito vocem Euangelij & primorum parentum exemplum, & vt excuscites inuocationem credas te recipi propter hunc mediatorem filiũ Dei, & exaudiri tuos gemitus & tua vota. Vt autem significationem gratitudinis propter tantorum beneficiorum reuelationem, ostendatis, munera ad aram offeratis. Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE.

81 ET vir bonus & ciuis bonus fuit, Mauricius Goltz. Nam & Deum

vera

Mauricius G.042.

vera inuocatione & veris officijs pietatis coluit, & cum in tota vita iustus, grauis, integer, & modestus fuit, tum vero exímia eius beneficia fuerunt erga pauperes, & studia literarùm liberaliter adiuuit. Fuerunt & in cõiuge eius honestissima virtutes omnes piæ matronæ conuenientes, quæ cum alioquí imbecílli corpore esset post mariti mortem etsí se consolationibus diuinitus traditis sustentabat, tamen cum ad mæstitiam hectica febris accessisset, paulatim contabuit, sed sæpe hoc morbi tempore alacri fiducia filij Dei, & sese & filiam, & Ecclesiam Deo commendauit. Ac ipsos quidẽ Mauricium & coniugem speramus frui iam consuetudine filij Dei, & sese rursus cõplecti. Sed nostra causa doleamus amittere nos cíues vtiles Reip. & Deum oramus, vt aliquod semen sanctum seruet inter nos. Ac metuendũ est interitum piorum & virtute excellentium non esse ασημον, sed significare tristes conuersiones Reipub. quas vt Deus immensa misericordia leniat

veris gemitibus orandum est. Hæc cogitanda sunt etiam hodie in funere honestæ & piæ matronæ coniugis Mauricij, ad quod vt hodie hora quarta scholastici modeste conueniant, mãdamus. Die vij Iunij Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

QVERELA adfertur ad nos concursu scholasticorum impediri eos qui machinas auecturi sunt, & quibusdam iniurias fieri, Etsi suo quenq; periculo moueri oportebat ne ad illam transuectionem accederet ad quam hospites adhibiti sunt qui non discernunt scholasticos a cæteris, tamen cum aliqui vel incauti, vel petulantes accurrant, mandamus seueriſsime, ne quis scholasticus accedat, ad illam turbam transuehentium machinas nec se in ripa misceat aliquis multitudini. Parcendum ea in re est & priuatæ & publicæ incolumitati. Honesta

nesta ciuitas Saluelden sis hodie lega tos habet, apud inuictissimum Impe ratorem ,deprecantes pro ciuitate, propterea quod priuatorum quorun dam petulantiæ imperator irascitur.

PHILIPPVS MELAN THON.

HONESTISSIMVS labor est & bonis naturis dulcissimus expli catio simplex, & vera rerum magna rum, quali in scholis diu iam vsi sumus. Ideo malim præstare assiduitatem in schola, sed nunc occupationibus impe dior, vt hac septimana non sim præ lecturus. Deum autem oro vt & has deliberationes & Ecclesiam suam re gat.

RCTOR ACADE MIAE. VITEBER GENSIS.

IN hoc festo in quo Ecclesia recitat historiam Ioannis Baptistæ mentes omnium piorum assidua cogitatione

intentæ esse debent in petefactionem mirandam Dei, in qua æternus pater filius & S. sanctus illustri discrimine cõspecti sunt, nõ solum a Ioanne, sed etiam a Maria, & ab auditoribus Ioannis, & gratiæ agendæ sunt, & accendenda est fides, & inuocatio. Sunt & cogitãda doctrinæ Ioannis capita oĩa, & exitꝰ, vt testimonijs & dictis Ioannis nos confirmemus & exemplo nos ad confessionem excitemus. Nec eas cogitationes impedit funeris cœremonia, Sed in hac ipsa de causis mortis & de Instauratoris beneficio εὐτενέστερον cogitemus. Cum autẽ decesserit hac nocte honestus & doctus Ioannes Rabentrost cygneus, ad funus qnod fiet hora xii. conuenire scolasticos pium est & vt conueniant eos hortamur.

xxiiij Anno. 1548.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS

85 HODIERNA lectio Euangelij ad

firmat in æterna tabernacula reci-

pi

pi omnes offitiosos erga Ecclesiam, quo in numero sunt & pij scholastici, qui studia ad cœlestis doctrinę conseruationem referunt, Quid autem hoc quidem tẽpore in his tumultibus, oportabilius est, quam ex his tristissimis spectaculis in ęternã scholam abduci, ad audienda colloquia filij Dei, Prophetarum & Apostolorum? Sed tamen oremus vt inter nos etiam aliquod semẽ sanctũ seruet. Decessit autẽ heri adolescẽs modestus & pius Petrus Tsat Hertzbergensis, ad cuius funus hodie hora xij. vt pie conueniant scholastici petimus, in quo & suam vitam & Ecclesiam deo pijs precibus commendent, Die xxviij Julij Anno,

1548.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS MEDICAE.

IDEO Deus studia doctrinę instituit & scholas voce sua inchoauit cum primos parentes recepit, non vt varia-

rum opinionum prę ſtigijs certent in genia, vt hoc tempore virtus eſſe a multis putatur Pyrrhonio more artes conturbare. Sed vt iudicia humana in tota ratione tuendæ & regendæ vitæ congruant ad mentis diuinæ normam & ſit vitæ gubernatrix lux diuina quę eſt veritas de qua Plato grauiſsime dixit ἀληθεια παντων μὲν ἀγαθῶν θεοις ἡγηται παντων δὲ ανθρωποισ, Cũ igitur conſtet artem Medicam ingens Dei donũ eſſe, traditum vt aliqua ex parte mitiget hominum calamitates depulſione multorum morborum, grati amplectamur Dei beneficium & artem veneremur. nec laudemus furores barbarorum qui hanc doctrinã aut artis vſum contemnunt. Deinde cogitemus hanc ipſam naturæ conſiderationem a Deo bonis propoſitam eſſe vt in ea conſpiciantur teſtimonia prouidentiæ illuſtria. Cum hic cernimus mira arte conditum eſſe corpus humanum. & in tanta plantarum varietate conſulto vires diſtributas eſſe, vt aliæ aliis morbis medeantur, Fateri neceſſe

neceſſe eſt, hunc mundum non extitiſſe caſu. Cum igitur in mentibus hominum aſpectio naturæ confirmet ſententiam de prouidentia, poſſeſsionem Phyſicæ doctrinæ initio præcipue tenebant ſummi duces generis humani a Deo delecti Nohę, Abraham, Eſaias & alij deinceps ſimiles gubernatores. Horum exemplo diſcamus & ipſi amare naturæ conſiderationem, & quantum fieri poteſt reliquias huius miranda ſapientiæ tueamur, Cum igitur die ſeptimo Auguſti virum clariſsimum eruditione & virtute preſtantem Magiſtrum Petrum ſibylenum Torgenſem gradu doctoratus in arte Medica ornaturi ſimus, Petimus vt ad renunciationẽ gradus omnes doctores Magiſtri & auditores conueniant, & hoc officio ſuam voluntatem erga doctrinam plenam dignitatis & erga Medicos declarent, Datæ die Auguſti Anno. 1548

RECTOR ACADEMIAE. 87
VITEBERGENSIS,

BEATI mortui qui in Domino mo

riuntur, inquit consolatio diuinitus
proposita, & confirmata multis illu-
stribus testimonijs, & multorum mor
tuorum resuscitatione. Quare etsi hu-
mana iuditia, sine cœlesti doctrina, nõ
cernunt venturam vitam, tamen nos
testimonijs diuinis confirmati intuea-
mur venturæ vitæ iudicium, liberatio
nem veram Ecclesiæ, & certo statua-
mus, eos qui vera fiducia mediatoris
filij animas suas Deo commendant, hę
redes esse æternæ consuetudinis cum
tota cœlesti Ecclesia, Cum autem vir
GEORG. honestꝰ Georgiꝰ Rhau heri decesserit
RHAV. ardenti inuocatione filij Dei. & antea
fides eius fulserit in omnibus pijs offi-
cijs. Nam & mores ipsius priuati, ca-
sti & sine vlla labe fuerunt, & in re-
pub. integritas eius in senatorio mune
re omnibus probata fuit. & beneficia
eius erga Ecclesiam & studia doctri-
næ multis nota sunt. Edidit enim &
Theologica scripta multa, & Arithme
tica, & Musicos libros: Ipsi quidem
gratulandum est hoc iter, quia spera-
mus eum ad cœlestem Ecclesiam tran
siisse.

ſiiſſe. Nos vero doleamus, tot præ-
ſtantibus viris & matronis exiguo tẽ-
pore, hanc ciuitatẽ orbatã eſſe, & Deũ
orem⁹ vt intet nos ſemẽ aliquod ſan-
ctũ ſeruet. Multa prodigia magnas &
triſtes calamitates denunciãt, vt nuper
ex ſpicis ſanguis copioſe profluxit, in
agro quodam non procul a Gorlitio,
Audiuntur Leonum vlulatus, & ar-
morum ſtrepitus in aere ad Harcini-
am, deniq; alia multa vere recitantur.
Sed inter ſigna etiam eſt interitus bo-
norum virorum, vt Eſaias inquit: Iu-
ſti colliguntur, ne ſpectatores ſint fu-
turarum calamitatum. Oremus igitur
Deum, vt in ira miſericordiæ ſuæ re-
cordetur, & commonefacti tantis mi-
ſeriis publicis & priuatis, flectamur ad
pœnitentiam & ad veram inuocatio-
nem. Hæc cogitanda ſunt etiam in
his funerum ceremoniis. Fiet autem
funus Georgio Rhau hodie hora quar
ta, ad quod vt conueniant Doctores,
Magiſtri & Auditores, hortamur eos
& propter pietatem debitam Eccleſiæ
Dei, & propter memoriam ipſius Ge

orgñ viri honesti & de repub. bene meriti. VII Augusti Anno 1548

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI.

89

NAZIANZENVS inquit οὐδενὶ ὄντως ἐπρᾴνθην ἡμᾶς φωθεν ὥσπερ σύνηθες καθαρὸν καὶ ἐλεύθερον ἀγαθα.. Etsi igitur exarserunt odia multorum aduersus nos iniusta tamen primum conscientia lenit dolorem. Scimus enim nos non solum bene velle Ecclesiæ Dei, Sed etiam multas res necessarias recte patefecisse. Deinde & spe sustentãmur, Qua inquies cum simus in tantis miseriis? imo vero hac anchora nitimur, Quod cum Ecclesia Dei manfura sit in eo ipso cætu, qui vocem Euangelij incorruptam docet & discit, spero Deũ seruaturum esse nostrum cœtum, Et hac spe operas scholasticas facimus. Quas vt Deus gubernet ac adiuuet, toto eum pectore oramus. Cum autem hoc tempore

re decreuerimus instituere examina eorum qui petent gradum Magisterij Philosophici, duxi id publice significandum esse, vt intra dies octo nomina edant apud decanum hi qui gradū petent. Anno. 1548.

XV. DIE IVLII CELEBRAtur festum diuisionis Apostolorum.

C. 55. 89

L. Cyreneus, qui adiuuit Christum in gestanda cruce primus docuit Euangelium ad Danubium in Augusta Tyberina, quæ nunc est Regenspurg.

Crescens, Moguntiæ:

Trophimus, Arelati in Narbonensi Gallia.

Clemens, Meti, zu Metz.

Marcus Pauli discipulus, in passaw.

Maternus, Petri discipulus, Argentorati & Coloniæ.

Nathanaël apud Bituriges in Gallia, vbi nunc est Academia, & Treuiros.

Lazarus resuscitatus, docuit Massiliæ.

Christus

90

DIE Martij. 14. Ingressus est iter ex deserto vbi Iohannes baptisauerat, a Iordane, duo milliaria â Iericho in quo itinere sanauit cæcum.

Die. 15. Fuit in Iericho apud Zacheum.

Die. 16. Iter a Iericho ad Bethaniam Nam Iericho circiter quinq; milliaria distat a Ierusalem.

Die. 17. Excitatur Lazarus ante diem palmarum.

Die 18. Fortassis mansit in Bethania.

Die. 19. Cænat cum Lazaro in Bethania in Sabato ante diem palmarum.

Die. 20. Dies palmarum.

Die. 21. Maledixit Ficui.

Die. 22. Cæna in Bethania in domo Simeonis leprosi post diem palmarum.

Die. 23. pactio Iudæ.

Die. 24. Dies Azymorum & Cæna vesperi.

Die

Die. 25. Crucifixio.
Die. 26. Fuit in ſepulchro.
Die. 27. Reſurrectio Chriſti.
Anno a condito mundo. 3944. qui fuit annus. 42. regiminis Auguſti Cæſaris, natus eſt Chriſtus dominus noſter ac ſaluator, quando Herodes iam annos. 37. tenuerat nomen regium in populo Iudaico. 15. Calend: Aprilis mundus factus eſt.
Anno. 3975. hoc eſt, anno. 15. Tiberij Cæſaris Chriſtus ingreſsus eſt annũ. 30. tunc Baptizatus eſt a Iohanne in Iordane.
Eo tempore ſtatim cæpit prędicare Euangelium ſuum, & homines adhortari ad pœnitentiam vſq; in. 18. annum Imperatoris Tiberij.
Tunc enim a Iudeis Crucifixus eſt. Quare Chriſtus paſsus eſt pro nobis anno a condito mundo. 3980. ſeu. 25 Martij, ſeu 8. Calend: Aprilis, & idem dies, eſt dies creationis Adæ & Conceptionis Chriſti Eo enim die annũciauit angelus Mariæ fore vt concipiat Ieſum Chriſtum ſeu die. 14. primi mẽ-

ſis

sis, id est, Aprilis qui est proximus æquinoctio verno. Nam Iudei habent mensem Lunarem, id est, inchoant meniem ab nouilunio, Et quidē hoc factum est vesperi. Nam inchoant diem occasu Solis.

PHIL. MEL.

Finis.

Typographus lectori.


Etsi in hoc opere perficiendo nec diligentia, nec cura nobis defulrit, tamen quia omnes erratorũ occasiones vitari non possunt, æquus lector pro suo candore pleraq; facile emendabit. Nos quædam errata quæ crassiora fuerunt huc apposuimus.

A v. Ver. xv. pro vinis lege, vlnis
Fol. vi facie ij. versu i dele ἀφορίζεσθε
C iiij. ver. leg. e pro est
eadem pag. leg. vuæ pro viuæ
C viij. in vlt. ver. dele hunc versum: Semper in hoc aliquod &c.
E vi. leg. terræ pro trerę
G vij in ij. facie pro distra hac, lege, distrahat
F viij pro intempestuæ intempestiuæ
H v. lege ἑβδομάδας
I v. lege flectitur pro flectus
K i. pro, Nom & aspeto leg. Nam & aspectio.
I vi. pro latem leg. latentem.

TERTIVS LIBER SCRIPTORVM QVAE in Academia Vitebergensi publice proposita sunt.

Impressus Vitebergæ apud Iosephum Klug.

Anno.
1549.



PRIMA PARS HVIVS libri continet scripta vetustiora quę pertinent ad superiores annos, videlicet 1540. & sequentes aliquot.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS



VLLVM est maius ac admirabilius opus Dei, quam copulatio diuinæ & humanæ naturæ in filio Dei, qua Deus æternum & immutabile fœdus cũ humano genere fecit, & clare testatus est se vere curare & diligere humanum genus. Colligunt anxiæ mentes signa prouidentiæ ex legibus motuum cœlestium, ex pœnis atrocium scelerum, ex discrimine honestorum & turpium insito mentibus humanis. Denię ex multis rebus alijs quibus

bus agnoſcimus impreſſa naturæ veſtigia diuinitatis. Et laudanda eſt hæc diligentia, Ideo enim omnia condita ſunt, vt autor & opifex Deus agnoſcatur ac celebretur. Sed omnia cetera teſtimonia longe ſunt inferiora & obſcuriora hac copulatione diuinæ & humanę naturæ. In hoc fœdus intueamur. Hic diſcamus vere genus humanum curæ eſſe Deo, vere ab eo diligi.

Rerum creatio, & hæc pulcherrima mundi corpora diſtincta iucundiſſima varietate, incurrunt in oculos, & admirationem merito excitant. Sed hoc opus longe maius eſt, quod ſe Deus deiecit in hanc ærumnoſam naturam, eamq; adſumit immutabili fœdere, & collocat ſupra Angelos, vt regnet diuina potentia, ac mortem aboleat, & reſtituat uitam æternam. Non poteſt quidem magnitudo huius mirandæ ſocietatis perſpici ab vlla mente humana vel Angelica. Sed tamen vult Deus hæc in Eccleſia celebrari, & addidit tot teſtimonia, mortuorum reſuſcitationes & alia. Ideoq; certis temporibus publice hæc proponit Eccleſia.

Ad hanc cogitationem excitate animos vt pie Festū diem celebretis. Non sunt hæc Bacchi orgia. Nō sunt Lupercalia, quæ diabolus, vt opera Dei obrueret, mundo offudit. Vos vero, qui estis membra Ecclesiæ Dei, oculos, aures, pectora, mentes conuertite ad hunc æternum Deum conditorem omnium rerum, qui se patefecit in filio suo domino nostro Iesu Christo. Hunc filium, in quo diuinam & humanam naturā mirando fœdere copulauit, agnoscite, & vt Psalmus inquit, Osculamini filiū, amplectimini eum pia meditatione et gratias ei agite, ac beneficia quæ offert accipite. Omittite tumultus barbaricos ac helluationes, et cogitate diuersa exempla.

Agmina cœlestia Angelorum & Prophetarum, qui familiaritate Dei fruuntur, iam hoc ipso tempore de hoc tanto opere cum Christo colloquuntur, deq; causis arcanis tanti consiliij. Angeli etiam solliciti, passim disponunt excubias pro Ecclesijs, quæ toto orbe terrarum de hoc opere vere concionantur, meminerunt se fuisse nuncios huius tantæ rei, & & hymnum cecinisse, Gloria in excelsis

Deo, & in terra pax, hominibus lætitia. Pij verò toto orbe terrarũ cogitatione huius diuini operis, agnoscunt misericordiam Dei erga nos, fiducia huius filij inuocant Deum, se regi, defendi, seruari petunt, & agunt gratias pro omnibus beneficijs. Econtra diaboli furenter hæc cœlestia studia vbicq; interturbare conantur, alibi inutilia bella, alibi alios furores impiorum incendunt. Iam quisq; statuat vtrum Societatem studiorum in Ecclesia Dei, aut furorum diabolicorũ malit. Profecto cogitatio vtilis est & accendit pietatem, sicut in his historijs de Maria legitur. Maria hæc omnia conferebat in corde suo. Idem nos faciamus, Et Nazianzenus in hodierna concione inquit admiratione accendi pectora, etiamsi penitus perspici opus tam arcanum non potest. Θαυμαζομενος ὑ θεοῦς, ποθεται πλειον, ποθουμενος δὲ καθαιρει, καθαιρων ὑ θεοειδεις ἔρασται, τοιουτοις ὑ ὡς οἰκειοις ἥδη προσομιλει γνωριζόμενος.

Illud etiam præcipimus, vt iuxta

morem Ecclesiæ omnium temporum singuli scholastici suum munus deferant ad aram. Nam Deus adsuefieri uult honestis exemplis iuuentutem vt discat venerari Euangelij ministros.

Etiam Ethnici grassantes in plateis, & inuerecunde incedentes, detestati sunt, vt sunt veteres versiculi poetæ Alexidis.

Εν γαρ νομιζω τουτο πῶν ανελευθέρων
εἶναι τὸ βαδιζειν ἄρρυθμους εν ταῖς ὁδοις
ἔξω καλως ου μη ποτε πραττεται τελος.

Id est,

Existiment hoc esse liberi probrum.
Negligere in incessu decus modestiæ:
In talibus virtutis haud sunt semina.

Ergo ille ethnicus experientia comperit ali et confirmari petulantiam neglectione disciplinæ in incessu, quid nos in Ecclesia dicemus? vbi vereri oculos Dei, Christi, Angelorum debebamus, deinde vbi nos ad modestiam, multo plures causæ, ignotæ ethnicis hortantur, Ecclesia monet ca-

lamitatibus publicis & priuatis, dissipatio nibus & ruinis Imperiorum, & alijs æru nis tragicis puniri hominum delicta, sed mitigari pœnas ijs, qui se emendant. Cogitemus igitur de impendentibus periculis, & Deum precemur, propter fœdus, quod cum genere humano fecit, cum filius humanam naturam sibi reipsa copulauit, ne nos perire sinat, qui hoc diuinum beneficium celebramus, qui doctrinæ in qua Deus se patefecit, custodes sumus, nec deleri hos cœtus permittat, qui nomen Christi inuocant, & eius doctrinã colunt, & conseruare studẽt, ne insontem turbam infantum, puellas, & honestas matronas trucidari aut rapi ad libidinem a barbaris militibus sinat. Conuenire Ecclesia solet his diebus, vt Dei beneficia, vt irã, vt nostra pericula cogitet, ac vt ardẽtibus votis a Deo petat defensionẽ & gubernationẽ. Nolumus autem interturbari piorum studia, preces, ac meditationes. Quare nocturnas vociferationes & tumultus seuere prohibemus. Fortasis aliqui plus sibi licentiæ sumunt, quia videnti non puniri hæc delicta tanta seueri-

tate

tate, quanta opus erat. Etsi autem nos non defuturi sumus officio nostro, tamen nunc vos magis moueri volumus reuerentia filij Dei, Angelorum & Ecclesiæ in cœlo, & toto orbe terrarum, quam metu Magistratuum.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

NON sine graui causa sub hoc tempus prohibentur discursationes personatorum, qui noctu militari quadam feroeia irrumpentes in alienas ædes, mutum quendam ludum tesserarum exercent. Cum enim multæ & magnæ causæ sint, cur hoc tempore attentiores ad cauenda pericula, & vel tuta omnia timen-

da esse debeamus, non est ferendum, vt Penetrent in domos aliorum, præsertim noctu, tales qui sese agnosci nolint. Vult autem Illustrissimus Princeps Elector, nunc maxime cum a nobis longius abest, curæ esse Magistratui tranquillitatem ac securitatem vrbis, maxime propter numerosum istum cœtum Scolasticorum, in quo sunt tot nobilium & præcipuorum hominum liberi, quem paterno quodam amore, fide & sollicitudine optimus Princeps complectitur. Itaq; propter periculà insidiarum, & vt scholasticorum honesto ocio consultum sit, repetitur edictum, ne qui discurrant personati.

Deinde ludus ille tesserarum mutus merito reprehenditur, qui nein castris quidem inter milites olim notus fuit, sed cū reliquis morbis, qui corpus reipublice corripientes veterem quoq; disciplinam militarem inuaserunt, nescio quomodo, latius, quam oportuit serpere cœpit. Per sese illiberale est & alienum ab humanitate, inuolare in aliorum conuiuia, & ingerere sese inuitis, ac tali aucupio aliquid prædę

venari

venari,. Et constat sępe tales colluſiones abire in pugnas & tumultus, Porro quid est deformius illa mussitatione, cum homo natus sis, in morem bouis aut alterius beluæ ἄφωνον καὶ ἄλογον fieri? Et hæc mussitatio eo magis odium meretur, quia est imago dissimulationum, occultationum & insidiarum, quibus nunc vita turpissime contaminatur, & quidem a multis pro sapientia habentur talia artificia, occulte & velut ex insidijs omnia agendi. Allatum est hoc genus ludi a Caribus illis conductitijs, quorum est tanta licentia vt minimum absint a latronibus. Nam horum barbaries etiam in multis alijs rebus longissime distat ab honestissima disciplina veterum bellatorum, quorum castra (præ vt horum est immanis rabies) cœnobia & scholas dixisses. Talibus sane permittatur hoc modo captare prædas, certe scholasticis hæc indigna sunt, quorum lusus debent esse sine insidijs honesti & ingenui. Quare hos ludos, qui exercentur a personatis & mutis, aut vrsorum more murmurantibus, prorsus prohibemus.

SVNT etiam querelæ, a ſcholaſticis fieri immoderatos ſumptus & profuſiones in comeſſationes & conuiuia. Scitis autem ab Illuſtriſsimo Principe propoſitas eſſe leges, de moderandis ſumptibus ſcholaſticorum. Quare de eius ſententia vetamus, ne, qui cibum ſcholaſticis præbent, ſinant eos ſuo arbitrio publice agitare conuiuia, niſi id fiat præceptorum aut eorum quibus commendati ſunt grauium & honeſtorum virorum voluntate & permiſsu, ac ita, vt hi ipſorum moderatis conuiuijs interſint inſpectores ac gubernatores, & curent, ne producantur conuiuia vltra legitimum tempus.

Admonemus etiam aliarum legum Illuſtriſsimi Principis, ne quis gerat arma aut tela cuiuscunq; generis, comparata ad lædendum. Item ne noctu vagentur ſcholaſtici vociferantes, aut quouis modo perturbent aliorum quietem. Quod ſi qui deprehenſi fuerint toties admoniti, contra leges & autoritatem publicam deliquiſſe, a nobis ſeuere punientur. Nec deerit ſuo officio Magiſtratus vrbanus, in excubando & inſpectione nocturna

nocturna. Ac adoleſcentes etiam ſui periculi cauſa admonitos volumus, vt ſint quieti. Nam ſi quis contemnens monitorum, poſtea malo afficietur, non habebit, niſi ſeſe, quem accuſet.

Audiſtis & pro concione totius Eccleſiæ ſententiam, cuius autoritatem tanquam parentis, quæ veſtræ omnium ſalutis curam gerit, ex animo venerari debetis, & eius ſententiæ tanquam Dei de cœlo ſonanti voci parere. Nos etiam & vrbanus Magiſtratus optamus ſcholaſticis omni genere officij eſſe parentum loco, & imperio minime ſæuo, ſed paterno & liberali regere & flectere animos ad pietatem & virtutem, Quare decet & vos libentius obſequi edictis publicis. Debebant & tempora hortari omnes ad modeſtiam et ſtudium pietatis, quæ ſi unquam aliàs, nunc certè plena ſunt periculorum omnis generis, & propter illam effrenatã licentiam iuuentutis & prope publicũ contemptum omnium legum & honeſtatis, horribiles pœnas minantur. Hæc mala noſtra pœnitentia & aſsiduis lachrimis deprecanda erant, nunc maxima pars

ſic

sic viuimus, quasi delectet nos accersere pœnas. Aduersus hæc exempla opus est seueritate Magistratuum, ne propter impunitatē malorū Res publica plectatur.

ALIA

3 12. VIRGILIVS de Aenea intuente celaturam clypei continentem vaticinia rerum futurarum, quas nondum Aeneas intelligebat, inquit:

Miratur, rerūq; ignarus imagine gaudet.

Ita quilibet homo sanus quali procul contemplatur animam, rerumq; ignarus imagine gaudet. Etsi perspicere animæ naturā nō possumus, tamen iuuat videre imaginem quam ex actionibus & viribus vtcunq; delineamus. Et omnibus vitæ partibus omnibus disciplinis seruit qualiscunq; agnitio animæ, vt distinctio virium atq; actionum. Nemo rudis huius doctrinæ theologica dextre vel intelligere vel explicare potest. Quam prodigiosi errores sequentur, si non discernet partem cognoscentem, a voluntate, & ab appetitionibus, ac rursus λόγον & ὄρεξιν, Itē στοργας & ἀταξίας appetitionum. Deniq; multa alia occurrunt, in quorum

quorum explicatione opus est Physico-
rum doctrina de anima. Quare laudan-
da est voluntas omnium, qui hoc studi-
um vobis commendant. Cum autem me
quidam studiosi rogauerint, vt libellum
de Anima hic editum enarrem, duxi eis
gratificandũ esse & inuitare plures cupio.
Nam & frequen tia excitat Lectorem, &
eius libelli cognitio multum vtilitatis ad-
fert omnibus discentibus. Polliceor eti-
am me ita enarraturum, vt meam ope-
ram sentiant auditores sibi prodesse. Ex-
ordiar autem, DEO iuuante, enarratio-
nem proxima die Mercurij hora duode-
cima, in maiori auditorio.

Erasmus Flock
Norbergensis.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS PHILOSOPHICAE.

VTINAM sepe & attente cogitent
Scholastici, quanta res sit hæc literari
militia, in qua præparanda sunt ingenia
ad rem omnium in vita maximam & di-
fficillimam, scilicet ad Ecclesiæ & vitæ ci-
uilis gubernationem, ad explicationem

doctrinæ

doctrinæ cœlestis, & ad dijudicationem grauissimorum negociorum vitæ humanæ. Nam etsi alij minus eruditi summa imperia tenent, tamen multa de literatorum consilio constitui necesse est. Vt autem eruditionem solidam & iudicij dexteritatem assequatur natura mediocris, magna varietate artium opus est, Et ingenia per gradus prouehenda sunt, & paulatim ad veritatis aspectionem & contuitum propius adducenda sunt. Nec vitæ vlla res pernicioſior est, quam quod ingenia iuuenilia, fera, nondum cicurata disciplina, nondum assuefacta ad intentionem, ad vias quęrendæ veritatis, & ad diligentiam ac circumspectionem in iudicando necessariam, repente irruunt in doctrinas, quę Ecclesiam & Curiam regunt. Vt igitur ordine discantur artes, quibus ingenia præparanda sunt, vetustas gradus instituit, ac voluit primum gradum complecti cognitionem Grammatices, Dialectices, Rhetorices, Arithmetices & elementorum Sphæricorum. Ad hæc nos adiungi volumus doctrinæ Ecclesiasticæ κατήχησιν.

Cum

Cum enim agnitio & inuocatio Dei pertineat ad omnes homines, & ad omnes ætates, necesse est statim inculcari teneris animis doctrinam de Deo presertim in Scholis, quæ debent esse custodes doctrinæ celestis, Nec studia sunt salutaria, nisi a Deo mentes regantur.

In hac prima institutione volumus etiam adolescentes nosse Epitomen historiarum de serie imperiorum. Hoc primum Tyrocinium, etsi uidetur exiguum decus esse, tamen & eruditionem magnam continet & adminicula valde vtilia ad percipiendas ceteras artes.

Magna virtus est & intelligete dicendi rationem. & mediocriter instructum esse facultate loquendi. Deiude quam gratum est bonæ menti, posse expedite versari in lectione sacrorum voluminum & aliorum bonorum Scriptorum. Id hæc prima rudimenta adferunt, quibus qui non sunt instructi, cum in aliorum librorum lectione, tum vero in sacris libris passim vt in luto hærebunt,

proverb.

ac sepe in interpretaudo ἐν γῆς, οὔτε ὕδατος ἁπτόμενα dicent.

Vt igitnr Deo & Ecclesiæ recte seruire, & suæ utilitati consulere adolescentes possint, in his primis rudimentis diligenter elaborent. Postea uero addāt Geometriam, & doctrinam de motibus cœlestibus, quā ad rem, ut ordine percipiantur artes, certis temporibus Euclides in Schola repetitur quem ut discant Philosophiæ studiosi præcipimus.

Olim Geometria initium erat Philosophici studij. Nam & Physica inde extruitur & naturæ ordo postulat, ut hæc figurarum doctrina quæ est regula certitudinis, initio percipiatur. Et sine his fontibus, uidelicet sine Geometria & sine cognitione motuum cœlestium, mutilam esse Physicen manifestum est.

Ideo vt curam discendi acuamus ab ijs, qui Magisterij gradum petent, in examine poscemus, ut specimen stu-

dij

dñ Euclidis exhibeant, nec admittemus ad gradum scholasticos, qui aliquandiu nos audierunt, & dici Philosophiæ studiosi voluerunt nisi publicam lectionẽ Euclidis audierint. His petentibus gradum, illud vetus dicemus, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Requirimus autem hoc studium, vt inuitentur adolescentes ad expetendam solidam eruditionem vt maiorem dexteritatem & grauitatem iudiciorum deinde ad illam doctrinam adferant, quæ Ecclesiam regit. Et mediocriter percepta Geometria & cognitis motibus cœlestibus, non solum magis perspicua erit physice, sed etiam dulcior.

Scimus Ecclesiam nec annidescriptione, nec Cosmographia carere posse. Necesse est igitur fontes discere, vnde & illi riuuli promanant. Nostri officij est monstrare veram, vtilem, & salutarem discendi rationem. Vestrum est etiam auditores, studia referre ad gloriam Dei & ad communem salutem generis humani, nec tantũ vmbram doctrinæ, quæ

aliquando sit quæstuosa appetere, vt faciunt multi impostores, quorum insciitia & audacia postea nocet Ecclesiæ & toti generi humano. Cogitate vos a Deo vocatos esse ad tuendam possessionem literarum, multosq; in cœtu vestro esse, de quibus scriptum est Sedere filium Dei ad dextram æterni Patris ac dare dona hominibus, id est, salutares Doctores:

Tales autem nec sunt vlli, nec erunt, qui literas, veritatem solidam eruditionem aspernantur, Vt igitur inter dona Ecclesiæ non inter pestes numeremini, amandæ sunt literæ, inquirenda veritas, cura adhibenda est vt ordine & integre doctrinam vitæ necessariam discatis.

Hæc sit præcipua causa diligentiæ augendæ ad quam possunt, & aliæ multæ adiungi. Honestum & vtile est vitæ hominum tueri artes, quæ sunt præsidia vitæ, imo quæ sunt, vt apud Xenophontem Cræsus de ciuitate dixit πηγαὶ κάλλων, fontes ornamentorum vitæ humanæ ac ciuilis consuetudinis. Datæ die

fausto, quo memoria immensi beneficij Dei celebratur exhibiti Spiritus Sancti Apostolis manifesta luce, quem cum vere sit autor doctrinæ & artium toto pectore oramus, ut & mentes multorum accendat ad discendum, & regat ac adiuuet literarum studia, quoniam ideo precipue donatur Ecclesiæ, vt lucem Euangelij in ministerio publico & pijs mentibus seruet.

ALIA

EXEMPLVM Dei quisq; est in imagine parua.

Sic poeta de hominis natura, ac precipue de parte prestantissima, de anima inquit circumferre singulos paruã quidem imaginem Dei, Sed tamen imaginem, quam certe Deus impressit nobis vt speculum esset in quo ipsum contueremur ac disceremus tum naturam eius tum voluntatem. Hanc sui effigiem nobis Magistram esse voluit, indicantem & quid sit Deus, & quibus officijs coli velit.

In hac effigie discimus esse Deum, naturam intelligentem seu sapientem, iustam, veracem, amantem castitatis, bonam & beneficam, iustis amicam. discimus item flagitari a nobis hæc officia vt hanc ipsam mentem æternam architectatricem rerum agnoscamus, & ei obtemperemus, iuxta hoc ipsum discrimen honestorum & turpium, quod indidit mentibus nostris & ceu vallum ac septum, vt ita dicam, extruxit in omnium animis vt limites certi nobis sint rerum expetendarum, seu actionum humanarum.

Lucet ergo in mentibus imago Dei quam aspici vult & considerari Deus. Eoq; barbaræ gentes magnam in moribus immanitatem magnos furores, receperunt & exercuerunt quia hanc imaginem nec intueri nec euoluere studuerunt non sese aspexerũt, nec qualis sit humana natura, quid distet â belluis, ad quẽ finem, ad quas actiones nascatur, considerauerunt. Plato admonet nos oraculi γνωθι σαυτον, idq; sic interpretamur, precipinobis vt quantum fieri potest animę nostræ

noſtræ naturam conſideremus. Sed nos qui populus Dei haud dubie ſumus propterea quod prophetarum & Apoſtolorum doctrinam amplectimur, multo magis hoc ſtudium cognoſcendæ animæ decet, quia mandata diuina ſepe præcipiunt de imagine renouanda.

Quomodo autem renouabunt eam qui ne quidem cogitant vbi ſit, aut qualis ſit. Deinde quam multa ſunt in diſputationibus Eccleſiæ, quę ſine doctrina de Anima explicari non poſſunt. Manſit in homine quædam de Deo notitia, & tamen voluntas auerſa eſt. Ideoq; Paulus eruditiſsime inquit homines veritatem in iniuſtitia captiuam detinere. Hic certe opus eſt diſcere vires animæ & oſtẽdere diſcrimẽ inter cognoſcentẽ & appetentẽ, inter notitias et adfectus. Poſtea & adfectus diſcernendi, alij ſunt στοργαὶ aeres bonæ, alij ſimpliciter vicioſi.

Videnda eſt & ſocietas partium quomodo cum mente ſenſus coniuncti ſint, quomodo cor cum voluntate congruat, & quomodo inferiores vires, θυμικὴ & ἐπιθυμητικὴ ab ἡγεμονικῇ regantur

quę cuiusq; sit, sedes, quæ instrumenta Harum rerum cognitio non solum per sese dulcis est, & ad virtutem vtilis, sed etiam delectat, quia ordo testatur hominem non casu ortum esse, sed a mente architectatrice conditum.

Cum igitur in explicatione doctrinæ Ecclesiasticæ multa ex his partitionibus sumenda sint, hęc pars philosophię de Anima, non negligenda est. Si delectat cognoscere gemmam aliquã aut plantam, & quærere vires in medicatione cur non iuuat etiam animam humanam aspicere, quantum conceditur, & videre quam varię sint eius vires, quo ordine iunctæ quomodo regendæ sint presertim cum multa nos de Deo moneat hæc ipsa consideratio. In Euangelio nominatur filius Dei λογος, & imago ęterni patris. Etsi hæc sententia procul supra & extra humanum captũ posita est tamen cum verbis humanis descriptio utatur, umbræ aliquæ in nobis querendæ sunt, quarũ similitudo vocabula vtcunq; declaret. In homine mens cum cogi-

cogitat quidpiam, eius rei subitam imaginem sibi quasi gignit. Mira est celeritas miranda pictura, nec in nobis ipsis penitus causas huius picturæ perspicimus. Sed tamen cum filius Dei dicatur λογος & imago patris, verba significant filium nasci cogitando, & ea cogitatione gigni imaginem patris, vt in nostra cogitatione lucet imago rei cogitatæ.

Possem alia multa recitare quæ ostendunt in multis materijs grauissimis sumi explicationem ex his riuulis doctrinæ de anima.

Quare scholasticos adhortor, vt hanc philosophiæ partem ament & diligenter cognoscant. Nec dubito, quin omnes qui eam mediocriter degustarunt, fateantur ipsi hanc doctrinam adeo dulcem esse, vt auidissime hauriatur. Arbitror etiam multos hac ipsa auiditate accendi ad amorem & spem futuræ vitę, in qua velut in alta eruditiore Academia, propius tantas res aspiciemus. Sed interea discamus ea quæ prudenter obserua-

runt homines ingeniosissimi & posteritati tradiderunt, vt aliquam qualemcunq; effigiem animæ, pene vt vmbræ pinguntur, spectandam proponerent.

Decreui igitur enarrare librum de anima hic editum, ac polliceor auditoribus diligentiam & fidem. Inchoabo autem enarrationem die Mercurij post nundinas Lipsicas. Videlicet die x. octobris, hora duodecima in auditorio maiore.

Erasmus Flock.

6

MIRATVR, rerumq; ignarus imagine gaudet.

Sic de Aenea Virgilius inquit, intuente seriem Romanarum rerum in clypeo sculptam, quas etsi non intelligebat Aeneas, quia adhuc futuræ erant, tam en lætus contemplabatur, tanquam ex signis diuinans de posteritatis uirtute, & futura magnitudine & gloria. Ita nos, etiam humanæ animæ naturam penitus agnoscere non possumus, tamen

de

de uarietate uirium organorum actionum, de origine, de imagine Dei, de æternitate cogitantes, mirari eam decet & hac qualicumq; consideratione delectari.

Magnum quiddam est nec aliud in toto naturæ opificio admirabilius est hominem | circumferre Dei imaginem quæ nobis insita est vt in ea velut in effigie contueamur Deum & ut vita hominis precipua, sit quoddam perpetuum studium cogitandi de Deo in consideratione animæ atq; celebrandi autoris atq; opificis. Ergo & scholam nobiscū singuli circumferimus in qua fulgere & celebrari noticia Dei debet. Et hæc schola erat futura multo studiosior & erudi tior, si humana natura mansisset integra, nec ipsa se mersisset in tenebras. Sed tamē ex his quoq; deus nos eluctari vult uult aspici naturam, & adiuuat studium.

Sūt igitur | cognoscēda ea, quæ de animę viribus & officijs recte & pie scripta sunt

Et quia

Et quia libellus de anima clarissimi præceptoris nostri D. Philippi Melanthonis, videtur conducere scholasticorum studijs decreui eum enarrare, ac hortor scholasticos vt hanc partem Philosophiæ inprimis & ament & colãt. Aristoteles inquit doctrinam de Anima inter precipua bona, καλα και τιμια ducendam esse.

Multo magis ita sentiendum est nobis in Ecclesia qui scimus, hanc doctrinam prodesse pietati, & illustrare disputationes de summis rebus. An cogitari potest aliquo modo cur filius Dei λογος vocetur si non ab ijs imaginibus quas mens format exemplum sumatur? Vt mens imagines gignit ita æternus pater genuit characterem suæ substantiæ vt ait epistola ad Ebreos, qui λογος dicitur. Deinde an non necessaria est partium animæ distinctio. Deus indidit menti æternum & immutabile iudicium, quo honesta discernuntur ac diuelluntur à turpibus, Id manet in parte cognoscente. Sed pars altera videlicet appetens, auersa a Deo

a Deo quã est cõtumax illi æternæ legi. Quam ægre patitur frenum. Quare Paulus inquit homines veritatẽ in iniustitia captiuam detinere. Est in mente lumen diuinitus nobis additum: sed potentia appetens, auersa est a Deo & quasi carcer lumen illud impedit. Hic certe opus est distinctione virium animæ, & officiorum: Item cum de adfectibus dicitur necesse est στοργας discernere a uitiosis motibus. Quanta certamina fuerunt cũ Manichæis, qui contẽderunt voluntates prauas ortas esse ab Hyle, nec posse flecti ad bonum. Ad hos furores refutandos certe utile est adolescentiam recte institui in his Elementis de Anima.

Fateri omnes necesse est Ethicen doctrinam vtilem esse vitæ, ac moribus At fontes sunt in doctrina de Anima Continet autem hic libellus, quem enarare decreui, & Anatomica multa, quorum cognitionem Galenus etiam dixit esse aditum ad Theologiam, quia conuincit nos, ut non casu hanc hominũ naturam sed a mente architectatrice con

ditam

ditam, esse, statuamus. Suut autem & aliæ multę utilitates Anatomices in tuenda valetudine, & regendis multis functionibus corporis. Ac profecto totius huius doctrinę multo plures sunt utilitates, in multis uitæ partibus, quam vt numerari omnes possint. Et subinde quotidiana uitæ consuetudo de aliquibus studiosos admonet.

Sed hæc semper in conspectu esse debent, quod ipsa anima certum & illustre testimonium est, genus humanũ non esse casu ortum, sed vere ab æterna mente, sapiente bona iusta conditũ Impossibile est enim fortuitum esse discrimen honestorum & turpium, quod in omnibus hominibus immutabiliter lucet. Vel si rumpantur omnes Cyclopes & omnes Epicurei, tamen hæc ipsa vox naturæ reclamat ipsorum furori, & cogit eos apud sese fateri, esse mentem æternam conditricem rerum, sapientem iustam bonam.

Iam hinc alia multa sequuntur

de

de nostra obedientia, & de iudicio. Non enim frustra Deus has noticias nobis indidit, vult esse vitæ regulas vult esse vincula societatis humanæ, quæ si quis violat, contumaciam punirurum se esse significat & hanc suam uoluntatem quotidianis exemplis declarat in exemplis homicidarum et incestorum.

Sed in ipsa enaratione copiosius de hoc argumento disseremus. Nunc ea tantum recitaui, vt studium accenderẽ. Quis enim non amet hoc studium si cogitet hanc doctrinam adeo certum de Deo testimonium esse & prodest animos confirmari talibus argumentis. Perficiam autem diligentia & assiduitate vt intelligant auditores sibi meam operam prodesse.

Andreas Aurifaber, proxima die mercurij hora ix.

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

Vtinam

VTINAM ſtudioſi literarum conſiderarent ſuę vocationis magnitudinem. Nam profecto hæc noſtra militia maxime ad rempublicam pertinet. Ideo propter communem ſalutem maiori cura in literis uerſari eos oportebat & regere mores diligentius, vt Deus aſpiraret diſcentibus. Præterea ſingulorum mores pertinent primum ad gloriã Dei deinde ad conſeruationem publicę pacis poſtremo ad exemplum & conſeruationem diſciplinæ.

Hæ tantæ cauſę merito debebant ſtudioſos mouere vt modeſtiſſime viuerent & vt gloriam Dei ornarent, & vt ſuo officio tuerentur communem pacẽ & exemplo iuuarent conſeruationem diſciplinæ. Veriſſimum eſt enim homines non ſibi ſed Deo & reipub: naſci.

Hæc vt cogitent ſtudioſi magnopere hortamur, & propter illas honeſtiſſimas & ſanctiſſimas cauſas precipimus, vt ſint modeſti nec nocturnis diſcurſationibus aut tumultibus perturbent ciuitatis

tatis tranquillitatem. Hac de re non modo scitis scriptas leges, sed etiam Dei vocem, naturæ, mentibusq; vestris impressã concionari.

Sed quoniam officij nostri est, quantum possumus disciplinam tueri, eadem de re sepius edicta proponimus. Decreuimus autem seuere exequi pœnas. quibus illa constitutio, quæ solet recitari in lectione Statutorum punit nocturnas discursationes & tumultus. Hac de re Scholasticos præmonere voluimus. Senatus etiam vobis pollicetur se non defuturum suo officio, & prohibebit noctu produci conuiuia vltra constitutum tempus. Et si quos ministri publici deprehendent delinquentes contra Edictum, ducent in carcerem custodiendos donec lucescat. Nos quoq; illis, qui ad iurisdictionem nostram pertinent mandamus, qui habẽt cõuiuas, aut excipiunt hospites, ne patiantur noctu conuiuia produci, vltra nonam horam. Multum ad alios coherendos, & ad ipsam iuuentutem flectendam ad modestiam, conducunt nostrorum exempla.

Tertio. Videmus passim incedere

Scholasticos amictos vestitu adeo scurrili, vt grauium virorum oculos mirum in modũ offendat & hospitum animos alienet; Quantum illi dolorem parentibus adferent, si in eorum conspectum cum tali vestitu venirent? Et sub his curtis penulis exerunt pugiones, quos gestare vetat constitutio Principis. Sciant igitur deinceps nos non passuros esse, vt pugiones gerant. Sed in constitutione de non gerendis armis excepti sunt, Magistratus & hi, qui sunt in consilio Academiæ, aut vrbis, item, ministri publici.

Si qui etiam sunt, quorum nomina nondum sunt perscripta in matricula, hi primo quoque tempore veniant ad Rectorem nomina daturi.

Quarto, Magistris, qui habent domesticas scholas præcipimus, vt suos fideli commissos maiore diligentia & seueritate contineant in officio. Vident nocturnas discursationes, non solum moribus & valetudini adolescentum nocere, sed etiam propter alios multos casus periculi ple-

nas

nas esse. Etsi autem videmus qualis sit contumacia iuuentutis in hac quasi fatali dissolutione disciplinæ, tamen non excusant tempora Præceptores. Imo nos pugnare cum vicijs temporum oportet. Quare postulamus, vt sint acriores & vigilantiores. Quia si vere volumus æstimare, hæc pædagogia non minus ad Rempublicam pertinet, quam Magistratus & Imperia. In scholis seminaria sunt Ecclesiæ & imperiorum. Et Deo reddenda erit ratio, an præstiterimus diligentiam, quam potuimus.

Postremo. Quia vt Iohannes inquit. Christus venit vt dissoluat opera Diaboli. Est autem præcipuũ diaboli opus dissolutio disciplinæ. Rogamus Dominum nostrũ Iesum Christum, vt ipse conseruet disciplinam, et reprimat diaboli conatus, ne dissoluta disciplina, sequatur infinita morũ barbaries, & insciția. Nam illa licentia quã deploramus, nõ tantũ oritur ab humana imbecillitate, sed magis a diabolo. Sed Christianos decet intelligere, & cauere diaboli insidias, & Christus iuuabit pios, & magnis premijs ornabit, qui propter

ipsum amant disciplinam, modestiam, & artes vtiles vitæ.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS ARTIVM.

MVLTI in disputationibus, vt præripiant aliis locum argumentandi, assident Cathedræ intra proximos cancellos. Eam deformitatem corrigere cupimus. Nam indecorum est, ipsos ibi quasi ex specu aut latebris argumenta sua recitare, vbi neq; conspici neq; exaudiri possunt, ac propemodum accidit, vt allaturi frigidissimas nænias maxime se in illum angulum abdant, vnde tanquam examen fucorum ex alueolis non vocem sed stridorem edunt.

Vt pugnanti ab exercitu conspici gloriosum est, ita decet disputantem vel se conspici & exaudiri, præsertim cum disputationes non solum studijs prodesse debeant, sed etiam ad formandam actionem in illa sedata ac mutua collo-

collocutione, quæ & ipsa requirit aptam vocis moderationem, & ne vultus atq; oculi aberrent, ac nequa manibus inepta gesticulatio edatur: Est quædam humanitas in disputando intueri respondentem, vt quasi cum amico, amanter contabulari. ac velle videaris aut ipsum sedate docere, aut ab eo discere. Ideo vellem memoriter pronũciari argumenta. Sed nunc de loco præcipimus. Accedit enim & illud incommodum. Cum illud murmur in angulo exaudiri non possit, surgunt reliqui, & ad Cathedram accedunt, ac multiplici strepitu impediunt, vt minus etiam audiri disputantes possint. Hæc in ludis aut Theatris fieri solent, vbi ineptorum stultitiæ ignoscitur, qui certant occupare loca commodiora. Scholam decet, vt templa, tranquillitas.

Ideo mandamus primum, vt Scholastici teneant superiorem sedem ad sinistram extra cancellos Cathedræ adiunctos. Si qui intra cancellos se abdent, mul-

 ctabuntur

etabuntur præmio, quod dari solet disputantibus.

Inprimis inconcinnum est quod, alij alios interpellãt initio, in proponẽdis argumentis, vt antenertant & dissonum clamorem edunt. Ideo ordine vt locus postulat, singuli sua argumenta proponant, nec priores interpellent.

Illud magnopere petimus & mandamus, vt sedeant adolescentes ne fiant stre pitus dum alij surgunt, alij procedunt, alij proximos elidunt. Hæc valde deformant nostros cõgressus, qui debebãt similes esse veterum congressuum in templis, vbi sedebant taciti auditores, vt Paulus inquit, Si fuerit reuelatũ sedenti. Et Christus in cœtu lecturus Esaiæ vaticinium dicitur surrexisse, ac postea rursus assedisse. Nostræ scholæ imagines esse debent illorum honestissimorum cœtuum in templis. Ideo auditores sedeant tranquilli, ne sibi & alijs excutiant attentionem.

Apud Homerum exercitus in concione sedet etsi tanta fuit multitudo, vt terræ motui comparetur strepitus venientis turbæ. De hac tamen inquit Homerus ὣς οἱ μὲν ῥ' ἕζετο λαὸς, & deinde παυσάμεν

ἀποκλαγγὴς. Nec dubiũ est, poetam retulisse morem vrbanarum concionum. Talium morum vestigia adhuc in Scholis fuerunt. Et ad disciplinam conducit, ac modestiam alit talis tranquillitas. Ideo avlde petimus, ne hos honestos ritus Scholarum illa ἀταξία mutetis.

Volumus & locum disputandi dari Magistris per vices, vt cum duo aut tres scholastici sua argumenta absoluerunt, petat præsidens a Magistris, vt disputent, quibus in tempore locus dandus est, vt materiæ possint explicari & illustrari.

Cumq; hæ disputationes institutæ sint ad erudiendos adolescentes, petimus vt plures Magistri disputent, qui propositas materias diligentius excutere possunt, quã reliqui tyrones. Postremo magnopere obtestamur omnes studiosos, vt omni officio has disputationes adiuuare & ornare studeant, vt honestissimus mos facilius cõseruari possit. Multas enim vtilitates affert hoc exercitiũ, ac nõ solũ acuit ingenia, sed etiã pronunciationẽ & actionẽ formatad & quãdã moderationẽ adfert vtilẽ moribus. Nõ obscurũ est ingenia acui, cũ illustrãtur materiæ sumptæ ex optimis artibus, ex

conferunt inter se docti suas cogitationes. Plurimum enim valet in studijs, vt inquit Cicero, ἀντίτυπος, quæ sit accuratissime in his publicis congressibus. Deinde iuuenes adsuefiunt ad dialecticam, & celeritatem in sententijs aliorum repetendis & explicandis. Alitur & extemporalis facundia, quæ est magnum decus. Postremo hæc moribus prosunt, quod disputantes actionem regere discant, & assuefiunt vt motus animi reprimant, frenent iracundiam, confusionem animi discutiant. Et adsuefacti in his congressibus in omni vitæ fiunt magis ἀντιτυπικοί & quadam comitate inuitare homines, & ad colloquendum & respondere possunt. Hęc pars est humanitatis, quæ sepe magnas vtilitates adfert.

ALMA veni nostris pax optatissima Musis
Da studijs pacem maxime Christe pijs
Turcicus Argolica quondã de sede Tyrannus
Expulit Aonij numina docta chori.

Nos

Non ſacer his Helicõ, nec dulcẽ carmine clarus
Parnaſſus, tutos exhibuere locos.
Ergo ſub occiduis petierũt ſimbus oras,
Hoſpitium q; ipſis Itala terra dedit.
Inde per Harcinn ſaltus, horrentia ſaxa,
Huc ſua Germanis dona tulere viris.
Sæpe igitur, quãuis properantia flumina Rheni
Facundo noſter Sturmius ore tenet.
Et mogani ripas illuſtrat Muſa Mycilli.
Edit & ad Viadrũ ſcripta diſerta Logus
Ovtinã ſic Lane tuus nũc viueret Heſſus
Vt fuit Aonij gloria prima chori.
Sed poſtquam vicit fatum, nunc forſan ad Albim,
Stigelio palmam Calliopea dabit.
Carmina Pierides dictant cui græca Camœnæ,
Illi ſcum officijs Necchare ſtaue tenes.
Cæruleaſq; vndas mulcens ſeptemplicis Iſtri
Nõ Ieoberge mihi prætereundus eris
Et qui Cæſaribus poſuiſti æterna ſtrophœa,
Germania laudem iure Sabine refers.

Quin & ad exiguas ripas qui natus Ilyssi,
Carmina grata deo docte Philippe facis
Quique refers veterem eloquij grauitate Pe
riclem,
Istius es studij non leue Iona decus,
Quid memorem Ioachime tuas in carmi
ne dotes
Greca tibi libeat siue latina loqui?
Ergo tibi Philyram faciles ante omnia
Muse,
Conciliant, quæ nunc te studiosa vocat
Pacem igitur Musis celestia numina do
nent,
Turcica ne trepidas hinc etiam arma
fugent,
Cura sit & nobis ipsarum dona tueri,
Artibus vt magnis hic quoq; duret ho
nos.
Ergo quoprosit studiosis nostra volun
tas
Ordiar Iliados grande Maronis opus.
De quo pauca suo dicentur tempore, si
veras,
Lector amice voles dexter adesse potes

M. Marcellus Anno 1541.

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VVITEBERGENSIS.

ETSI existimamus aliqua esse modesta ingenia, quæ adsciuntur cogitatione periculorum, quæ impendent Germaniæ, & studeant pietate morum lenire iram Dei, tamen videmus alios quosdam duriores esse Caucasi rupibus, ac prorsus nihil adfici publica mœstitia. Sed quærere belluinas voluptates, grassari ebrios totis noctibus, tumultus excitare, Ac sæpe iam accidit, vt etiam modestiores pertrahantur in sodalicia dissimilia,

Nos quod nostri officij est, disciplinam tueri cupimus & cohercere petulantiam, Ideo prohibemus nocturnos clamores & tumultus, item personatorum discursationes, ac ludum tesserarum, qui a musicatione nomen habet. Quid aliud quam insidias in hac tanta morum corruptione suspicari prudentes possunt, si videant in alienas ædes irrumpere ignotos personatos, tacentes, nutibus loquentes.

Hæc

Hæc aliena sunt & ab humanitate & ab ingenuitate. Speramus autem, apud bonos & modestos valituram edicti nostri autoritatem, quos quidem decet aliarum honestarum ciuitatum exemplis moueri.

Norimberga, Vratislauia, Lipsia & plerisq; alijs, etiam concessos ludos iam prohibuerunt, vt populus admoneatur exemplo aliquo de impẽdentibus periculis.

Quam est indecorum in Schola Christiana, contraria exempla conspici, quæ ut est præcipua pars Ecclesiæ, sic præcipue lugere publicas Ecclesiæ clades debebat, et veris ac assiduis gemitibus orare Deum, ne deleri nomen Christi, pios cœtus, politias & recta studia sinat. Sic pro Israelitis lachrymæ valuerunt Samuelis, Eliæ, Elisei, Esaiæ, Ieremiæ, Danielis, Iohannis Baptistæ, Christi & Apostolorum.

Nunquam Ecclesia foris est victa armis, nisi domesticis sceleribus, prius horribiliter

biliter deformata esset, Ergo qui non emendant mores, non sunt in Ecclesiæ, sed in hostium castris. Fuit Isennaci ante annos quinquaginta, vir pius & doctus Iohannes Hilten, qui cum alia multa prædixit, quæ euenerunt. Nam diserte scripsit, Anno 1516. initium fore emendationis doctrinæ Ecclesiasticæ) tum etiam de Turcici regni successibus & inclinatione vaticinatus est. qui & pannonijs positurum Turcam & vicinas regiones vastaturum esse scripsit. Postea vero inclinationē regni Turcici secuturam esse existimauit. Audimus & in vrbe Bizantio, Leonis ænei magnam molem saxo impositam & immotam, qui antea spectauit orientem, ante paucos annos ponte, sine vlla vi humana, conuersam esse ad occidentem, quo bella in occidente significari putatur. Et commemorari alia multa possent. Sed fortasis est ineptum vaticinia & prodigia recitare, præsertim cum hostis sit in conspectu.

Et tristissima signa sunt in morbis, qui si mediocriter emendarentur, Deus arceret

arceret hostem. Verum cogitate ipsi. Si tantum eo pacem expetimus, vt obscenis voluptatibus fruamur, quid preces piorũ quid arma virorum fortium proficere possunt. An putatis pios hoc precari Deum, vt det ocium alijs explendæ tyrannidi, ambitioni, libidinibus & alijs prauis cupiditatibus. An ideo vultis Deum preliari in nostra acie, ne stupra, ne adulteria, ne alia flagitia impediantur.

Nolite hanc dementiam aut pijs precantibus aut viris fortibus dimicantibus tribuere. Ne quidem exaudiret Deus Samuelem aut Ieremiam hæc precantes.

Alius est finis, quem & pij in precibus & viri fortes in acie intuentur, videlicet, vt Deus recte colatur, vt Ecclesia, disciplina, pia & vtilia studia, honesta politiæ conseruentur. Ergo vt preces, vt arma valeant, mores nostros emendemus. De his qui mores emendant, ait Samuel. Ne sic delinquam aduersus Deum ne orem pro vobis, ueue docebo vos viam bonam & certam, Ideo timete

Deum

Deum & seruiste ei vero & toto corde, ne
pereatis, Die XVIII Februarij.
Anno
1542

IOANNES Regiomontanus, qui diuina quadam ingenij præditus, tantum lucis attulit Mathematis, vt veteribus artificibus præstantissimis in hoc genere conferri possit. Is cum in Italiam ductus esset à Bessarione Græco, Cardinale, aliquantisper hæsit Patauij, vbi in Academia Florentissima, & inter doctissimos homines enarrauit Alfragani libellum. Nam cum propter imperitiores non statim prolixas demonstrationes Ptolomei proponendas esse iudicaret, sed consulere vellet vtilitati discentium, nec tamen prorsus vulgaria & teniuia elementa artifex tantus traditurus esse, delegit Alfragani commentarium, iudicans vberiorem esse Iohanne de Sacro Busto & similibus libelli, qui continent initia Astronomiæ.

Hæc eo prefatus sū, vt scholastici, iuditio

&

& autoritate summi artificis Iohannis de Regiomonte inuitentur ad lectionē Alfragani. Neq; enim putaui vllam futuram grauiorem commendationem huius autoris, quam testimonium eius viri, cui doctissimi omnes in Germania atq; Italia libenter principatum in his artibus tribuerunt, & qui, vt posset suos autores perfecte intelligere, & explicare, etiam græcæ linguæ se dedidit vt fontes doctrinæ videret,

Itaq; moueat studiosos autoritas Regiomontani, vt Alfraganum amem & diligenter cognoscant. Erit vtilis etiam rudioribus, quia elementa proponit. Quare & in hac ipsa prælectione habebimus occasionem repetendi illa, quę in libello Iohannis de Sacro Busto tradidi. Accedent & alia, quæ prouehent eos qui elementa cognouerunt, & profutura sunt doctioribus. Etsi enim meo me pede metior agnosco me in his disciplinis tyronem esse, tamen deo dante, perficiam, vt pro mea mediocritate, hunc commentarium dilucide explicem.

In

In his artibus ſumma laus eſt perſpicuitatis, & ſimplicitatis. Ideo earum tractatio aſſuefacit ingenia, vt etiam in alijs diſciplinis ament ſimplicitatẽ & perſpicuitatem, Poſtremo incendat auditores ad hunc commentarium cognoſcendum, rerum vtilitas & ſuauitas. conſtat enim doctrinam de motibus celeſtibus in multis vitæ partibus prodeſſe, vt alias ſepe dictum eſt. Et naturæ non monſtroſæ fatentur nihil hac philoſophia dulcius ac iucundius eſſe. Quia enim traducit nos ad agnitionem Dei, ad aſpiciendas res perpetuas, & ad cauſas mutationum in natura, quarum cognitionem vehementiſſime expetit humana mens, adfert mirificas voluptates, Sed hæc alias ſepe dicuntur.

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS.

DEBEBANT Imperia præcipue regere diſciplinam, & mores hominum, et arma gerere ad cohercendos petulantes vt Paulus inquit, Magiſtratum debere eſſe terrori malis & tueri bonos. Sed hanc preciupam partem ſui muneris guberna-

tores negligentius administrant, quam cæteras. Interim Ecclesia & nos, qui docemus in scholis, doctrinam de Deo fideliter tradimus, & quantum possumus docendo disciplinam regimus. Sed sumus sine presidijs & viribus, & plane vt Baptista inquit, sumus vox clamantis in deserto, imbecilles homines ac spreti. Sed tamen per nos spiritus Dei sonat salutarem doctrinam, vt inquit Christus: Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris celestis in vobis loquitur. Qualescunq; sumus, tamen munus docendi, quod omnium summum est, & quo patres, prophetæ, & Apostoli fungebantur administramus. Et nostri cœtus debent esse seminaria Ecclesiæ.

Hæc vtinam scholastici cogitarent, vt se ad huius nostri muneris reuerentiã & ad amandas scholas excitarent. Sed multi sunt mixti scholastico cœtui, qui non cogitant se in scholis, vt in Ecclesia viuere, ac sibi licentiã sumunt plus quã barbaricam, oppugnant alienas domos, populantur hortos, nocturnos tumultus excitant

excitant, discurrunt armati, prouocant tranquillos, denique modus nullus est petulantiæ, & immanitatis. Hi furores cõpescendi erant armis Magistratuum: Sed aulæ disciplinam negligunt.

Nos vero ne nostrum officium omittamus, precipimus scholasticis vt Deo & Domino nostro Iesu Christo obtemperent & mores regant.

Denunciamus etiam omnibus, certo Deum vindicem & vltorem fore contumaciæ, qua & Dei mandata contẽnunt & scandalis dedecorant scholam, & aliorum studia impediunt.

Prouocationes violant iusiurandum quod Rectori singuli scholastici dare solent, & per sese sunt iniustæ, atroces, ac latrocinij similes, nec tolerari possunt in societate ciuili. Ideo decretum est, vt prouocatores ex Academia eiiciantur. Qualis furor esset, si in ipsis templis Dei, latrocinia exercerentur: at scholæ re vera sunt templa Dei.

Et vt tranquillitati consulatur, etiam seuere precipimus ne prouocati verbis moueri se ad dimicandum sinant, eaq; in re magis vrbicate, publica & priuata iracundia moueantur. Tumultus nocturni pene speciem prebent captę ab hostibus vrbis, & grauidis, ægrotis puerperis, sepe magnos terrores incutiunt. His certe parci decet. Et res ipsa aliena est a ciuili consuetudine in qua ordo, modestia, & studium tranquillitatis precipue conspici debent.

Prohibemus ergo & vociferationes & gestationes cum aliorum armorum tũ et iam plumbeorum globorum.

Postremo de hortis sciant scholastici, etsi hæ sepes quas videtis, factæ contexta salice, non satis muniunt hortos tamen Deus circundedit suam sæpem, videlicet hanc legem: Non furtum facies, propter huius legis autorem & uindicem abstinete ab alieno.

Nos quoq; quantum poterimus de

linquentes

linquentes puniemus. ac caueant illi, qui noſtram imbecillitatem contemnunt ne nimia petulantia prebeat occaſionem, vt ſepe accidit, durioribus imperijs & ſupplicijs. Si irritatus Illuſtriſſimus princeps iudicabit durioribus frenis opus eſſe, intelligetis ei nec conſilium, nec magnitudinem animi deeſſe.

Die Iulij xij An. M. D XLIIII.

IN NARRATIONEM me amorphoſeos Ouidij.

Fabula narratur ſcriptis celebrata uetuſtis
Non credenda licet moribus apta tamen.
In porcos Circe comites mutarat Vliſſis
Viribus herbarum, carminibusque potens.
Reddidit ablatas ijſdem quoq; deinde figuras,
Quod fuerat primo quilibet eſſe cupit.
Vnus erat Gryllus, cui mens diuerſa uolebat,
Huic plus humana uita ſuilla placet.
Virtutem ſic pars hominum quoq; maxima ridet
Brutorumq; magis uiuere more iuuat.
Non amor eſt recti, uirtutis nulla cupido,
Et ſua uirtuti gloria rara datur.

vitæ, uoluptatesq; placent, moresq; ferini
Et quod preterea turpe parumq; decens.
Sint procul à nostro cœtu qui talia quærunt,
Sint procul à studijs talia monstra bonis
Sed Circen quærant, Gryllum similesq; magistros
Et lutulenta colant turpia q; antra suum.
At quibus est melior nec tam peruersa uoluntas,
Qui pecudum ritu uiuere turpe putant,
Illis ingenuas animum excoluisse per artes
Cura sit, & studijs incubuisse pijs,
Humano generi Deus hæc sua munera donat
Et pietas hæc est discere grata Deo.

Hæc inter sibi iure locum quoq; sacra possis
Vendicat, extremum non tenet illa locum,
Ergo Poetarum quoq; carmina docta legamus,
Vtilitas etenim non leuis inde uenit.
Naturam rerum sic effinxere Poetæ
Vt speculum formas fingere leue solet.
Pulchraq; uirtutum nobis exempla recensent,
Inclyta dum prisci temporis acta canunt.
Proponunt nostræ præcepta salubria uitæ,
Et morum quæ sit regula certa docent:
Turpe quid ostendunt & quid scelerata sequatur
Facta monent, & quod sit probitatis opus.
Ardua sidereis se serunt fastigia cœli,

Demonſtrant geminos eſſe ſub axe polos.
Errantemq; canunt lunam ſolisq; labores,
Quodq; tenent certas ſydera clara uices.
Auferat hybernis quare de noctibus æſtas,
Cur minuat longas frigida bruma dies.
Irruat in ſedem cur tardi Cynthia fratris,
Obiecto rapidas fuſcet & orbo faces.
Cur non Parrhaſides tingantur in æquore ſtellæ
Quæ ſunt arctoo proxima ſigna polo.
Quæ res incendant diros moueantq; cometas,
Et tantas flammas contrahat unde uapor.
Fiat ut interdum quod cœlo ſtella ſereno.
Quam cecidiſſe putes non tamen illa cadat.
AEolus inſanos ut frenet earcere uentos,
Aduerſa quando prælia fronte gerunt.
Vt triſtes Hyades Nymbiſq; ſuperbus Orion,
Dant uires pluuiæ materiamq; cient.
Nec cauſas rerum tantum docuere poetæ,
Verum etiam nobis fata præeſſe monent.
Iſtaq; ſeruari non caſu corpora mundi,
Mente ſed æterna conſilioq; regi.
Quos non tantarum iuuat inquiſitio rerum.
Hos ego non homines ſed reor eſſe feras.

Vt uates igitur ſtudiumq; colamus honeſtum,
Et laus ſit Muſis quantulacunq; bonis.

Ordiar egregium Naſonis et utile carmen.
In non credendos corpora uerſa modos,
Hoc opus (ut uerbis complectar plurima paucis)
Illud precipue commoditatis habet.
Hiſtoriæ ſeriem quod prima ab origine mundi,
Tempus ad Auguſti Cæſaris uſq; docet.
Ac tibi ne uanis credas modo tempora ſcriptis
Ludi, ſub fictis plurima uera latent.
Si cui igitur ſtudium, placet hoc et noſtra uoluntas,
Ad ſolitum ſe cras conferat ille locum.

Iohannes Marcellus
Regiomontanus.

14

PAX optíma rerum,
Quas homíni nouiſſe datum eſt, Pax vna triumphís
Innumeris potíor.

Sed tanto bono vtí homines debebant ad erudiendas & ornandas Eccleſias, ad docendam iuuentutem, ad mores regendos. Hoc cum non fiat, ac otium inuitet voluptates, ignauiam & multa vícia níhil miremur exoriri bella. Sic igitur a Deo pacem petamus, vt hanc etiam bene

am bene collocemus, gubernatores sint in tuenda disciplina seueriores, erudiantur Ecclesiæ, nos literas & artes vitæ necessarias acerrimo studio colamus.

Hæc si faciemus, facilius a Deo pacem impetrabimus, quam & petere maiore cura debemus, quod apparet precipue Turcicis bellis deleta esse studia doctrinæ in ijs locis vbi maxime quondam floruerunt, in AEgypto, Asia, & Græcia. Illa ipsa ciuitas Attica, quæ nutrix fuit artium, ita concidit, vix vt locus vbi quondam fuit, monstrari iam possit.

Vt igitur excitemus studia ingenioſorum, enarrabimus (Deo iuuante) scriptum, quod pene ausim dicere, omnium humanorum operum longe pulcherrimum esse, τὴν μεγάλην σύνταξιν Ptolomæi, quæ complexa est doctrinam demotibus celestibus integram. Agnoscunt omnes sani suauem & dulcẽ esse cognitionem eius doctrinæ. Nam mens humana orta e cœlo, cognitione

rerum celestium, æelut conspectu patriæ delectatur.

Sed aliæ multę causæ etiam nos ad hæc studia hortantur. Cum Deus ait condita esse sydera, vt sint signa; & metiantur annum, & vices temporum, certe aspici sidera, et motus obseruari voluit. Frustra enim constituuntur metæ anni non obseruantibus. Iam illud cogitate quanta esset vitæ confusio, si Ignota esset anni ratio, si spacia preteritorum seculorum & seriem historiarum retro animis legere & comprehendere non possemus, quæ tenebræ essent religionum, & maximarum rerum.

Sunt & aliæ vtilitates Physicarū significationum non leues. Quam est enim absurdum, putare hanc miram & certissimam motuum varietatem frustra à Deo architecto institutam esse.

Expetenda est igitur motuum doctrina, quam pro mediocritate mea diligēter explicabo, in Ptolomei enarratione

Deus

Deus vmbras dedit humano generi harum rerum doctrices, dedit numeros & mensuras, vt agnoscamus & mentem esse opificem tam mirandæ machinę, & se á nobis inquiri & coli velle. Incipiam autem enarrationem Ptolemæi die proxima Iouis.

M. Ioachimus
Rheticus.

IN LECTIONEM
Theoricarum Purebachij.

Necesse est, in scholis retineri libellos qui tradunt elementa artium, quibus bene cognitis, aditus, patet ad reliquas partes disciplinarum obscuriores. Est enim ἀρχὴ, ἥμισυ τοῦ παντος, seu, vt Plato inquit, plus quam dimidium.

Quare iterum inchoabo theoricas planetarum, eaq; in re non tantum meum iudicium sequor, sed etiam collegij nostri, sed cum sæpius repetantur theori

cæ

rerum celestium, æelut conspectu patriæ delectatur.

Sed aliæ multę causæ etiam nos ad hæc studia hortantur. Cum Deus ait condita esse sydera, vt sint signa; & metiantur annum, & vices temporum, certe aspici sidera, et motus obseruari voluit. Frustra enim constituuntur metæ anni non obseruantibus. Iam illud cogitate quanta esset vitæ confusio, si ignota esset anni ratio, si spacia preteritorum seculorum & seriem historiarum retro animis legere & comprehendere non possemus, quæ tenebræ essent religionum, & maximarum rerum.

Sunt & aliæ vtilitates Physicarū significationum non leues. Quam est enim absurdum, putare hanc miram & certissimam motuum varietatem frustra à Deo architecto institutam esse.

Expetenda est igitur motuum doctrina, quam pro mediocritate mea diligēter explicabo, in Ptolomei enarratione

Deus

Deus vmbras dedit humano generi harum rerum doctrices, dedit numeros & mensuras, vt agnoscamus & mentem esse opificem tam mirandæ machinę, & se à nobis inquiri & coli velle. Incipiam autem enarrationem Ptolemæi die proxima Iouis.

M. Ioachimus Rheticus.

IN LECTIONEM Theoricarum Purebachij.

Necesse est, in scholis retineri libellos qui tradunt elementa artium, quibus bene cognitis, aditus, patet ad reliquas partes disciplinarum obscuriores. Est enim ἀρχὴ, ἥμισυ τοῦ παντος, seu, vt Plato inquit, plus quam dimidium.

Quare iterum inchoabo theoricas planetarum, eaq; in re non tantum meum iudicium sequor, sed etiam collegij nostri, sed cum sæpe repetantur theori

cæ

ſicæ, viſum eſt interim adiungere Euclidis enarrationem, diſtribuamq; horas ita vt diem Lunæ & Martiis tribuam Theoricis reliquũ biduum Euclidi. Miſcebo & Theoricis, vt antea feci, tabulas reſolutas quæ lumen addunt theoricis, & oſtendunt computationem motuum celeſtiũ multorum ſeculorum. Quid eſt autem admirabilius, quam tenere rationẽ, & retro, & in poſterũ multorum annorũ curriculis ſiderum poſitus conſiderare.

Abſolutis theoricis, Deo dante, ad ſphæram præcepta, de figuris geneſeön conſtituendis vt ſiderum poſitus in qualibet geneſi recte computare ſtudioſi poſſint. Ea exercitatio, ſi nihil aliud, certe hanc parit vtilitatem, vt in exemplis illis motuum cõputatio fiat illuſtrior & familiarior. Sed ſi vere iudicare volumus, ſunt aliæ quoq; magnæ vtilitates.

Siderum poſitus, ingeniorum inclinationes, & multos caſus vitæ, & interdum reipub. mutationes, monſtrat. Eſtq; vel maxime illuſtre argumentum, quod teſtatur hunc mundum, non extitiſſe ca

ſu

ſu, quod ſigna mutationum venturarū in celo picta ſunt. Nec enim caſu & ſine mente poterant ordinari ſigna futurorū euentuum: Cumq; manifeſtum ſit, diſſimillimas eſſe qualitates planetarum, abſurdum fuerit cogitare, nullius vſus cauſa hanc diſſimilitudinem conditam eſſe.

Preclare Ariſtoteles ait ὁ μὴ τυχὸν οὕτως, ἀλλ' ἕνεκά τινος ἐν τοῖς τῆς φύσεως ἔργοις ἐστὶν ἢ μᾶλλον. Hoc cū manifeſte verum ſit in minutiſſimis rebus in hac inferiore natura, vbi videmus ſingulas, ad vſum aliquem naſci cur non & illa ingētia & perpetua corpora ad mirificos vſus exiſtimemus condita eſſe? Incendia corporum atq; aeris & motus rubræ bilis in animantibus excitari Martis lumine, manifeſtum eſt. Econtra frigeſcere & areſcere corpora Saturni lumine, & atrā bilem in animantibus augeri conſtat. Ac venturi veris calor & intemperies, teſtabuntur, magnam efficaciam eſſe ſtellarum in variandis tempeſtatibus, cū & Mars in Arietem veniet, & erit oppoſitus Saturno, & accedet Eclipſis.

Hæc

Hæc signa minacia, vt Deus mitiget, orandus est,

Quare doctrina, & de motibus, & de significationibus considerandæ est, qua quidem vt recte vtamur, etiam studiosos adhortari debemus, videlicet, quod & motus & significationes de Deo opifice nos admoneant, vt cogitemus, nos ad agnitionem Dei, & ad immortalitatem conditos esse. Significationes vero etiam hortentur nos, vt mores diligentius regamus, & Deum inuocemus, vt euentus gubernet, qui præcipue sunt in potestate Dei.

Erasmus Reinholdus
Saluelden sis.

IN PRAELECTIONEM EVCLIDIS

Aiunt Aristippum tempestate in Rhodium portum delatum esse, amissis rebus naufragio, quas secum domo vexerat. Erat autem ignotus Rhodi &

dum

dum anxie secum deliberat, quo egens & inops, diuertat: videt in portu pictas Geometricas figuras. Hic restitit lætus & ad comites inquit, non defuturum in eo loco hospitium quod ibi hominũ vestigia cerneret, monstrans figuras Geometricas, quę testabantur in eo loco homines esse deditos bonis artibus, & studijs virtutis.

Maxime vero in scholis hæc hominum vestigia conspici debent in quibus precipue debent esse cœtus humani, hoc est artium & virtutis studiosi. Deinde cum in Scholis tradatur doctrina de Deo, de mundi opificio, de motibus de natura hominis & eius officijs, spectentur passim in priuatis & publicis tabulis figuræ illæ, sint in manibus libri Geometrici. Nam doctrina illa, quam dixi de mundi opificio, & natura hominis magna ex parte extruitur ex Geometria. Hęc initium est Physices ac demõstrat mundum finitum esse, & hanc ingentem molem mundi docet nos mente cõplecti & metiri. Postea vero late spar-

git

git sua beneficia.

Magnum decus est tenere anni descriptionem, magna vtilitas nosse situs omniũ Regionum terras ac maria mente circumire, ac spacia limitesq; notare tam certo, quam si oculis distingueres.

Hac doctrina nec Politica vita, nec Ecclesia carere potest. Quales enim tenebrę antiquitatis essent, si annorum series ignota esset, qualis insscitia, si locorum distinctionem non teneremus. Geometria vero mensuras fabricat, quibus comprehendere ac notare in cœlo spacia possumus. Denicq; fontes sunt, Arithmetica, & Geometria, vniuersæ cœlestis doctrinæ, Cosmographię & Physices.

Quare in Academia graui iudicio constitutum est vt subinde proponatur Euclides. Vtinam vero plures essent, qui has artes serio colerent. Ac inuitare multos hæc ingens vtilitas debebat quod ad alias Philosophiæ partes aditus non

possit

possit patere, si desit Geometria. Deinde honestæ menti hæc ipsa artiũ tractatio eo dulcior est, quia hic manifesta indicia cernuntur, quæ testantur & esse Deum & hunc mundum regi prouidentia. Ideo Plato dixit gratam Dei, famam in artibus sparsam esse. Aristippus vocauit figuras Geometricas hominum vestigia. At nõ minus vere Dei vestigia dici possent. Nam ille mirificus ordo & consensus, cũ in hac doctrina, tum vicinis illustria testimonia sunt hanc hominum naturam a mente æterna ortam esse, quę numeros, figurarum metas, & proportiones æterna & imutabili lege instituit, ac nobis monstrauit. Sed de dignitate atq; vtilitate harum artium & sæpe alias dicitur, & sæpe dicendi vtile est.

Nunc Scholasticos adhortamur & ego & ceteri professores, ac obtestamur, vt maiore frequentia ac studio has artes audiant. Scimus olim nobis gratiam habituros esse bonos, quod eos inuitauerimus ad hęc studia, quodq; optimos autores propoſuerimus, Sunt initia plana ex

pedita & plena ſuauitatis, quibus deguſta
tis non ſolũ facile erit progredi, ſed etí
am rerum ſuauitas accendet animos, vt
plura diſcere libeat. Inchoabo autem
primum Euclidis vndecimo. die Iunij,
Deo volente. 1545.

Eraſmus Reinholdus
Saluelden ſis.

17 TANTA eſt perſpicuitas demonſtra
tionum Geometricarũ vt confeſſus
ſit Galenus, ſe pene errorem ac dubitati
onem Academicorum comprobaturum
fuiſſe, niſi reuocatus fuiſſet in viam, cõ
ſideratione Geometricarum demonſtra
tionum, in quibus cum viderat eſſe tan
tam certitudinem, & tantum conſenſũ
animaduertit & corpora omnia ita condi
ta eſſe, vt certas metas ac menſuras in
ter ſe habeant, & humanę menti inſitas
eſſe certas noticias, quibus metiri corpo
ra poteſt, propter ingentes vtilitates. Ni
ſi enim hæ noticiæ eſſent certæ, nullum
diſcrimen conſpiceretur finiti & infiniti

Porro.

Porro in ſtudijs magnopere prodeſt, intelligere veram vim demonſtrationum quæ cũ in Geometricis exemplis maxime conſpiciatur, omnibus vtile eſt attingere principia Geometriæ. Sed aliæ ſunt vtilitates maiores & illuſtriores, quare in ſcholis neceſſe eſt tradi Geometriam. Nam illa pars Philoſophiæ quæ vocatur Phyſica ſumit initium à Geometria & velut extruitur ex Geometria. Hinc oſtendit Ariſtoteles hunc mundũ finitum eſſe. Hinc motuum differentias certas ſumit, circularem motum & rectum. Item poſitus corporum celeſtium & elementorum, deniq; alia multa.

Quare Geometria multum lucis adfert Phyſicæ. Deinde tota doctrina de motibus celeſtibus, de obſeruatione æquinoctiorum, & Eclipſium orta eſt ex Geometria. Ingentem cumulum vtilitatum adfert certa anni deſcriptio. Atq; hæc neq; tradi neq; intelligi poteſt, ſine Geometria. Nam vmbrarum menſuræ adhibita hac arte oſtenderunt motus celeſtium corporum. Ita Deus nobis Ma-

pedita & plena ſuauitatis, quibus deguſta
tis non ſolũ facile erit progredi, ſed etí
am rerum ſuauitas accendet animos, vt
plura diſcere libeat. Inchoabo autem
primum Euclidis vndecimo die Iunij,
Deo volente. 1545

Eraſmus Reinholdus
Saluelden ſis.

17 TANTA eſt perſpicuitas demonſtra
tionum Geometricarũ vt confeſſus
ſit Galenus, ſe pene errorem ac dubitati
onem Academicorum comprobaturum
fuiſſe, niſi reuocatus fuiſſet in viam, cõ
ſideratione Geometricarum demonſtra
tionum, in quibus cum viderat eſſe tan
tam certitudinem, & tantum conſenſũ
animaduertit & corpora omnia ita condi
ta eſſe, vt certas metas ac menſuras in
ter ſe habeant, & humanę menti inſitas
eſſe certas noticias, quibus metiri corpo
ra poteſt, propter ingentes vtilitates. Ni
ſi enim hæ noticiæ eſſent certæ, nullum
diſcrimen conſpiceretur finiti & infiniti
Porro.

Porro in ſtudijs magnopere prodeſt, intelligere veram vim demonſtrationum quæ cũ in Geometricis exemplis maxime conſpiciatur, omnibus vtile eſt attingere principia Geometriæ. Sed aliæ ſunt vtilitates maiores & illuſtriores, quare in ſcholis neceſſe eſt tradi Geometriam. Nam illa pars Philoſophiæ quæ vocatur Phyſica ſumit initium à Geometria & velut extruitur ex Geometria. Hinc oſtendit Ariſtoteles hunc mundũ finitum eſſe. Hinc motuum differentias certas ſumit, circularem motum & rectum. Item poſitus corporum celeſtium & elementorum, deniq; alia multa.

Quare Geometria multum lucis adfert Phyſicæ. Deinde tota doctrina de motibus celeſtibus, de obſeruatione æquinoctiorum, & Eclipſium orta eſt ex Geometria. Ingentem cumulum vtilitatum adfert certa anni deſcriptio. Ac hęc neq; tradi neq; intelligi poteſt, ſine Geometria, Nam vmbrarum menſuræ adhibita hac arte oſtenderunt motus celeſtium corporum. Ita Deus nobis Ma-

gistram huius artis ac mõstratricem multarum admirabilium rerum, dedit vmbram. Fortassis, vt meminerimus adhuc nos rerum vmbras videre, ipsas vero res penitus in illa æterna luce perspecturos esse.

Cum igitur tanta sit vtilitas Geometriæ, decreui aliquot libros Euclidis explicare, & inchoabo primum librum die Iouis proxima. Hoc absoluto, postea per interualla singulis septimanis tribuam aliquos dies Euclidi, aliquos Theoricis. Nam has quoq; sudinde repeti in scholis necesse est, Adhortor autem scholasticos, vt hanc artem ament & cupide discant, inuitati magnitudine vtilitatis. Meministis Platonis præcepta qui arcebata reliqua Philosopia eos, qui non norant Geometriæ elementa, μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, quare cogitabitis Geometriam discendam esse, vt ad reliquam Philosophiam magis idonei simus

RECTOR

RECTOR ACADEMIAE VITEBERGENSIS

MAGNVM & admirandum opus Dei est, celi ac totius huius machinæ & rerum creatio, sed longe maius est quod filius Dei carnem induit vt ęterni patris arcanam voluntatem nobis patefaceret, & pro nobis victima fieret,

Hoc ingens opus & beneficium Dei, cum Ecclesia Christi iam celebret, precipimus scholasticis, vt trāquilli & modesti sint in his ferijs, ac se ad pias meditationes excuscitent. Angeli celestes denunciarunt, & celebrauerunt Christi natiuitatem. Huius chori socios esse nosi conuenit. Nec enim desierunt Angeli canere illas laudes Deo. Adhuc sunt inspectores Ecclesiæ & nobis precinunt pias laudes. Has interturbare scandalis, nec cogitare magnitudinem diuini operis, nec iram Dei aduersus eos, qui contemnunt venientem dominum diabolicus furor est.

lata non corrumpantur, necesse est fõtes nosse.

Deinde phrasis intelligi non potest nisi vocum & figurarum vis collatione testimoniorum inquiratur, ad quam rem necesse est linguam ipsam & vocum proprietatem & metaphoras discere. Deniq; non dubium est mediocriter intelligenti linguam, passim lectionem illustriorem esse. Omnibus igitur ætatibus inde vsq; ab Apostolis donum linguarum in Ecclesia deus seruauit, semper fuerunt viri alias alibi, qui versiones ad fontes conferebant, & natiuas sententias ostendebant. Pro hoc munere gratias Deo agere debemus, hoc est celebrare dei bonitatem quod non sinit extingui Euangelij lucẽ, sed vere accendit studia doctrinæ & virtutis in multorum mentibus, vt colligatur Ecclesia æterna & multi salui fiant. Hanc autem significationẽ gratitudinis precipuam requirit Deus, vt nostra cura datum munus tueamur & amemus. Accendit Deus nunc quoq; mediocrem linguarum cognitionem

nem, & hanc ali & propagari vult discen
do, studia igitur necessaria sunt & seruā
tur donum apud discentes vt filius Dei
inquit, Habenti dabitur. Et congruūt
sententię multę quæ significant iuuari à
Deo non cessantes & prorsus nihil agē-
tes, sed diligentia & labore ornantes Dei
munera, vt dicitur φίλει δὲ τῷ κάμνοντι
συμπεραίνεσθαι.

Discere igitur necesse est, si linguarū
donū seruari in Ecclesia volumus. Mul-
ti ignari linguæ Ebreæ cum instituunt e-
narrationes, nihilo dexterius explicant
sententias quam si quis vt dicitur claue
ligna findere, & securi feras aperire co-
netur.

Moueamur igitur publica Ecclesię
necessitate, & nostra salute, vt literas E-
braicas amemus & discamus, vt doctri-
nam de Deo magis perspicuam & firmā
teneamus. Hoc bono nullum maius in
hac vita cogitari potest. In docendo qui
dem adseuerare certius potest interpres
eruditus & pius, si fontes didicit, & quasi

mente ipſum Prophetæ aut Apoſtoli archetypum intuetur, quam qui vmbram inſverſionibus vtcunq; redditam ſequitur.

Propter has grauiſſimas cauſas & literæ Ebraicæ in Academia traduntur, & Grãmaticis preceptis additur enarratio alicuius partis ſacrorum voluminum, vt ex ipſo ſermone Prophetarum lingua, phraſes, figuræ diſcantur. Et ego iam decreui Iſagogen Ebreæ grammaticæ Pauli Phagij tradere, quam vt emant, audiãt & ediſcant, magnopere ſtudioſos adhortor. Totumq; hoc ſtudium eo libentius colãt quia ſciunt gloriam Dei & Euangelium domini noſtri Ieſu Chriſti hoc labore illuſtrari, & iuuari vniuerſam Eccleſiam & priuatim confirmari pias mentes, quia fontes celeſtis doctrinæ patefacit.

Lucas Edenbergius.

IN ARITHMETICAM

Conſtat

Constat in omni vita multas & infinitas esse vtilitates Arithmeticæ. Nam quotidianę vitæ vsus docet non solum in mercatæ, aut metallicis rebus opus esse scientia numerorũ, verũ etiam in multis alijs publicis & priuatis rebus; quæ rite explicari & computari sine arte nequeũt, vt maxime valeas ingenio.

Deinde cum deceat eos, qui in studijs versantur perfectam doctrinam expetere et propagare ad posteros, certe ad doctrinam de rebus celestibus, opus est his ducibus seu alis potius, Arithmetica inquam & Geometria. Et quanq; ad perfectam cognitionẽ motuum celestiũ omnino, necessaria est Geometria tamẽ hæc ipsa quoq; mutila est sine numerorum scientia.

Accedit illud etiam q; qui Arithmeticen mediocriter callent, etiam si Geometriam nondum teneant tamen ad Astronomiam discendam maximum aditum habent, eamq; ad vsum transferre possunt. Sed quid opus est omnes numerorum

merorum vtilitates persequi. quæ quidem infinitæ sunt. Ac scio Arithmeticen magni fieri a studiosis, qui vel primis labris eam deguſtarunt. Nam & mire vim ingenij excitat, acuitq; ad Dialecticam & cæteras artes facilius perdiscendas.

Deinde passim in præstantissimis autoribus multi loci occurrunt, qui absq; subsidio Arithmetices uequaquam possunt intelligi. Iam diu etiam quidã optimi adolescentes flagitarunt meam operam in docenda Arithmetica, quorum voluntati hactenus ob inopiam exemplarium, quæ enarrare cupiebam, minus potui gratificari.

Nunc postquam mea opera hic recusus est libellus Arithmeticus Gemmæ Phrysij, qui maximo compendio præcipuas regulas vulgaris arithmetices complexus est, vt apparet, itemq; Geometrica quædã exempla adiecit, de creui eum priuatim prælegere. Idq; publice hoc loco significandum duxi. De loco & precio facile conueniam cum meis auditoribus.

Fidem

Fidem certe & diligentiam præstabo in tradendis præceptis & exemplis, legamq; singulis diebus, alias quidem horaxij, seu prima, alias vero XI. quando reliquæ horæ publicis lectionibus sunt occupatæ, sicut etiam hac de re conuenimus.

Hac vero septimana nondum inchoabo, sed Deo volente, proxima Dominica hora XII: in auditorio veteris collegij, vt Exemplaria possint interea comparari, quæ quidem cras, vt puto ædentur. & apud Mouricium reperientur. Huic porro libello adiungant studiosi Epitomen Arithmeticam Glareani, & si qui alij videbuntur.

Erasmus Reinholdus.

21
1

PHILIPPVS MELANTHON

Mulæ Asmæq; duos imponit seruulus utres
Implctos um. ,segnemq; ut uidit Asellam
Pondere defessam uestigia figere tarda
Mula rogat. Quid cara parens contare, gemisq;

Vnam

Vnam ex utre tuo mensuram si mihi reddas,
Duplum oneris tunc ipsa feram, Sed si tibi tradam
Vnam mensuram, fient æquali a utriq;
Pondera, Mensuras dic docte Geometer istas.

IN GEOGRAPHIAM PTOLEMAEI.

OOmnia conando docilis solertia vicit, inquit Manilius, ac studiosos excusitat, vt progredi in artibus ausint, & exprimis fundamentis extruere reliquas partes. Cum igitur sepe in hac schola tradita sint elementa de circulis celestibus, climatibus, de diuersitate dierum, non hæreamus in his initijs, sed aliquando progrediamur ad vtiliora.

Decreui igitur, Deo iuuante, hoc semestri explicare Geographiam Ptolomæi, vt discant studiosi locorum interualla dijudicare, complectantur animo regiones omnes habitati orbis, Quod ad intelligendas historias vtilissimum est. Lustrare varias regiones, & contempla-

ri

ri opiniones, ſtudia, relligiones, mores hominum, & conferre inter ſe inquiſitis veris cauſis conducit ad excitanda ingenia, & ad prudentiam.

Hæc fuit cauſa Platoni, Galeno, Iohanni Regiomontano, & alijs multis doctiſſi. viris peruagandi exteras nationes. Sed veriſſimum eſt, quod dicitur, Non omnibus contingit adire Corinthum. Retinemur in patria alij aliis difficultatibus.

Quare proximum eſt, vt regionum deſcriptiones ex libris cognoſcamus. Ac ne ipſa quidem erratio prodeſſet ſine doctrina. In libris cauſæ monſtrantur non ſolum, cur alia dierum ſpacia ſint in alijs regionibus, ſed etiam cur ſoli natura varier, vnde ingeniorum, ac morum diſſimilido oriatur, quæ profecto in conſuetudine vitæ diligenter conſideranda eſt. Germani, preter quoſdam deprauatos peregrinis moribus, amantes veritatis, inimici crudelitati, fædis libidinibus, ſimulare neſcij, & vt titulus ſonat γνήσιον ac

germanum

germanum quiddam ipsa ingenuitate morum retinentes. Econtra Iberi occultatores, fallaces, crudeles libidinosi. Vnde hæc tanta ingeniorũ diuersitas? Causa quæritur in scriptis eruditorum.

Quare non satis est adijsse multas regiones, nisi animo hanc doctrinam de totius terræ ambitu, spacijs locorum interuallis, causs diuersitatis dierum & naturarum cognoueris. Certe lumen est historiarum omnium Geographia, vt locus ipse ostendit in Genesi de paradiso.

Cum enim significaret fere totam terram fore Paradisum quaqua versus, fluminibus distinxit, ortum, occasum, meridiem & septentrionem. Ad ortum longitudo ingens panditur, qua fluit Phison, id est Ganges, qui perlabitur Indiam. Ad occasum erat Euphrates. Ad meridiem Nilus ingenti spacio inde vsq; à circulo æquinoctiali veniens qui quia statis temporibus in summo æstu contra naturam aliorum fluminum intumescit, ac exũdat, Gihon dictus est, Septentrionem

onem ambit Tigris, quiâ celeritate nomen habet. Tantus autem ambitus est quem hæc quatuor flumina continent, vt appareat Moisen fere totum orientem complexum esse.

Hæc & similia in historijs nihil habent lucis sine Geographię cognitione. Ideo adhortor scholasticos, vt emant Ptolemæi libellos, qui iam paruo precio venduntur, & paruos typos vniuersales. Exordiar autem enarrationem breui. Nam prius tradam partem Arithmetices, quã nondum absoluit D. Doctor Myllichius preceptor meus videlicet precepta de extractioine radicum, quæ maximos vsus habent cum in his artibus, tum etiam in ceteris computationibus. Incipiam autẽ precepta de extractione radicum cras hora duodecima in nouo collegio.

Erasmus Reinholdus.

IN LIBROS
Fastorum.

Cras postquam æquoreis adsurget Lucifer undis,
Septeneq; horæ sol tibi signa dabit.
Tempora cum causis Latium digesta per annum,
Lapsaq; sub terras ortaq; signa legam.
Hinc cœli uarias cognosces ordine leges,
Distinguunt anni, quæ referuntq; uices,
Phœbus ubi exorsus fugientes inchoet annos.
Et metam tacito quam petat ille gradu.
Vtq; anni certo numerentur in ordine partes,
Pars habeat nomen quælibet unde suum.
Vt Ver purpureum florentes proferat herbas,
Fundat ut autumnus dulcia musta lacu.
Hybernis feruens de noctibus auferat æstas,
Reddat & angustos frigida bruma dies.
Sydera in obliquo quot Phœbus permeet orbe,
Quot menses anni rosida Luna notet.
Quilibet & certo quare sit nomine mensis,
Et quot continuos compleat ille dies.
Cognosces etiam uariorum iura dierum,
Namq; dies munus non habet omnis idem,
Ortaq; quas teneant metas animalia cœli.
Et quo descendant tramite tincta mari.
Tantarum, credas mihi, contemplatio rerum,
Digna est ingenij cognitione boni.
Ipse opifex rerum labentia sydera cœlo,
Ipsorumq; iubet mente notare uices,

Ne cæco casu nasci ferriq; putemus
Et nulla mundi corpora ab arte trahi.
Esse sed æternam mentem quæ cuncta gubernat,
Ordine tam pulchro condita cuncta monent.
Continet hic etiam uirtutum exempla libellus,
Nullaq; non prisci temporis acta refert.
Illa nec in uita modicum prodesse putabis.
Nam faciunt mores hæc monumenta bonos.
Hæc quanquam nobis per se discenda uidentur,
Attamen in uersu gratia maior inest.
Vtq; author posset nos delectare docendo,
Inseruit grauibus, multa iocosa locis.
Has magno studio si non urgebimus artes,
Et si Musarum destituemus opes,
Hei iterum inuoluet Christumq; arasq; tenebris,
Barbaries studijs perniciosa bonis.
Huc adsis igitur Musis addicta iuuentus,
Si studijs optas consuluisse tuis.
Hinc quia uerborum tibi lumina clara parabis,
Implebunt aures, aurea dicta tuas.
Hæc si quis stulte nobis discenda negabit,
Quæ uitæ humanæ munera iusta regunt.
Natus hic est scopulis, admouit & ubera Tygris,
Illius & silices pectus habere feram.

Iohannes Marcellus
Regiomonta:

24

FOELIX qui potuit rerum cognoscere causas, inquit poeta.

Quanq; autem verum est non omnium causas posse erui ac cerni, & magnam esse caliginem humanæ mentis, tamen aliqua ex parte rerum naturam conspici Deus voluit, vt quasi monstratrix nobis esset ad ipsius agnitionem. Etsi igitur pauca deprehensa & peruestigata sunt, tamen hæc ipsa nosse ingens est vtilitas, quæ quidem per se considerata nec pauca, nec exiguasunt. Sed magnam vitæ partem regunt, vt non falso beatum vocarit poeta, eum qui potuit rerũ cognoscere causas. Has cum Physica doctrina collegerit valde conducit adolescentes in ea exerceri. Ac cæteras partes hactenus tradidi. Nunc inchoabo librum de Anima, in quo non solum vsitatas partitiones ac difinitiones tractabimus, sed in descriptione potentiarum organa, & totius humani corporis ἀνατομήν humorum species, & alia multa complectemur.

Nec

Nec vlla pars Phyſices vtilior eſt aut ingenijs liberalibus iucundior. Nam ad tuendam valetudinem & ad mores regendos membrorum atq; organorũ cognitione opus eſt. Deinde ſi voluptas eſt gemmas, aut metalla, aut herbarum varietatem & vires, aut cæleſtes motus cõſiderare quanto magis iuuet nos ipſos intuerí, & mirificã varietatem opificij in inhumana natura comtemplari, quod cũ ſumma arte factum ſit, non obſcure teſtatur hanc naturam non extitiſſe caſu.

Deinde cum mens ſit imago Dei condita, vt in ea luceat certa Dei noticia non obſcure teſtatur eſſe Deum & admonet qualis ſit Deus videlicet incorporeus, intellígens, diſcernens honeſta & turpia. Plurima ſunt in tota rerum mole veſtigia Dei, ſed nulla res euidentius teſtatur, mundum non extitiſſe caſu, quã quod impreſſa eſt mentibus noticia diſcernens honeſta & turpia. Id caſu accidere non potuit.

Eſt igitur æterna mens, & ſapiens & iuſta architectatrix ceterarum rerum

omnium, Sed hæc preconia requirunt ampliorem disputationem. Illud tantum adiiciam. Ceteræ disciplinæ non possunt hac arte Physices carere. Prebet enim aditum ad medicinam. Ac Theologis magnopere opus est discernere potentias animę, & earum actiones, quæ agant libere quę non, ad quam partem noticiæ ad quam adfectus pertineant, quas habeant singulæ potentię metas actionũ quid possint agere.

Hæc sine Physicis non possunt explicari. Ideo studiosos adhortor, vt hãc partem de Anima frequentes audiant. Hic vere vsurpari potest illud Demostenis non quæri de Asini vmbra, ἀλλά περὶ ὀνείου σκιᾶς ἀναγκαιοτάτων vt ipse loquitur.

Erit mihi curæ vt tradam de rebus tantis, vtiles & diligenter electas ex optimis autoribus disputationes.

Iacobus Milichius D.

IN

IN PRAELECTIONEM EVCLIDIS.

VIDEO magnum decus esse mediocrẽ cognitionem puerilium artium quæ rationem recte loquendi tradunt. Sed generosæ naturæ non tantum in his inicijs consenescere debent. Cœlo mentes, in corpora demissæ, quę sunt admirandę imagines Dei, recordatione originis, & ad Archetypi, & ad patriæ celestis agnitionem aspectionemq; erigendę & excitãdæ sũt. Et ex hac superiore doctrina bonæ mentes percipiunt, veros & durabiles fructus. Hic cũ cernunt vestigia diuinitatis impressa naturæ, agnoscunt Dei pręsentiam, hic vitę leges, causas variorum euentuum, & gubernationem eorum animaduertunt. Quare Virgilius non temere dixit,

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus.

Vídentur hæc preconía plus tríbu
ere his artibus, quã præſtare poſſunt Nec
valde ímpugno. Sed tamen præclarum
eſt partẽ aſſequí, quod ſi nõ eſſet vtile, hæ
artes nõ eſſent diuíni: us monſtratæ Nihil
eſt enim tam minutum in natura condí-
tum, quod non ad certas vtílitates deſtina
tum ſit, tantum abeſt, vt hoc pulcherri-
mum munus vídelicet doctrina de natu-
ra rerum, de motíbus celeſtibus. de terræ
magnitudine, locorum ac regionum ſítu,
nullius vtilitatis cauſa generi humano do
natum ſit,

Quanta eſt vtílitas, cum in hiſtoria
animo peragras omnes gentes, regionum
ſpacía, & interualla locorum ita mente in
tueri, notare, díſtinguere & complecti ac
ſi totum terrarum ambitum oculis luſtra
ſſes, & certas regionum metas ſaxeis mo
mentís conſtituiſſes, Nulli enim, magis
conſpicui límites conſtitui poſſunt, quam
qui proponuntur in doctrina de longitu-
díne & latitudine locorum, & de ſpacijs
dierum.

Venuſtiſsime autem Plato díxit
animæ

tanimæ. vt volitans ſurſum ad cœli com-
emplationem aſcendere poſsit, alas addi
tas eſſe, videlicet Arithmeticen & Geo-
metriam, quæ cum alios in vita vſus in-
numerabiles habent, tum ve ro nobis eo
diſcendæ ſunt, quia aditum patefaciunt
ad doctrinam de motibus celeſtibus, &
de terræ magnitudine & regionibus ad
cælum conferendis.

Vere igitur ſine pennis volare cona
bitur, ſi quis putabit ſe adſequturum Pto
lemæi demõſtrationes ſine Euclide, ſine
quo adeo intelligi non poſſunt, vt totus
Ptolomeus ignoranti Euclidem nihil ſit,
niſi denſiſsimæ tenebræ. Ideo vt artes il-
læ natura coniunctæ, ſimul tradantur,
ego rurſus deinceps Euclidem prælegã,
& bona ingenia, quæ ſolidam eruditio-
nem adpetunt, adhortor, vt & diſcant &
ament Euclidem. Magno is vſui eſt in-
genioſis, non ſolum in Aſtronomia, ſed
etiam in multis alijs negocijs. Nuſquam
enim carere numerorum ſcientia poſſu-
mus, ſepe etiam ſpacia, interualla, menſu
ræ corporum quęrendæ ac iudicãdæ ſunt

Iuuitet igitur magnitudo vtilitatis ingenios ad Euclidẽ, quẽ vbi delibabunt, suauitas doctrinę eos detinebit. Aristippũ aiũt cũ fracta naui & amissis suis rebus ad littus Rhodi ũ eiectus esset, vidisse in littore figuras Geometricas, forte in saxis et parietibus pictas ab artificib. ibi quãquã adhuc loci ignarus, ait se recipere animũ quod agnosceret hominum vestigia, videlicet has figuras Geometricas. Non de futurum sibi hospicium eo loco vbi homines essent his artibus. Vtinam & Scholastici cogitent hæc vere esse hominum vestigia, hoc est, indicia ingeniorum colentium artes honestas & vitę vtiles. Inchoabo autem die Lunæ proxima in Collegio hora Octaua.

Erasmus Rei holdus

IN

IN PRAELECTIONEM Archimedis de metiendo circulo, & in libros Arithmeticos Euclidis.

NOBILISSIMVS & ingeniosissimus pictor Apelles, si quando impeditus negocijs vno aliquo die nullum artis suæ opus fecerat, tanquã diem perdidisset, queri solebat his verbis τήμερον οὐδεμίαν γραμμὴν ἤγαγον, Hodie nullam lineam duxi. Adeo & studio ac amore artis flagrabat, & statuebat assiduitate opus esse ad retinendam eam dexteritatem quam consecutus erat. Non est autem opus hoc ardore discendi & hac assiduitate in graphica & non est opus in nostris artibus, quę longius a populari iudicio recedunt, & ipsos fontes veritatis singulari consilio scrutantur. Si autem exigui temporis cessatio nocet, vt ille significabat dicens, Nullam lineam hodie duxi, quanto magis inertia reprehenda est eorum, qui dicati studijs Philosophiæ, aut nesciunt, quid sit linea, aut toto anno vix tres lineas, aut circulos pingunt. Ex hac nostra doctrina

lineari

linearum bona pars Philosophiæ, ac præsertim Physica extructa est, Hæc aditum ad motuum celestium cognitionem & ad Geographiam patefacit. Ideo magnopere adhortor & obtestor Scholasticos, vt has artes ament & colant, quæ & vitæ ciuili & Ecclesiæ ad retinendas anni metas & seriem temporum necesariæ sunt & iudicium formant in inquisitione veritatis etiam in alijs artibus. Apud Homerum homines feri & sæuientes in hospites negant se scire, vbi sit ortus aut occasus.

ὦ φίλοι οὐ γάρ ἴδμεν ὅπη ζόφος ἠδ' ὅπη ἠώς,

Hoc est nescire lineas, & talis insciatia, & vitæ barbaries ex harum nostrarũ artium neglectione oritur: Quare vt retineamus præcipua vitæ ornamenta propter communem & posteritatis salutem, harum artium studia colenda sunt. Vt autem exercitum Geometriæ habeatis, decreui iam enarrare Archimedis θεωρίαν de metienda area circuli, Vbi locuples & dulcis doctrina traditur de lineæ rectæ proportione ad curuam, Tantum fuit in genium

genium Archimedis Syracusani, vt diu patriam cum Marcelli exercitu obsidere tur, defenderit. Autoris igitur prestantia studiosos inuitet ad earum rerum consideration em, quas tantus artifex tradidit. Cicero glorioſum ſibi duxit inſtauraſſe ſepulchrum Archimedis. Multo honeſtius eſt nobis, & vtilius eius ſcripta cognoſcere, & poſteritati illuſtrata tradere.

Tribuam autem enarrationi Archimedis ſingulis ſeptimanis diem Martis, Cęteris diebus enarrabo librum Euclidis ſeptimum, ac deinde ſequentes, in quibus fontes continentur totius Arithmetices.

Scio magnam diuerſitatem eſſe iudiciorũ & voluntatum, & alia aliis placere, Et Simonides vere dixit, τὸ δοκεῖν θιάζεται ἀληθείαν. Opinio vim adfert veritati vt vulgus pluris facit auari fœneratoris callidita tem. quã vniuerſã Platonis ut Aristotelis Philoſophiam. Sed ſi volumus vere iudicare, hæc vera doctrina, quæ vi

tam

tã regit, & tuetur, longe opibus antecellit, & experiundo cognoscetis omnes partes huius Philosophiæ, quã mediocri diligentia & sedulitate trado, vitæ humanæ vtilissimas esse. Deũ oro vt mẽtes multorũ ad hęc studia flectat, nec sinat extingui has artes, quæ sunt ornamenta vitæ humanæ præcipua. Erasmus Reinholdus

27 DECREVI enarrare Quintũ librum Euclidis, qui continet doctrinam de proportionibus, maxime necessariam in plurimis artibus. Ex hac ortæ sũt Regulæ diuisionis & multiplicationis, quæ sine his fontibus nec intelligi, nec exerceri possunt. Hinc certitudo & celeritas est in cõputatione, quæ traditur in Regulis, de Tri, & Cos. Hinc & Geometræ plurima precepta, & mensurarũ instrumẽta petũt. Hinc medici collationes plurimas sumũt corporũ & pharmacorũ. Hinc Architecti plurimas machinas fabricant. Est & musicarum Harmoniarũ fons, proportio. Deniq; vt de ceteris artificibus non dicã. Celebratissimi iaculatores, qui Bombardis fulmina imitantur præcipuã artis partẽ ex his præceptis proportionũ sumunt.

Sed nos de nostris studijs cogitemus. Multiplex est vsus Arithmetices in vita.

porro ad eius artis cognitionem, opus est proportionũ doctrina. Deinde est quædã digna bonis ingenijs virtus metiri artes nõ ex quæstu, sed vera & cõmuni vtilitate in vita. Si carerẽt homines certa anni descriptione, quãtæ essent in religione, in historijs, in cõtractibus, in iudicijs, denicq; in omnib. negocijs tenebræ? Quæ confusio esset animorũ, religionũ, ac historiarũ. Si retro tẽpora quærẽtes & rerũ seriẽ, nihilo plus inuenire possemus certas metas, certa interualla quã beluę. Ideo deus singulari cõsilio & instituit annorũ rationẽ, et iussit eos ad siderũ cursus metiri, & in sacris literis accurate recẽsuit anos inde vsq; a mundi initio ad hæc recẽtia secula, nota ex grecis historijs: Cũ igitur vitæ necessaria sit obseruatio motuũ & tẽporũ descriptio, facile intelligi potest optime mereri degenere hũano mathematicẽ, quæ sola anorũ descriptionẽ conseruat. Sed homines multo magis adficiũtur cura opũ quęrẽdarũ, aut tuendarũ. Ideo ceterę artes, quæ vel parãt vel defẽdũt opes, sunt in maiore precio & admiratione. Pręcipue autẽ oportuit Reges & religionẽ & ceteras artes, q; cõmuni vitæ necessarie sũt, puehere, sed peruersis horũ iudicijs deterrẽtur multi a rectis

ſtudijs. Deſpicitur hæc Philoſophia in aulis tanquam inutilis.

Eſt igitur ſtudioſis quadam celſitudine animorum opus, vt ſpretis populari bus opinionibus, virtutis cauſa bonas artes ament, colãt, conſeruent, illuſtrent. Hic impetus in bonis ingenijs, Dei donum eſt, excitantis aliquos ad artium conſeruationem. Adhortor igitur ſtudioſos, vt hunc locum de proportionibus diligenter diſcant, quæ poſtea vſui futuræ ſunt in omnibus partibus Mathematices, & in alijs artibus. Ariſtoteles cum ſumma venuſtate, proportionum exemplaad mores tranſtulit, vt diuerſas æqualitates declararet, quibus Deus mirabiliter conſociauit humanum genus.

Nec aliud eſt vinculum ſocietatis in omnibus commercijs in omni cœtu, in familijs, in imperijs, niſi æqualitas, ſeu proportio, vt concentum, ſeu harmoniam efficit ſola proportio. Nec eſt æqualitas ſola vnius modi, altera eſt Arithmetica in omni rerum & damnorum compenſatione,

ne, ubi simpliciter tantum recipitur, quã tum datur, vt 3. 5. 7. 9. distant æqualib. differentijs, sic in infinitum distare æqualiter debent emptor & venditor.

Hanc iubet nos Deus in contractib. tueri, cum ait, Non concupisces rem alienam. Item, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quærunt hanc æqualitatẽ leges magna arte, ex hac ipsa proportionum doctrina.

Sed quare hac Arithmetica æqualitate opus est in contractibus? vt durabilis esset communicatio in perpetuum. Hinc enim existunt seditiones, cum inæqualiter exhausta plebe, vsuris seu alijs fraudibus desinit mutua communicatio.

Altera æqualitas proportione Geometrica constituitur, quæ personis tribuit diuersos gradus in omni cœtu, aptas functiones idoneis in Imperijs. Huius proportionis tantam vim esse dicit Plato, vt cum exigua ex parte hominibus contingit, ingentia bona pariat, ac quantum

tum est in vita boni, oriri ab hac proportione, vt videtis misceri res humanas conturbata hac proportione, vbi Ecclesijs presunt indocti, Tyranni, vbi regunt Imperia mali qui suis cupiditatibus seruiunt. Econtra beata est ciuitas, in qua Ecclesiæ a pijs & doctis reguntur imperia a sapientibus, iustis, incensis studio iuuandi publica commoda, Relligionem, bonas artes, pacem, amantibus veritatẽ.

Hæc proportio salutaris est vitæ. Sic Plato & Aristoteles totam vitæ societatem gubernari proportionibus volũt Sic Aristoteles mediocritates constituit in omnibus virtutibus proportione, Fabius & Scipio dissimili modo vterq; fortitudinis laudẽ tuebatur, alter vitandis dimicationibus, alter dimicando. Et in quinto Politicorum ὁλως τὸ ἴσον ζητοῦντες στασιάζουσιν. ἔστι δὲ διττὸν τὸ ἴσον, sicut nunc Ecclesia non poterit quiescere, nisi inuenta æqualitate Geometrica.

Dum enim Pontifices rapiunt dominationẽ & sine doctrina, sine veritate, constituunt

conſtituunt ea, quæ arbitrantur ad opes tuendas prodeſſe, aduerſandum eſt eis, & quærenda æqualitas non quidem Arithmetica, qua ſinguli pariter docti, & indocti ſibi ſumant autoritatem fingendi dogmata, ſed æqualitas Geometrica in qua pares ſint pij & docti, reliqui his auſcultent.

Hæ venuſtiſſimæ ſententiæ ſine cognitione horũ elementorũ Euclidis intelligi non poſſunt, quæ quidem præcipue ideo nunc prælegere decreui, vt ſtudioſis via ſternatur ad magnam Ptolemei conſtructionem, quam abſolutis his duobus libris Euclidis, quinto & ſexto, Deo dante inchoabo, vere ingreſſurus, vt ille ait, res antiquæ laudis & artis. Nam illud opus vniuerſæ Philoſophiæ faſtigium eſt, ad quod vt præparent animos ſtudioſi magnopere eos adhortor.

Si non ſunt venales codices, plures vno codice vti poſſunt. Maxime in ſtudijs valeat, quod dicitur, τὰ τῶν φίλων κοινά. nec opinor grauatim ſtudioſos alijs præbere inſpiciendos aut vtendos libros.

Cumq; sint paucę & breues propositiones horum librorum, quos enarrabo, ac prosit eas habere in numerato, vt sepe inspici ac repeti cogitatione possint, valde conducit eas describere. Exiguo labore magnum operæ precium facient, qui describent. Qui græce sciunt, potius græca describãt. Inuenient enim codices apud me & Philippum. Dulcius enim ex ipso fonte bibuntur aquæ. Et cum græca legimus, videmur quasi in illis ipsis auditorijs Eudoxi & Euclidis adsidere, vbi sedebant Plato, Aristoteles, qui illustrarũt Philosophiam & posterorum studia preclare adiuuerunt. Nec Iohannes Regiomontanus existimauit se posse satis adsequi doctrinam veterum, sine græcis literis. Ideo magnam operam impendit græcæ linguę.

M. Erasmus.

IN LIBROS TRISTIVM Ouidij, & de Ponto.

Errat in ambiguo fortuna uolubilis orbe,
Vtq; manum uertis flectit & ipsa rotas:
Quas circum tenui pendent mortalia filo,
Iam ruit in summo quod fuit ante loco.
Oedipus ad magnos rerum est euectus honores,
Vix ultra quo iam progrederetur erat.
Imperijq; bonis & claris floruit factis,
Sæua sed hunc florem quam cito lædit hyems?
Illius ambo cadunt per mutua uulnera nati,
Inter quos coniunx se quoq; mœsta necat.
Ipse sibiq; miser uexatus Erinnye seua.
Eruit effossis lumen utrumq; genis,
Indesenex alium detruditur exul in orbem,
Qui patria excedens talia dicta dedit.
En ego quem regni solio fortuna locarat,
Quodq; decus regno pulchrius esse puto.
Laudibus Ingenij prestans uirtute iuuante,
Florentis regni creditus autor eram.
Nunc miser eiectus regno, pollutus & exul
Deploro uitæ tristia fata meæ.
Vmbra uiri tanti nec iam tamen umbra supersum,
Verum umbra si quid uanius esse potest.
O quicunq; animos fortuna benigna superbos,
Tollet & in tumido pectore fastus inest.
Florenti nimium fortunæ credere noli,
Exemploq; modum disce tenere meo.

Desine fortunæ dum blando uitrea uultu,
Lumine fallaci splendet, habere fidem.
Vita modesta tibi ducatur & exue fastus,
Exitio multis fastus & ira fuit.
Talia multa suis conscripsit Naso libellis,
Ad maris euxini dum fuit exul aquas.
Carmine quæ dulci crebro recitata legamus,
Mens nequando petens non moderata ruat.
Fortunæ sapiens se credat nemo secundæ,
Nam fugit ut sparsis flamma recedit aquis.
Quem tulit ad cœlum mox præcipitabit in Orcum,
Irus erit subito qui modo Crœsus erat.
Inijcias igitur menti tu frena superbæ,
Mensuram supra nec pete celsa tuam.
Ergo hæc cum prosit Nasonis scripta tenere,
Quæ linguam & mores expoliisse queunt.
Cras Sol Eoo cum paulum a cardine currum
Traxerit, auditor dexter adesse uelis.

Iohannes Marcellus
Regiomontanus.

CRAS deo dante hora ſexta inchoabo enarrationem Tragediæ Euripidis cui fecit titulum Phœniſſas, in qua deſcribit duos fratres de regno Thebanorum dimicãtes quibus ambobus ambitio attulit exitium. 29

Duæ ſũt autem preciptiæ peſtes Rerũpub: luxus & ambitio. Hinc orta diſcordia euertit pleraq; omnia imperia vt Claudianus inquit *Nam cetera regna Luxuries uicijs odijsq; ſuperbia uertit.*

Eius rei illuſtre exemplaũ proponit hęc Tragedia, continet egregis concionẽs quæ hortantur ad modeſtiam, & docent vt in commune conſulamus ſaluti ciuiũ non adducamus Rempub: in diſcrimen incitati cupiditate gloriæ aut alijs priuatis adfectibus.

Horum præceptorum cognitio vtilis eſt moribus preſertim his miſerrimis temporibus. Ideo hortor ſtudioſos vt hâc Tragediam audiant. 28 Maij 1537.

Philippus Melan.

30

CVM Oresten Euripidis audiret Socrates in Theatro, primos versus tã ta cum admiratione excepit vt interpellauerit actorem acj iusserit versus illos repetere, cum quidem ille stans velut attonitus interea in cogitatione eius sententiæ defix ũanimũ haberet. Hãc fabulam Euripidis (Deo dante) interpretabor, quã cum Socrates cum summa admiratione audiuerit velim eam nos quoq; in manibus habere qui certe magis egemus bonis monitoribus quam ille.

Habet autem illustres locos, prima pars est Δικανικὴ. licuerit ne Oresti matrem sinie iudcio interficere. Deinde sũt ῥητικὰ, de amici de cognati officio, de moribus popularibus sedandis non vi sed ratione & arte cedendo, quales sint in ciuitatibus sedicionum autores. Deniq; imago est hæc fabula multarum rerum huius temporis, propterea hortor scholasticos vt eam diligenter audiant.

Philippus Melanthon.

31

Prebui gustum seu vt dicitur δεῖγμα fabularum Euripidis, & opinor lectionem

onem duarum Tragediarum quas interpretatus sum studiosis gratam fuisse, propter rerum grauissimarum exempla & locos communes qui de multis vitæ partibus nos admonẽt & suppeditãt egregia lumina scribentibus.

Cras Deo volente inchoabo enarrationem fabulæ cui titulus est ἱκετίδες quæ & ipsa referta est locis communibus & est apta his temporibus. Principale enim argumentũ est quod ciuitates se mutuis auxilijs iuuare debeant. Ita hoc tempore Resp: aduersus Turcam coniungi optandum est.

Disputat etiã de optimo statu reip: prestet ne monarchia an aristocratia. Harũ materiarum consideratio vtilis est studiosis. Sed cras Deo dante copiosius dicã de argumento.

Philippus Melanthon.

Delegi hactenus in enarratione Euripidis prꝛcipuas fabulas, quæ exẽpla & ſẽtentias continent, quæ ad noſtrũ uſũ in ſcribendo, aut etiam in cogitatione de Repub: maxime accõmodari poſſũt. Elaborandũ eſt enim in his ſtudijs vt præparentur ingenia ad rerum magnarũ cogitationẽ & explicationem,

Hoc conſilio delegi modo & Iphigeniam in Aulide, quæ multa monet vtilia in vita & pingit mirificas imagines principum in repub:. Nã vt de cæteris hic non dicam, quid eſt honeſtius ac verius Heroicum, quam quod Achilles inquit, ita ſe obtemperaturum Atridis, ſi honeſta præcepturi ſint. Verba hæc ſunt:

καὶ τοῖς Ατρειδαις ἤν μὲν ἡγονται καλῶς,
πεισομέθ, ὁταρ δὲ μὴ καλῶς ου πεισόμεθα.

Sed omitto hic recitationem exemplorum. Cras vero hora ſexta Deo dante, inchoabo enarrationem eius fabulæ Euripidis videlicet Iphigeniæ in Aulide.

Et

Et rogo scolasticos vt eam audiant. Nõ enim dubito quin magnam voluptatem & vtilitatem auditoribus allatura sit.

Philippus Melanthon.

DE PVDICICIA PHILIP. Melanthon.

33

Marcellinus cum laudat Iuliani Imperatoris pudiciciam, scribit eũ crebro recitasse versiculos Bachylidæ Lyrici, qui ait. Vt in picto corpore summum decus est facies pulchre expressa: ita in hominum moribus pulcherrimũ decus esse pudicitiam, Ac profecto ita est, quamuis pulchra statua sine aptis lineamẽtis faciei truncus est deformis: ita in homine sine pudicitia etiamsi quæ sunt alia bona, tamẽ sunt deformia & spreta, quia naturæ mediocres oderunt & abominantur impudicitiam. Versiculi sic sunt redditi.

Vt cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet.
Sic reliqui mores spreti & sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiæ.

In

Iussus sum iterum enarrare libellũ de sphæra propter adolescentes qui hæc elementa nondũ audierunt. Multæ autem graues causæ sunt, quare hæc elemẽta prosit notissima & familiarissima esse omnibus liberaliter institutis.

Etsi enim non possunt omnes immorari doctrinæ de motibus cœlestibus, & nonnullos fortunæ iniquitas, aut moles negociorum abducit ab his studijs: tamen liberalis ingenij est, hęc prima elementa cognoscere, vt celum suspicientes, nõ prorsus ignoremus hanc nostrãdomum, quæ non modo hospitium nobis prebet, sed etiam fouet nos sua luce & gratissimas vices efficit temporum.

Quæ est barbaries prorsus nescire quæ sit Solis via, quibus interuallis dierũ discrimina efficiat, vbi ad nos accedat, quo recedat, quæ cœli regiones discernãt nobis terræ partes, vt distantium locorũ positus

positus animo intueri possimus.

Reges & principes in tantis occupationibus tamen dant operã huic doctrinę, vt Cæsar de sese inquit apud Luca:

media inter prelia semper
Stellarum, celiq; plagis, superisq; vacaui.

Rex Pannoniæ Matthias, Maximilli anus, adeo erant eruditi in hac doctrina vt artifices prouocare possent.

Scio & hoc tempore Carolum Imperatorem, Regem Ferdinandum, Regem Galliæ, Regem Angliæ, non solum delectari hac Philosophia, sed etiam bonam eius partem tenere, Tantorum principum iudicijs, & exemplis moueantur adolescentes liberali natura prediti, vt ipsi quoq; expetant has dulcissimas artes

Apud plutarchum cum Circe redditura est hominum figuram socijs Vlissis. Gryllus in porcũ versus rogat ne sib restituatur humana species, ac disputa porcorum vitam multo esse iucundior

humana

humana. Sic fortassis aliqui luxum, voluptates aut alias sordes anteferunt his optimis artibus.

Sed bona ingenia, non solum magnopere adhortor, sed etiã obtestor, vt hęc elementa discant, præsertim, cum perfaciliasint, etsi monstratore opus habent. Et tamẽ si quid est laboris, suauitas arcet molestiã, & compensat laborem magnitudo vtilitatis. Anno. 1540.

Ioachimus Rheticus

35 FORTITVDO virtus est eximia & propter magnas vtilitates generi humano data videlicet vt certo ordine ac modo iuxta leges dimicemus pro nobis & alijs, nec est petulantia qualis est grassatorum. Sed vtrunq; est celsi & bene compositi animi dimicare cum opus est: & cohibere motus animi ruentes sine ordine & contra leges. Sicut vir fortissimus Achilles cum ardens ira gladium stringeret: tamẽ admonitus a Pallade se represit Hæc officia intelligere discamus & discernamus à viris fortibus, petulantes, turbulentos θρασυδείλους grassatores, Latrones.

Cum

Cum autem intellexerímus quosdam ſcholaſticos ex prouocatione priuata, quę nihil eſt, niſi mera petulantia & periculoſa ipſis & Reipub: inter ſe confligere, Prohibemus omnes tales prouocationes & dimicationes ſiue intra mœnia ſiue extra oppidum fiant. Non leuiter cõmoti ſumus auditis his nouæ immanitatis exemplis. Hæ prouocationes quid differunt a veteri gladiatorum conſuetudine aut â furore Diabolico eorum, qui in Italia Monomachijs priuatis ſe conficiunt, Pugnant hæc cum lege diuina, cum legibus imperatorum, cum communi fœdere naturæ humanæ: Deinde ſemper â germanicæ gentis humanitate aliena fuerunt,

Memínimus cum Chriſtophorus comes nobiliſsimus de Frangepanibus & Hiſpanus quidam in Aula Maximiliani imperatoris ex prouocatione certaturi eſſent, Maximilianum ipſum venire in locũ conſtitutum ſevere prohibentem hunc furorem & vtrunq; præhenſum domum reducere, penitus abolita mentione

iniuriarum

ſniuriarum & prouocationis. Arma legibus ſeruiãt non priuato furori. Quare & nos hęc exẽpla ſeuere prohibemus & pœnam Relegationis omnibus prouocãtibus & adſentientibus denunciamus.

Mandamus etiam ſcholaſticis ne bõbardas gerãt. Nihil his armis in Repub: tranquilla ipſis opus eſt. Publicarũ calamitatũ conſideratio homines ſanos ad modeſtiam flectere debebat. Turci vicinią tenent, In belgico exarſit bellum, q̃ mutationem inſignem adferet toti Germaniæ. Noſtræ regiones premuntur aliįs malis, ſed creſcentibus pœnis furor etiam creſcere videtur his, qui ad æternũ exitium deſtinati ſunt, Sed vbiq; ſunt aliqui ſanabiles, hi admoniti Dei iram agnoſcant et mores regant diligenti us vt miti gentur pœnæ

1542.

DECANVS COLLEGII FACVLTATIS THEOLOGICAE.

36

QVAM ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem inquit vox cœleſtis, commendans nobis Euangelij miniſtros ac ſignificans ſummum eſſe beneficium Dei, lucem in Eccleſia per idoneos doctores accendere, qui quidem ingens onus & acerrimos agones ſuſtinere coguntur. Ideo Paulus iubet & venerari eos & eximia beneuolentia coli.

Nota enim ſunt ipſius verba ad Theſſalonicenſes ſcripta cap: 5. ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ διὰ τὸ ἔργον αὐτῶν.

Cum igitur ad miniſterium Euangelij ab inclyto & pietate & fortitudine præſtanti Rege Daniæ, Chriſtiano, vocatus Ioannes Machabeus, teſtimonio Eccleſiæ noſtræ commendari voluerit, cras ornabitur gradu Doctoris. Quare petimus vt Doctores, Magiſtri & ſcholaſtici, qui miniſtros Euangelij venerantur & pe

Johānis Machabæi.

des eorum ſpecioſos eſſe ducunt, hoc eſt ſalutarem & dulcẽ curſum ac miniſteriũ, conueniãt ad eius teſtimonij publicationem, eaq; in re etiam viri pietate & gentis beneficijs moueãtur. Nam Machabæi pietas & eruditio tanta eſt vt appareat non humano conſilio, ſed Dei benignitate vocatum eſſe ad munus docendi Euangelium, inter eos, de quibus Ephe: 4. dicitur, A Chriſto dari alios paſtores alios Doctores.

B in fine

Aliquid etiam ſcotorum genti debemus. Etſi enim Apoſtolorum diſcipuli ſtatim initio vagantibus in orbe Apoſtolis intulerant Euangelium etiam in Germaniam, Nam Maternus petri auditor, docuit Argentinæ, Lucius Cyreneus in Auguſta Tiberia, quæ nunc eſt Regenſpurg, Creſcens Mogunciæ, Clemẽs Meti, Marcus Pauli comes in Paſſau. Tamen poſtea Eccleſiæ Henetorum & Hunnorũ armis deletæ ſũt Has Scoti vt cunq; magno labore inſtaurarunt. Quapropter Machabeo & propter ſuam virtutem & propter gentis beneficium fauere æquum eſt. Rector

RECTOR ACADEMIAE

ILLVSTRISSIMVS princeps dux Saxoniæ Elector, pio & vtili consilio transtulit reditus eertorum Sacerdotiorum ad scholasticos & his frui bona ingenia cupit, quæ olim vsui Reipub: esse queant. Hæc cura pertinet ad principes, vt Ioseph in AEgipto Sacerdotibus & discentibus cõstituit certos reditus. Et Daniel & eius collegæ regis liberalitate instituti sunt Et Paulus inquiens Nemo militat suis stipendijs, præcipit Ecclesiæ vt de publico curet ali Doctores & pauperes discipulos præparandos ad hanc togatã militiam. Itaq; vt Apes suos alueolos ad mella faciẽda tenent, ita scholasticis fruiopibus scholasticis conuenicbat, depulsis ignauis fucis propagandorum studiorum causa. Vt autem hæc beneficia bene collocentur, vult illustrissimus Princeps explorari studia & mores omnium, qui vel ducum Saxoniæ, vel ciuitatum ditionis ipsius, stipendijs fruuntur. Quare mandamns omnibus illis sub pæna amissionis stipẽdij vt die xij Septẽbris conueniant hora duodecima in domo publica

Academiæ in qua Iurisconsultorum est auditorium.

DECANVS COLLEGII FACULTATIS ARTIVM.

38 Sunt quidam honesti scholastici, qui testimonium publicum suorum studiorum & gradum Magisterij Philosophici decerni sibi petunt, & sui consilij probabiles causas habent. His si qui se adiungi volent, intra dies septem apud me nomina sua edant.

Nos quo consilio veterem scholarũ consuetudinem in hac re censeamus retinendam esse, hoc loco sæpe commemoratum est. Quia enim animaduertimus hunc morẽ profuisse ad inuitandos scholasticos ad Philosophiæ studia, nequaq; abolendum esse duximus, Quid est enim vtilius Ecclesiæ, moribus & uniuersæ vitæ? quam excitare & tueri Philosophiæ studia, quæ superioribus artibus quibus vita gubernatur quantum lucis addant re

res ipsa testatur.

Quare bonos hortamur vt candorem in iudicando adhibeant. Foueamus mutuis officijs scholas & hæc literarum studia, sint voluntates συμφιλέστεραι & amantes concordiæ propter vtilitatem Ecclesiæ. Nam hac ratione & reliquiæ literarum in his tumultibus seruari poterunt & officium nostrũ Deo gratum erit, qui nos vtilitatibus Ecclesiæ seruientes teget in publicis periculis. Promisit enim se non defuturum esse Ecclesiam.

ALIA

Cum propheta Ionas denunciaret exi 39
lium regię ciuitati, quæ â Nino cõdita fuerat, consternata celestibus minis vniuersa ciuitas non solum egit pœnitentiã sed etiam publica exempla modestiæ proposuit vt priorem luxum detrectare & reuocare disciplinam intelligeretur. Ita cum in vicinia grassentur Turcici exercitus & excidium Germanię minitentur, opor-

tet nos quoq; exemplum vrbis Niniuæ imitari, agere pœnitentiam & restituere disciplinam vt Deus placatus arceat a nostris ceruicibus crudelissimam gentẽ seruet Ecclesiam, leges, literas, defendat vitam nostram & omnia vitæ ornamenta.

Nec vero existimate inane terriculamentum esse Turcicas expeditiones. Nec arbitramini vllas politias seruari posse contra furorem Diaboli, nisi Deus eas defendat. Sed cum crescant vitia omniũ ordinum, impendere videtur ingens mutatio rerum humanarũ. Nec leue signũ est, venturarum calamitatum petulantia contumacia & ἀδιατρεψία iuuentutis.

Possunt autem vel arceri vel mitigari pœnæ emẽdatione morũ vt Christus ipse Ecclesiam monet, Vigilate omni tẽpore precantes vt possitis effugere ventura mala. Ita & Propheta Iohel præcipit Sacerdotibus vt populum conuocent & suis lachrymis & commonefactione reuocent ad pietatem.

Hoc

Hoc preceptū ſequutus paſtor Eccleſię noſtræ grauiſſimam concionem de pœnitentia & de modeſtia iuuentutis habuit, precepit hoc ipſum nobis quod precipit vox cęleſtis ſonans per Prophetas & quod mandauit filius Dei. Quare ſcitote huic contioni paſtoris parendū eſſe, ac Deum fore iudicem contumacię, ſinō obtemperabitis.

Nos quoque quibus Diſciplinæ gubernatio diuinitus mandata eſt, præcipimus ſcolaſticis, vt vicinam Panoniam animis intueantur & modeſtia ſua declarent, ſe alienis ærumnis adfici ac pœnas impendentes Germaniæ metuere.

Prohibemus igitur nocturnas vociferationes ſimiles vlulatuum, quos olim bacchantes in orgijs edebant, qui turbāt tranquillitatem ciuitatis, Prohibemus & tumultus qui ipſorum etiam ſcholaſticorum vitæ perieula adferunt.

Et quanquam temporaſatis mœſta ſunt: Tamen interim iuuentuti tutos &

 honeſtos

honestos congressus non interdicimus. Sed in his luceat modestia vt exemplũ ceteris prosit. Quare morem circumducendi puellas in gyrum in choreis prohibemus, ac sciant scolastici, magistratus nõ defuturos suo oficio in cohercenda petulantia.

DECANVS COLLEGII Facultatis artium

40.

HODIE spectauimus minacem congressum Saturni & Martis in Scorpio, qui malis ingenijs nouum virus, nouas flammas ad turbandam communem generis humani tranquillitatem addet, crescet rabies Turcica crescent & certamina Ecclesiastica. Nos igitur moniti cœlestibus signis Deum inuocemus, vt Ecclesiæ parcat, eamq; seruet, et ipsi diligentius ac moderatius omnia faciamus, vt arte leniamus incommoda quædam. Quare & honesta studia nobis diligentius colenda erunt, quę animos ad moderationem flectunt.

Et vt hæc studia iuuentus magis amet

amet inuitanda est â imaoribus natu & eruditioribus. Ideo cum hodie publice simus exploraturi doctrinam eorum, qui petunt gradum Magisterij, rogamus Doctores, Magistros ac præcipue eos qui profitentur Philosophiam vt ad id examen veniant. Sciunt enim hęc officia & hos honestissimos congressus prodesse ad excitanda bonarum artium studia Inchoabitur autem examen publicum hodie hora prima.

ALIA.

41.

HODIE decessit honestissima puella agnitione filij Dei & optimis moribus predita Magdalena filia clarissimi & optimi viri Domini Martini Lutheri Doctoris Theologiæ. Mandamus igitur scholasticis vt hora quarta ad funus conueniant, vt pij ritus conseruationem adiuuent in condendo corpore, quod & fuit & erit rursus domicilium animæ, in qua fulget noticia & imago Dei, quę quidem interim in gremium Christi recepta est & glorioſam resurrectionem expectat. in

MAGDA lena Luther

qualiterum dulcissimo complexu parentum fruetur, vt scriptum est, Non est voluntas patris vt pereat vnus de paruulis istis.

Et hæc puella quia & recte norat filiũ Dei propitiatorẽ & Euangelij doctrinã probe tenebat, toto morbi tempore clara professione fidei se filio Dei commẽdauit. cum quidem patri diceret se si Deus vellet libenter mansuram apud ipsum sed si aliud vellet etiam se patri cælesti obtemperaturam esse, apud quẽ deinceps tanq̃ apud verum patrem futura esset. Die XX Septemb:, Anno M.DXLII.

ALIA

Heri decessit vir doctrina, pietate & virtute eximia præditus M. Caspar Sumannus Bolesslauiensis Silesius, cuius funus fiet hora duodecima.

Mandamus igitur vt scholastici cõueniant paulum infra collegium vt pius funerum ritus conseruetur, Et recordatio virtutis huius Caspari exempla suppeditat

ditat iuuentuti digna memoria & imitatione. Mater prędicat tantam eiusà prima pueritia fuisse modestiam vt nulla in re vnquam offenderit parentes. Et vt erat in eo singularis pudor ita castitatem ac puritatem corporis tueri acerrimo studio soiebat.

Hæc eo recitaui vt & exemplum iuuentus imitetur & doleat ereptũ esse nobis virum talem qui Ecclesię magno vsui futurus erat. Etsi ipse quidem nunc consuetudine Dei lætus fruitur vt certo statuere nos iubet hęc vox: Beati mortui qui in domino moriũtur, Sed nos Reip: detrimento moueamur, ac Deum oremus ne Ecclesiæ reliquias deleri funditus sinat, sed seruet aliquem cœtum piorum & studiosorum ad propagationẽ cælestis doctrinæ vt Deus vere celebretur & inuocetur. Quid tristius & terribilius cogitari potest quam si extincta luce Euãgelij, amissis literis, totum genus humanum sine agnitione Dei more Impiorũ in voluptatibus obscœnis ac beluinis viueret: vt nunc viuunt Turci & multi impij.

Hęc

Hæc mala deprecanda sunt & excitandum studium virtutis vt Deus flectatur ad misericordiam & nos adiuuet. Datæ XII Octobris.

ALIA.

43 SEPE inquit Deus ad tribum Leuiticam, Ego ero possessio tua, ego ero fundus tuus vt testaretur se velle docentes & discentes alere, quia plerunq; negliguntur a summis gubernatoribus, qui propter conseruationem doctrinæ celestis debebant scholasticis prospicere.

Credamus igitur & nunc nobis nõ defuturum esse Deum, qui tamen interdum excitat principum animos vt aliquã tulum etiam opitulentur nobis.

Scripsit nũc illustrissimus princeps Dux Saxoniæ Elector &c. et Burgrauius Magdeburgensis de stipendijs quę solet attribuere scholasticis, vt nomenclaturas & testimonia ad Aulam mittamus.

Quare

Quare mandamus omnibus, qui fruuntur stipendijs quę penduntur ex collegijs Aldebusgensi, Gothano, & Isennacẽsi vt die Martis proxima hora xij in domo Academiæ noua (in qua est auditorium Iurisconsultorum) conueniant si commendationem nostram expectunt. Die xxvi Nouembris.

ALIA

44

Decessit hac nocte vir honestus Iohannes Vveinman Noribergensis Organista, qui seruiuit Ecclesiæ nostræ & multos in musica erudijt. Hortamur igitur scholasticos, vt ante eius ædes conueniãt hora tertia, pio more funeris ceremonias seruaturi.

Erat artifex non contemnendus & Musicam ad eum finẽ conferebat, propter quem data est generi humano, videlicet ad celebrandas cantiones in templis Ideo enim præcipue Musica diuinitus hominibus data est vt seruiat propagationi Religionis. Est enim & iucunda-

ditut &

& diuturna memoria ſuauium & bona rum cantilenarum.

Adiunxerat autem ad ſuam artem & cognitionẽ Germanicarum hiſtoriarũ tantam, quam vix in alio vidimus. Significat autem cogitatio hiſtoriarum animum amantem virtutis. Itaq; & mores ita regebat vt appareret eũ reuereri Deũ eumq; in fide filij Dei inuocare. Quare noſtris officijs declaremus eius coniugi & liberis iudicium noſtrũ & beneuolentiam erga ipſum Die XXIX Nouẽ.

ALIA

45 Vagatus eſt in hac ſchola aliquandiu Adoleſcens N. quem tumultuãtem hi qui præfuerunt, aliquoties hortati ſũt, vt modeſtius viueret & frenaret naturã ferocem ne diabolo obſequens tandem incideret in graue periculum.

Sed aliquanto poſt atrox facinus fecit, armatus fuit in inſidijs noctu ante ædes cuiuſdam ciuis expectans aliũ quendam

dã egressurũ ex ea domo, sed alij egre si extorserunt isti θρασυδαλῳ tumultuanti gladium. Res delata est ad nos, monstratus & gladius. Cumq; conuinceretur perspicuis testimonijs & fateretur ipse N tum facinus, cum consilium suũ, iussus est in carcerem ire, aut discedere tanq; relegatus. Promisit igitur se iturum in carcerem, neq; tum fecit quod promiserat, sed clam hinc discessit.

Quare publicandam sententiam esse censuimus vt hunc N. sciant omnes ex hac Academia propter contumaciam & facinus atrox relegatumesse triennio: Conuentus scholarum est pars Ecclesiæ et hæc nostra iudicia sunt Ecclesiæ iudicia. Quid enim aliud spectamus aut agimus in hac laboriosa gubernatione, nisi vt seminaria Ecclesię excolamus.

Hanc ob causam tenera ingenia erudire optima doctrina & ad bonos mores adsuefacere cupimus, vt Deus recte inuocetur & celebretur & Ecclesia conseruetur, nec sunt inania Ecclesię iudi-

cia

cia. Hærebit in pœnis iſte θρασυδειλος & fugitiuus. Quare boni ſciãt vitandũ eſſe.

Poſtremo & hoc monebimus, quod alias publice ſignificatũ eſt, cum Rector aliquem Areſto (vt vocãt) retinet, eam vim habet mos ille, vt intelligatur mandatum eſſe: ne hinc inſcio Rectore vſquã diſcedat is, qui in Areſto ſeu decreto retinetur. Si non paruerit, iudicatur contempta autoritas magiſtratus & punitur is qui deliquit, excluſione vel relegatione. Præcipuus neruus eſt iurisdictionis Areſti reuerentia. Quare tueri eam neceſſe eſt.

Si quis autem cyclopico more ſine legibus ſine cura iuſtorum, officiorum viuere cupit, is diſcedat hinc vel ἐξ κόραικε. Non eſt Cyclopum cõuentus Eccleſia, ſed Dei ſedes in qua agnoſcitur & iuuocatur Deus, celebratur doctrina ſalutaris hominum vitæ, mores reguntur voce Dei, accendũtur animi ad honeſta officia ſpiritu ſancto, depellitur diabolus ne triumphos agat aduerſus Deum. Nec dubium eſt daturos eſſe Deo

pœnas

pœnas hos, quibus ludus & voluptas est deformare & perturbare cœtus scholasticos, qui sunt Ecclesia Dei. Datæ calendis Decemb: Anno M. D. XLII.

RECTOR ACADEMIAE. 46

SEMPER Ecclesia Dei doctrinam tenuit de victima, qua ira Dei placatur. Nam hac ipsa voce condita est Ecclesia, nec alio modo accendi fides & inuocatio possunt nisi huius immensi muneris cogitatione. Fuerunt igitur inde vsq; ab initio mense uerno veri Pascatis imagines & ceremoniæ. Certum est enim mactatione agni, significatam esse mortem Christi, manducatione vero significatam beneficij adplicationem. Ac multi existimant eodem anni tempore immolatum esse Isaac. Arbitramur & Abel eodem anni tempore interfectum esse.

Tandem filius Dei per spicuis testimonijs mundo exhibitus, sacrificium suum fecit, in quo simul & iram Dei aduersus nostram immundiciem & immensam

 misericordiam

pascha.

miſericordiam erga genus humanum cõ ſpicimus. Et quidem ferunt ſcriptores ve teres Chriſtum crucifixum eſſe Die 25. Martij, quo creatum & Adam & Chriſtum conceptum eſſe traditur.

Hodie hic annus celebrat reſurrectio nis feſtum. Ac tempora nos de huius ad mirandi beneficij magnitudine admoneant. Adiungamus noſtra vota & gratã prędicationem ad omnium temporum Eccleſiam, imo ad cœtum, qui iam corã agit gratias filio Dei in cœlo & modeſtia noſtra oſtendamus nos affici rebus tantis & verſari in earum meditatione.

Mandamus etiam vt cras ſinguli ſcholaſtici offerant ſua munera ad aram, vt declarent ſuum ſtudium erga miniſtros Euangelij. Videtis quæ ſint tempora, cogitemus magnum Dei beneficium eſſe in pace conuenire pios cœtus ad audiendam Euangelij vocem.

Quantus luctus nunc eſt piorum vbi Turcica arma impediunt congreſſus,

concionem

contionē, disciplinā. Quare vt diu nobis concedat tranquillitatē Deus, referamus eam ad gloriam Dei, non abvtamur ea Ac de scholis quidem hoc vere dici potest singulare Dei beneficium esse, quod aliquantisper in Germania, quædam literarum domicilia tranquilla fuerunt, quorum tranquillitas vt sit diuturna. faciat filius Dei suæ Ecclesiæ custos & defensor. Pridie pascatos. Anno 1543.

RERTOR ACADEMIAE. 47

DEVM æternum patrem liberatoris nostri Iesu Christi precamur vt det faustum, fœlicem & tranquillum annum Eceleſiæ suæ Reipub: honestis studijs & omnibus inuocantibus filium Dei, Ad has preces adiungant & scholastici vota sua & studium virtutis: Mandamus autē vt in his ferijs sint modesti & cogitatione meditentur consilium Dei omnium maximè mirandum & inenarrabile, qui filium suum misit in terras & pro nobis victimam fieri voluit. Qui sentiunt hæc vera esse, vt sunt, hos necesse est de causis cogi

tare. Duæ ſunt haud dubie præcipuę cauſæ. Magnitudo iræ Dei aduerſus peccatum. Oſtendit enim Deus non aliter placari ſe & flecti potuiſſe niſi ipſe fieret victima.

Agnoſcunt taciti in hoc ſpectaculo omnes pij Angeli magnitudinẽ peccati magis quam in omnibus hominum calamitatibus & æternis pœnis damnatorum, Moueamur nos quoq; tanto teſtimonio. Nec vna cum Diabolo hoſte Dei tantũ opus contemnamus vt contemnunt Epicurei, Turci & alij impij.

Altera cauſa eſt immenſa miſericordia æterni patris & ineffabilis amor filij erga nos. Cum enim Deus condidiſſet hominem vt per ipſum celebraretur, imo vt ipſe in eo acquieſceret & ſuum ſabbathũ ageret vt in Geneſi ſignificatur, non voluit penitus perire genus humanum. Hęc meditanda ſunt precipue in his feriis. cum Eccleſia hanc partem hiſtoriæ de filio Dei nato ex virgine proponit.

Ad has cogitationes inuitant nos Angeli

geli cum canunt gloriam Deo in excelsis, in terra pacem & hominibus lætitiam. Hunc hymnum volunt nos vna canere agnoscere iram & misericordiam Dei, ac filij immensũ amorẽ. Hæc leuiter ducere, negligere aspernari quãtus furor est? Præcipimus igitur omnibus scolasticis vt sint modesti. Prohibemus & nocturnas vociferatianes, grassationes, discursationes laruatorum & ludum qui a musitatione nomen habet indignum ingenuis. Mandamus item vt cras singuli scholastici munus suum ad aram afferant, vt reuerentiam debitam erga Euangelij ministros declarent

DECANVS FACVLTATIS artium, studiosis, S. D.

48

QVOD faustum fœlixq; sit Reipub: & nobis, significandum duximus nostrum officium honestis & studiosis, qui hoc tempore Magisterij gradum petituri sunt non defuturum esse. Mos iste optimo consilio institutus est. Certe in hac Academia Philosophiæ studia mediocri-

ter excitauit & auxit, quæ qui amant mo
res, eos tueri maiori cura debent, qui vi
dentur vtiles ad doctrinæ exercitia au
genda.

Scitis autẽ cum reliquæ vitæ, tum vero Ecclesiæ magnopere seruire lingua
rum, historiarũ & Philosophiæ studia.

Ne quidem Stephanus Martyr ora tionem sine liberali doctrina recitare potuisset, in qua non solum vetus historia repetitur, sed etiã prudenter excerpun tur promissiones de Christo & discernun tur primi cultus à ritibus templi de quibus dimicabant Hypocritę. Et ostenditur vere coli deum inuocatione, quæ sit fiducia filij & pœnitentia non externis ritibus. Hic status est certaminis acerrimi. Nec vero sine liberali doctrina hæc ipsa oratio explicari potest, Possemus multis alijs exemplis vti, sed quotidie ea in scholis auditis: Et nunc vt Stephani mentionem facerem dies mea admonuit. Ac profecto propter eius concionem & agonem memoria Stephani grata bonis esse debet, cuius legimus in Historijs tantam magnitudinis

magnitudinem animi in morte fuisse vt præclare de eo scriptum sit,

Ibat ouans animis, & spe sua damna leuabat. Quid? quod nobis testis est Christum adesse morientibus cum affirmet se manifesta in luce videre stantem in cœlo, Sed hæc alias. Nunc de gradu. Si qui volunt petere gradum Magisterij ad mę accedant intra hos xiiij dies daturi nomina. Bene Valete.

M. PAVLVS EBERVS.

HVMANISSIMVM est patriæ antiquitatem, situm, mores & egregia facta maiorum cognoscere, Et nostræ Germaniæ, etsi minus fuit exculta quam Græciâ aut Italia. Tamen multi vetusti scriptores Græci & Latini egregiam laudem non modo fortitudinis sed multo magis iustitiæ castitatis & pietatis tribuerunt.

Cum Guelfus arcem VVinsperg dederet, Conradus Imperator mulieribus concessit vt inuiolatæ discederent cũ

rebus quas ſuis humeris geſtare poſſent. Hæ viros & filios aſportãt.

Probauit Imperator conſilium & pietatem mulierum & pacem atq; amicitiam cum Guelfo fecit,

Hæc nequaquam barbarica ſunt, ſed plena conſilij, fidei, bonitatis. Amemus igitur & noſtram patriam & maiorũm exemplis ad virtutem accendamur.

Ideo vt adoleſcentes ad veteris Germaniæ cognitionem inuitentur, enarrabo Hutteni Harminium & breuem Tacitili bellum de Germania & enarrationem cras inchoabo hora vij.

DECANVS COLLEGII, facultatis Theologicæ lectoribus S. D.

S 1 BEATI qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te inquit Pſalmus 83. admonens nos ingens beneficium Dei eſſe verſari in Eccleſia

ſia pie conſtituta, in cœtu recte inuocantium Deum, audire ſynceram Euangelij vocem, vna cum cæteris pijs inuocare Deum, habere honeſtiſsimorum ſtudiorum duces & ſocios.

Horum bonorum magnitudo diligenter cogitanda eſt & quidem triſtiſsimis exemplis mouemur, vbi nunc Turcorũ armis diſsipantur Respub: & diuelluntur coniuges, parentes, liberi & adducuntur pij in vltimam barbariem vt inter immanes Turcos viuant: hi intelligunt quam dulce fuerit viuere in Eccleſia. Defendet autem Deus Eccleſias & piorum ſtudiorum hoſpicia vt in domo eius verſari poſsimus, Si id ab eo petemus & mediocriter mores rexerimus, & fauebimus ipſis ſtudijs Euangelij & ijs qui laborem in Eccleſia ſuſtinent.

Cum autem iam petiuerit à nobis Eccleſia Iſnenſis, vt teſtimonio publico ornemus N, accerſitum ad munus docendi, vt hactenus ei non defuit opera noſtra in eo erudiendo, ita nunc quoq; hoc

officium præſtandum eſſe duximus, Et Deo dante decernemus ei gradum Doctoratus Theologici die Februarij xx.

Vos quoq; adhortamur vt ad illam teſtimonij noſtri renunciationē modeſte cōueniatis et vt ſtudium veſtrum declaretis erga Euangelij miniſtros, Et vt veſtras preces adiungatis ad noſtras vt Deus Eccleſiam ſuam ſeruet, vt doctorum & diſcentiū mentes gubernet: Denicq; vt etiam has ſcholas piorum ſtudiorū protegat. Hęc enim in his congreſſibus agenda ſunt.

Datæ die 18
Feb: Anno
1543.

Altera

ALTERA PARS HVIVS LIBRI continet scripta recentia, proposita Anno. 1548. & 1549.

52

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI.



AEPE RECITA tur Pindaricum illud Ἐν χρόνῳ μεταβόλαι λήξαντος ὄυρου non hominum corpora nõ imperia, non fortunam perpetuam esse sed tandem mutari destitute uento secundo. Ac decet quidem cogitatione instabilitatis rerum humanarum commonefieri nos vt in omni actione simus modestiores ac metuamus aduersos

uersos casus. Sed ne propter desperationem prorsus abijciantur omnes labores necessarij nobis & posteritati tenenda est etiam consolatio. Est autē hæc vera & efficax consolatio, Semper etiam in ærūnis imperiorum tamen mansurā esse Ecclesiam Dei, nec destituet hanc ventus secūdus videlicet Spiritus Sanctus effusus expectore æterni patris & filij et quidē ibi mansura est Ecclesia Dei vbi vox doctrinæ sonāt & pie illustratur. Hac spe colamus studia doctrinæ, etiamsi nunc inter tumultus imperiorū spernuntur & multi prophani ea oderunt.

Sed meminerimus in hac militia nostra etiā fortitudine opus esse, ne fracti peruersitate iudiciorum cedamus de statione, aut deseramus aciem ac sit infixa animis hæc sententia ὁ πονῶν ὑμῶν κόπος οὐκ ἔστιν κενὸς ἐν κυρίῳ Semper Ecclesiæ prodest pia vox multorum, quæ doctrinam incorruptam sonat. Quare & vestri labores qui ad doctrinæ conseruationem conducunt Deo curæ erunt.

Faciamus

Faciamus igitur operas ſcholaſticas Deo iuuante & ſicut inſtitutū eſt vtiliter, vt certis temporibus ſtudia aliquorū inſpiciantur & dentur teſtimonia iis qui iam idonei ſūt ad docendum, Ita die Septembris 18 ornabuntur gradu Magiſterij Philoſophici honeſti & docti viri quorū nomina hic adſcripta ſunt.

Id cum fieri in quadam frequentia deceat, petimus vt omnes Doctores Magiſtri & auditores ad eam teſtimonij renunctiationem conueniant, & vt declarent eo officio, ſe fauere Philoſophiæ ſtudijs, quę certe neceſſaria ſūt Eccleſię & vt in tali frequentia ipſi quoq; vota nobiſcū faciant vt Deus Eccleſiam huius etiā oppidi & hunc gregē clementer tueatur & gubernet.

PHILIPPVS MELANTHON 53

SAEPE repeti præcipuas materias in Eccleſia neceſſe eſt. Et meminiſtis de omnibus alijs doctrinarum generibus dictum eſſe ab Epicteto, eadem quotidie & dicenda

dicenda & audiendâ esse & quidem ad vsum in vita transferenda. Ideo inchoaturus die proximo Iouis enarrationem Epistolæ, ad Romanos repetam integrã doctrinam δικαιοσυνης in argumento Epistolæ, vbi & explicatio ipsa postulabit refutationem variarum prestigiarũ quibus subinde doctrina obscuratur præcipue necessaria Ecclesiæ Dei. Die 18 Septembris Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE Vitenbergensis.

ET Harmoniarum sensum & cantum & artẽ canẽdi haud dubie Deus ideo præcipue dedit generi humano vt per cãtilenas doctrina cœlestis propagetur & cõseruetur, Nam prima ætas delectatur cãtu & citius discit materias, quæ cantilenis comprehenduntur, ac memoria cantilenarum diuturnior est.

Deinde & arcana quædam vis est in ciendis adfectibus, fuitq; omnino vetus sapientia

pietia de Deo & de natura rerum & de moribus cõprehensa carminibus. Ideo præstantes viri, qui Respub: constituerunt Musici fuisse dicuntur vt Orpheus dicitur feras flexisse lyra. Amphion saxa ad muros Thebanos Citharæ sono attraxisse.

Necesse est autem artem conseruari liberalitate principum. Ideo & illustrissimus Dux Saxoniæ Elector cœtum Symphoniacorum colligi iussit. Et præcipue desiderantur egressi adolescentiam qui canora & tinnul avoce melodiam canere possunt, quæ altior nominatur. Deinde qui mediam, & qui imam recte canere possint,

In his igitur qui natura valent & volũt in cœtu illo Symphoniaco Ecclesiæ seruire Torgam proficiscantur, ac eo veniant vel die S. Bartholemei Apostoli, vel deinde proximis diebus & suam voluntatem exponant Viro integerrimo Iohanni Vualtero Musico, cui mandata hac de re ab Illustrissimo principe data sunt. Literas etiam si volent

volent hic â Reuerendo viro Domino Georgio Maiore Doctore Theologiæ ad Vualterum accipiant. 19, Augusti Anno 1548.

55 RECTOR ACADEMIAE Vuitenbergensis.

TOta Historia excidij Hierosolimitani plena est horribiliũ exẽplorũ, quæ cõmonefaciunt totũ genus humanũ, de ira Dei aduersus hostes Euangelij. Cum autem in Septembri in eo ipso festo vrbs Hierosolyma capta & deleta sit quod institutũ erat, vt admoneret diuinitus illã sedem Ecclesiæ attributam fuisse, Ideoq; nominabatur festum tabernaculorum: Studiosius his ipsis diebus cogitanda est historia. Conflagrauit enim vrbs Hierosolima die 8. Septembris ante annos 1474. Cum autem vt Paulus inquit Deus non pepercerit oleæ, quid de oleastro futurum est? Nimium blandiuntur sibi multi, qui sumunt sibi licentiam Laxandi frenos omnibus cupiditatibus & horribili contemptu Dei, vel prorsu-

sus Epicureas opiniones ãplectũtur, vel Religiones instituunt ad suam potentiam. vel alijs uicijs indulgent, Commone facti autem & veteribus pœnis & nostris exuscitemus nos ad pœnitentiam & ad veram iuuocationem.

Cum autem decesserit hac nocte honestus, & eruditus adolescens natus in oppido Noricæ regionis hortamur vos vt ad funus eius hodie hora quarta ante ædes Reuerendi D. Doctoris Martini Lutheri conueniatis atq; ibi in funere veris præcibus commendetis vos ipsos, & Ecclesiam Deo & oretis vt seruet aliquod semen sanctum & studijs doctrinæ sedem tranquillam concedat. Te omnipotens Deus, æterne pater domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani & Ecclesiæ tuæ, vna cum filio tuo domino nostro Iesu Christo & Spiritu sancto oramus vt propter filium mediatorem, nos regas Spiritu sancto tuo, ac hunc scholasticum cætum clementer protegas. Datum 6. die Septembris. Anno 1548.

Phi: Melanthon.
Rector

Necesse est in Ecclesia tradi doctrinam de angelis Deo placentibus & de lapsu spirituum, qui a Deo defecerũt, & nũc vt odium expleant aduersus Deum, immani furore & crudelitate insidiantur Ecclesiæ. Ac aduersus tam sæuos hostes defendi nos sciamus ab ipso filio Dei domino nostro Iesu Christo crucifixo pro nobis & resuscitato, sicut Iohannes adfirmat inquiens, Venit Filius Dei vt destruat opera Diaboli. Quibus verbis reddita est sententia primæ promissionis. Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Nec imbecillitas humana sine auxilio dei tuta esse potest.

Habet autẽ & filius Dei adiunctos exercitus videlicet castos angelos Deum inuocantes. Hi circumuolitant templa scholas, thalamos nostros & custodes sũt membrorum Ecclesiæ vbicunq; sumus vt in hodierna concione scriptũ est. Angeli eorum vident faciem patris. & psal-

mus

mus inquit. Circumuallat angelus domini, timentes Deum.

Hæc tota doctrina, cum hodie in festo Angelorum populo exponatur, excitandæ sunt mentes nostræ, & vt considerent tantum beneficium, quod Deus custodes Angelos nobis adiungit & vt gratias ei pro hoc beneficio agamus. Imo etiam petamus regi nos a spiritu diuino, procedente ex pectore æterni patris & Filij & tegi dextra filij & per Angelos castos depelli a nobis agmina diabolorum spurca & ardentia odio Dei.

Studium vero cognoscendę huius doctrinæ & fidem nostram in gratiarū actione & inuocatione declaremus hodie singulari modestia & alijs pijs officijs, quorum omnium spectatores esse castos Angelos sciamus: Ad aram etiam munera adferri volumus vt gratitudinis, nostræ signum extet. Lætantur Angeli nostris bonis vt scriptum est, Gaudium est Angelis de vno peccatore pœnitentiam agẽte, & pro nobis precantur & dolore adfi

ciuntur in noſtris calamitatibus & multas depellunt. Diſcedãt autem maxime offenſi, prophanis ſermonibus, ſpurcitie & latrocinijs. Ideo vt tales cuſtodes retineamus ſimus modeſti, caſti & in omnibus pietatis officijs magis ſeduli. Datæ in feſto caſtorum angelorũ Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergenſis.

Cũ propter alias multas cauſas dolere pium eſt cum honeſti homines, & Deũ recte colẽtes ex hac vita mortali euocãtur, tum vero etiam propter omen, quia ſignificantur impendentes calamitates quibus præripit Deus magna ex parte ſuos cultores, vt ſcriptum eſt: Iuſti colliguntur, ne videant mala ventura. Meminiſtis autẽ multa huius biennij funera, in quibus vniuerſę Eccleſiæ luctus conſpici potuit, quę dolet ſe orbatam eſſe tot honeſtis viris & matronis, quarum

futi

fuit excellens virtus. Nunc accedit funus honestissimæ matronæ Barbaræ cõiugis venerandi viri Magistri Sebastiani Froschelij, eruditione & virtute præstantis, qui annos circiter viginti huic Ecclesiæ in magna varietate temporum, grassante pestilentia, & oppido cincto hostibus magna fide, assiduitate & constancia seruiuit. Huic & filias tres, & ingens desiderium coniunx reliquit, quam etiam inuocationis suæ sociam habuit.

Doleamus igitur & propter Ecclesiã quod tam multæ piæ mentes ex hac nostra consuetudine abducuntur, & propter luctum mariti, & Deum ardentibus votis oremus, vt publicas & priuatas ærũnas leniat, & seruet inter nos semen aliquod sanctum, nec sinat extingui in hoc nostro cœtu lucem veræ doctrinæ & veram inuocationem, Videtis seniores in magna mœsticia viuere, qui calamitatũ molem sentiunt. Hos dolere sciatis. non solum sua causa, sed multo magis propter adolescentiam & posteritatem, Vobis optant relinqui patriam, ornatam do-

 ctrina

ctrina Euangelij, legibus, disciplina. Harum maximarum rerum, & vestræ salutis cura, excruciantur. Sed aliqua ex parte in vobis etiam situm est, ne posteritas prorsus deleatur. Si ipsi ad senum gemitus & vota adiunxeritis vestram pietatem, lenientur publicæ miseriæ.

Hæc cogitanda sunt in his funeribus. Ipse etiam interitus huius sanctæ matronæ, quale exemplum sit, considerate. Mater superata laborepartus, extincto fœtu, simul & ipsa extinguitur. Sic metuendum est extincto flore piorum, simul Rempub. interituram esse.

Sed te oramus omnipotens Deus æterne pater domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ & hominum, & Ecclesiæ tuæ, vna cum filio tuo domino nostro Iesu Christo, & Spiritu Sancto, vt propter filium, in ira tua misericordiæ recorderis, & mitiges calamitates nostras.

Mandamus autem vt ad funeris ceremonias

ceremonias pie hora quarta conueniatis, & vitam vestram, & salutem publicam Deo in talibus congressibus ardenti inuocatione commendetis. Die proxima post festum Angelorũ Anno. 1548.

RECTOR ACADEMIAE Vuitenbergensis.

58 +

EST quidem disciplinæ pars uidere honestos congressus principum & considerare mutuæ reuerentiæ exempla & in sermonibus commemorationem virtutis. Sed hæc populus qui procul a principibus arcetur, nec oculis nec auribus satis accipere potest.

Cum autem & propter multitudinẽ hospitia defutura sint scholasticis, qui Torgam proficiscentur & inter equos & in turba non sine periculo uagari ignoti possint: hortamur nostros auditores ne Torgam proficiscantur, sed potius in domestica tranquillitate intendant animos in doctrinę studia, & in precationem piam.

Itaq; die Lunæ proximo rursus Deo iuuante prelectiones inchoabuntur. Nec alia est causa huius nostræ adhortationis & paterni animi sollicitudo de periculis vestris. Non est enim inusitatum in tanta frequentia & concursu hominum ledi aliquorum corpora.

Oramus autem Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, conditorem & seruatorem generis humani & Ecclesię suæ, qui politias & imperia instituit, vt principes & nos regat & disciplinam & studia tueatur. Data v. Octobris. 1548

Cras Deo iuuante hora septima enarrabo Pindarum. Sed die Martis hora septima oratione Demostenis περὶ στεφάνου interpretabor, quã non solum propter græcę linguæ cognitionem, sed etiam propterea prodest familiariter notã esse studiosis, quia inde forma peti potest, quæ in respondendo & refutando maxime vtilis est & lumina habet orationis plurima

plurima, vt dicam in enarratione, xxviij Octobris.

Philippus Melanth.

RECTOR ACADEMIAE. Vitebergensis.

INTER communia mala horum calamitosorum temporum, sunt & parturientium aduersi casus crebriores, quam antea fuerunt: Audimus enim & alibi multas doloribus partus extingui. Id quã sit triste spectaculum, & quantum luctũ talia funera familijs suis adferant, experiũtur illi ipsi, ad quos ea calamitas proprie pertinet. Nec magnitudo doloris iudicari potest ab alienis & non expertis similia, iuxta vetus Pindari dictũ ἀ δικεον πέλει, ἀλλοτρίων δ' ὀυ μέλει ἀνθρωποις Etsi crudele est, tamen ita fit, minus adficiuntur homines alienis doloribus quam fieri oportuit.

At in his casibus signum & omen ad omnes pertinet. Non dubium est enim, significari parturientem Ecclesiam, in qua

Passim bonę mentes circumferunt assidu am & ingentem mœsticiam, & vere dictum esse in Hosea multi experiũtur: Dolores parturientes venient ei.

Deinde quia multi pij auferuntur e medio, adparet secuturas esse calamitates publicas, quibus hi singulari beneficio Dei præripiuntur. Nobis igitur hæc funera minari, & nos ad pietatem reuocari non dubitemus. Quare intuenda sunt hæc exempla, & voluntas Dei cogitanda.

Meministis autem funera priora. Nunc & honestissima coniunx M. Erasmi Reinholdi Salueldẽsis Margarita Bonerin ornata omnibus virtutibus honestę & piæ matronę conuenientibus, in partu extincta est, quam quidem, cũ & antea pie vixerit & nunc in hac sua militia sese inuocatione filij Dei, in maximis cruciatibus, & difficilimo agone, constanter erexerit, non dubitemus ad celestem cõsuetudinem Dei & Ecclesiæ æternæ eductam esse. Sed mariti vulnus magnũ est.

Huius

Huius luctu adficiamur, præsertim cum ei gratitudo debeatur, quia ipsius opera & assiduitate, quã multos annos præstat, late propagata est doctrina Mathematũ quam scitis valde necessariã esse hominũ vitæ, & nemini nocere, ac flectere ingenia ad pacis publicæ & ad virtutis amorẽ Adiũxit autem ad harũ ipsarũ artiũ cognitionẽ & alias virtutes cõueniẽtes viro honesto, & verã Dei agnitionẽ & inuocationem.

Moueamur etiã cogitatione dolorũ parturiẽtis Ecclesiæ, & metu impẽdentiũ calamitatũ, & modestius viuamus, ac veris & ardẽtibus votis Deũ oremus vt in ira misericordię suę propter Filium mediatorem recordetur, & leniat priuatas & publicas miserias, & seruet inter nos aliquem cætũ, & reliquias ipsũ vera pietate & vera inuocatione colentes. Et cũ dicit pater orphanorũ velit, respiciat & harum matrũ orphanos, & has ipsas Ecclesias quæ etiã sũt orphanę. Nec irritos esse gemitus nostros, nec inanes lachrymas cogitemus, si mediocris vitę modestia accedet. Hæc vobis hodie, in funere cogitãda sũt,

ad

ad quod vt cõueniant hodie hora duodecima omnes auditores Academię nostrę mandamus vt funeris cerem oniæ piæ seruentur, & vt coniungamus præces, vt Deus hanc Ecclesiam clementer regat & seruet, Amen: Die 7: Octobris. Anno.

1548.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis.

61

ET vir iustus erat, & excellens Iurisconsultus, Conradus Mauser Noribergensis Licentiatus. Meminimus enim & clarissimum virum Doctorem Hieronymum Schurff, præstantem & iuris cognitione, & sapientia, huic viro tribuere has magnas laudes, quę præcipuæ sunt ingenij, eruditionis, & virtutis, videre et incausis maxime, vbi fundamenta & nerui essent, & summa dexteritate id, quod verissimum esset eligere.

Magnum autem & præsidium est & ornamentum ciuitati, talis Iuriscõsultus, qui & consilio pollet, & amat veritatem ac iusticiam. Ad hæc tanta decora hic vir addidit veram Dei agnitionem & inuocationem,

tionem. Et cum reipub: in ciuilibus negotijs, tum vero Ecclesiæ in Consistorio vtiliter seruiuit, qua in re & fortitudo animi in eo valde laudanda est, quod cum corpus male adfectum esset multis annis, tamen hos labores singulari virtute sustinuit.

Talis vir cum nunc ex hac vita euocatus sit, etsi cum ipso, quia & semper honeste vixit, & sese adsidua inuocatione filio Dei commendauit, bene actum est, tamen propter honestissimam ipsius coniugem, & paruos liberos, & propter rem p. b. doleamus, quæ magna iactura adfecta est eo extincto. Desiderio etiam ipsius, nobis, quibus familiariter notus fuit, crescit dolor.

Nam & propter virtutem eum valde dilexímus: & in collatione consiliorũ sæpe ab eo adiuti sumus. Erat enim omnino, vt in Ennij versu dicitur: Ingenium, cui nulla malum sententia suadet.

Sed oramus Deum, vt & ipsius familiam

liam custodiat & in hoc oppido semper Ecclesiã sibi colligat, non sinat inter nos extingui studia doctrinæ Euangelij, & aliarum honestarũ artium. Hæc nobiscum ferio etiã in funere precari cæteros conuenit. Petimus igitur vt omnes Magistri & auditores in hac Academia ad funus hodie hora quarta conueniãt, vbi & suam vitam singuli Deo commendẽt & orent, vt hanc Ecclesiã clementer gubernet & seruet, Die 23 Octobris. Anno 1548.

62.

IN PRAELECTIONEM Sphæræ.

Etsi causas cõsilij diuini in opificio mũdi non omnes penitus scimus, tamen aliquæ sunt in conspectu, quas quidẽ & Deus ipse nobis vult notas esse & sepe cogitari. Primum, vt Pædagogus, monet nos de vtilitatibus nostrorum corporum quas etiam barbari agnoscunt, hanc figuram mundi conueniens domicilium esse animantium. Vices hyemis & æsta-

tis

tis conducere rebus nascentibus, esse & vices gratas dierum & noctium omnibus viuentibus.

Sed alia maior causa est, cur tantũ artis adhibuerit in tota fabricatione. Vult ob oculos positum esse testimoniũ, quod ostendat non casu res nasci aut volui, sed esse mentem architectatricem huius pulcherrimi ordinis. Nec esse tantum, sed etiam cura generis humani adfici, ac Deum vere esse, vt Paulus inquit φιλάνθρωπον, qui tam varia bona ad vsus humanos condidit.

Sed deplorandã & detestanda est horribilis ingratitudo. Fruuntur multi beneficijs diuinis, & non solum nihil de autore cogitant, sed vix etiam res ipsas aspiciunt. Absit autem a bonis ingenijs hæc belluina vel Cyclopica feritas, & excitemus mẽtes ad considerationẽ admirationẽq; diuinorũ operũ. Nam vt Nazianzenus inquit, admiratio accendit amorem Dei, Amor mentes Deo adiungit & similes efficit.

Quam

Quam turpis negligentia est in in-
uocatione, non cogitare, quid inuoces, u-
bi, quomodo se patefecerit Deus, quan-
tum nos diligat, cum nobiscum summa
sua bona communicarit, cum nos ad ima
ginem suam condidit, & in mentes no-
stras radios suæ lucis & sapientiæ sparsit,
cum misit Filium doctorẽ & ἀντίλυτρον
cum ex pectore suo transfuso in nos suo
Spiritu, nos sibi æterno amore copulet.
Hæc tanta beneficia non admirari, nec cu
rare, horribilis impietas est.

Quare vos hortamur, vt cum alia
testimonia de prouidẽtia diligenter colli
gatis, tum vero & vestigia Dei in natura
sepe multumq; contemplemini. Adest
enim ut Paulus inquit, tam prope, pene
vt manibus contrectari possit. Ac multũ
prodest ad confirmandam in nobis ve-
ram de iudicio Dei sententiam, aspicere
illa Dei vestigia. Quæ cum sint demon-
strationes, conuincunt vel repugnantes
animos.

Primum autem discenda sunt elemẽ-

ta', quæ continentur in libello de Sphæra, quem iuxta consuetudinem Academiarum sepe repetimus. Ideo hodie deo iuuante rursus exordiar eius libelli enarrationem, ad quam vt iuniores frequentes conueniant, magnopere eos adhortor.

Moueat vos & diuina vox in Moise, vbi dicitur, Luminum motus a Deo institutos esse, vt annos, menses & dies discernant. At annorum & mensium discrimina sine obseruatione & sine doctrina non cernuntur. Mandatum igitur Dei est, vt doctrina harum obseruationum conseruetur. Et Ecclesiæ necessariam esse distinctionem temporum manifestum est.

Iohannes Aurifaber, 63 +

NON alendæ curiositatis causa inuitamus auditores ad motuum aut effectionum cœlestium considerationem. Nam motuum cognitio certe propter uni rationem necessaria est. Et Deus ip

se aspici metas cursuum voluit, vt annorum & mensium spacia obseruarentur. Deinde μαντικὴ est ipse motuum ordo, quia testificatur hunc mundum non casu extitisse. Postea magis etiam confirmantur hominum mentes de prouidentia, cum mirificum consensum καὶ συμπάθειαν corporum cœlestium & inferiorum cernunt. Nam & hic consensus ostendit mirando architecti consilio omnia ordinata esse.

Ac horum hibernorum mensium tempestas erit exemplum huius consensus. Erunt horridiora frigora, quia congressus erit Solis & Saturni in Capricorno. Saturnus enim cũ est ὑπαυγὴς auget frigora. Quo vsq; autem hæc μαντικὴ progrediatur & quas in vita vtilitates adferat, suo loco sæpe dicitur, Nos quidem non plura probamus quam quæ ad physicas causas recte referri possunt & Deum naturę conditorem agnosci & celebrari volumus, qui quidem liberrime gubernat naturam & sæpe causarum seuiciam sua bonitate lenit, vt recte dictum est in his versibus.

Ipsa

Ipſa etiam quamuis Adamanti inciſa feruntur.
Cum petimus cedunt fata ſeuera DEO.
Nec DEVS *eſt numen parcarum carcere clauſum.*
Quale putabatur Stoicus eſſe DEVS.
Ipſe poteſt Solis curſus inhibere uolantes,
Ipſe uelut ſcopulos flumina ſtare iubet.

Imo præſentia Dei eò magis cõſpici poterit quo propius naturã contẽplamur Tunc enim intelligi poteſt, qui effectus a natura qui aliunde oriantur. Libros igiturSchoneri de effectionibus ſydetum enarrabo. Tota hęc doctrina ad multas partes naturæ cognoſcendas vtilis eſt, & eo magis amanda, quia multas artes cõplectitur Prius enim motuũ cognitio neceſſaria eſt quę ex Arithmetica & geometria extructa eſt. Deinde in iudicijs Phyſicę proprietates qualitatũ aſpiciendæ ſũt, Multarũ igitur honeſtiſſimarũ artium exercitia concurrunt, in tractanda hac parte, quæ recitat effectiones ſyderum quam quidem multi adpetunt, ſed quia laborem, diſcendi priores artes fugiunt, poſtea pro μαντικῇ præſtigias aut magicas prædictiones vendicant.

Pauci enim laborem recte & ordine discendi ferunt, ac vsitatum est quod dicitur σῦκα φίλα ἐρεβίνθοισι, φυτεύειν δὲ ῥόδα θέλοι. Cum vero libros suos Schonerus ordiatur à natiuitatum verificatione, primum integram rationem erigendi conformandiq; figuras cœli, & loca planetarum indagãdi ostendam. Qui mea opera vti volent conueniant & me & cohabitatores meos hisce diebus.

Cas: Peucer.

64 Verissimũ est oportere in Ecclesia ministerium esse docendi Euangelij & quidem cœtus esse deditos studijs literarum præter populum rudem literarum. Vult enim Deus semper aliquos esse lectores librorum Propheticorum & Apostolicorum et custodes natiuæ interpretationis vt in epistola ad Ephe: inquit, Seruari ministerium Euangelicum ne corruptelis doctrinæ circumferamur tanq; ventis.

Ac filio Dei sedenti ad dextram æterni patris & conseruanti ministerium Euangelicum,

Euangelicum. Pro hoc tanto beneficio gratias agamus & sedulitatem in eo tuendo præstemus.

Necesse est autem in schola summas rerũ quasi in corpus redactas καὶ σωματοποιηθείσας teneri. Ideo & vetus Ecclesia condidit Symbola & eorum enarrationem.

Quare & hic institutа est Symboli Nyceni enarratio, quod eo libentius proponimus vt extet testimonium illustre nos amplecti & retinere vniuersam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam.

Etsi autem optarim a Doctore Casparo, in quo ingenij præstantia admiranda fuit inchoatam enarrationem absolutam esse, tamen postquam Deus eum in tranquilliorem Academiã euocauit, ego Deo iuuante eam pertexam & hodie locum de libero arbitrio hora secunda inchoabo.

Georgius Maior
Doctor.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis.

MAGNVM decus est etiã lætis temporibus modestia & cura seruandi modum in omni gestu, Mœstis vero temporibus in quibus compescere cœcos impetus ærumnæ ipsæ debebant, non affici sensu cõmuniũ miseriarum, sed tanq; in Bacchanalibus discurrere, vociferari & tumultuari, magna turpitudo est. Non solũ illa ipsa cura tuẽdę moderationis, sed etiã sensus ærumnarũ reprimere & cõpescere stolidos impetus debebat vt morbi interdũ temperantiã adferunt. Ita nunc omnes homines ꝓpter multa Ecclesiæ & Reipub: vulnera dolore adfici, & significare mœsticiã studio trãquillitatis oportuit. Videtis in magna Germaniæ parte Sacerdotes doctos & honestos ex ecclesijs quas diu pie erudierũt expelli, in templis solitudinẽ & vastationẽ fieri, Alicubi vero & manifestos idolorũ cultus restitui dissipari populũ, turbari spi: sanctum & impediri dolore vel dubitatione invocationem in mentibus pijs, in impijs

pijs confirmari audaciam & cyclopicas opiniones, vagari cæteros sacerdotes cum familijs suis. Passim vero grassari milites & pestulantiam & contumaciam multiplicem exercere. Apparari etiam nunc noua & maiora bella, dissipari scholas, doctrinæ studia conticescere, honestas leges & disciplinam deleri, turbari œconomias nec foueri aut institui posse paruam sobolem, multos etiam exulare auulsos a coniugibus & familijs.

Deniq; etsi magnæ calamitates antea etiam in bellis Germanicis extiterũt: tamen eum nunc ad cætera bellorum mala, ad cedes, incendia, exilia, raptus matronarum & Virginum, accedat horrenda religionis confusio, tantum miseriarum vix vnquam in Germania fuisse existimatur.

Propter has causas vera Ecclesia Dei vbiq; in magno luctu est cuius afflicti dolore nos quoq; ostendamus qui mẽbra sumus Ecclesiæ dei & vt in precatione

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis.

MAGNVM decus est etiã lætis temporibus modestia & cura seruandi modum in omni gestu, Mœstis vero temporibus in quibus compescere cœcos impetus ærumnæ ipsæ debebant, non affici sensu cõmuniũ miseriarum, sed tanq; in Bacchanalibus discurrere, vociferari & tumultuari, magna turpitudo est. Non solũ illa ipsa cura tuẽdę moderationis, sed etiã sensus ærumnarũ reprimere & cõpescere stolidos impetus debebat vt morbi interdũ temperantiã adferunt. Ita nunc omnes homines ꝓpter multa Ecclesiæ & Reipub: vulnera dolore adfici, & significare mœsticiã studio trãquillitatis oportuit. Videtis in magna Germaniæ parte Sacerdotes doctos & honestos ex ecclesijs quas diu pie erudierũt expelli, in templis solitudinẽ & vastationẽ fieri, Alicubi vero & manifestos idolorũ cultus restitui dissipari populũ, turbari spi: sanctum & impediri dolore vel dubitatione invocationem in mentibus pijs, in impijs

pijs confirmari audaciam & cyclopicas opiniones, vagari cæteros sacerdotes cum familijs suis. Passim vero grassari milites & petulantiam & contumaciam multiplicem exercere. Apparari etiam nunc noua & maiora bella, dissipari scholas, doctrinæ studia conticescere, honestas leges & disciplinam deleri, turbari œconomias nec foueri aut institui posse paruam sobolem, multos etiam exulare auulsos a coniugibus & familijs.

Denique etsi magnæ calamitates antea etiam in bellis Germanicis extiterũt: tamen eum nunc ad cætera bellorum mala, ad cedes, incendia, exilia, raptus matronarum & Virginum, accedat horrenda religionis confusio, tantum miseriarum vix vnquam in Germania fuisse existimatur.

Propter has causas vera Ecclesia Dei vbique in magno luctu est cuius afflicti dolore nos quoque ostendamus qui mẽbra sumus Ecclesiæ dei & vt in precatione

 meas

mens sit ardentior simus modesti & amā tes tranquillitatis,

Quare seuere prohibemus discursationes & vociferationes nocturnas ac precipue mandamus vt diligenter vitēt Scholastici omnes occasiones irritaturas mílites, qua in re & publici & priuati periculi ratio habenda est. Denique propter filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, qui nunc quoque pro nobis apud æternum patrem intercedit & sua manu tegit Ecclesiæ & scholæ huius reliquias, vos obtestamur vt sitis modesti & veris votis & gemitibus nobiscum oretis Deum vt pœnas mitiget nec sinat dissipari cœtus recte discentium. Datæ die tertia Februarij. Anno 1549.

66

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis.

MVLTAE sunt grauissimæ causæ quare Ecclesia Dei inde vsque ab initio in funerum ceremonijs, pios hominū congressus fieri voluerit, Ac vetustas non

non inania tantum ſpectacula ibi exhibuit, vt poſtea fecerunt Ethnici qui Agonas equeſtres & alios inſtituerunt. Sed commonefactio fiebat ad populum de cauſis miſeriarum humanarum & de liberatione promiſſa propter filium mediatorem qui caput ſerpẽtis conculcaturus eſſet, de venturo iudicio & de reſurrectione.

Agebantur etiam gratiæ, ſi qui vel in confeſſione fortiter tulerant ſupplicia vel alioqui in inuocatione Dei fideliter deceſſerant. Vt tota Eccleſia Antiochena comitata eſt coniugem Babylæ Epiſcopi, quæ maritum & tres filios ſimul ſepeliebat. cum in confeſſione interfecti eſſent, & quidem tres filij primum inſpectantibus parentibus in extrema ſenecta & confirmantibus eos, necati eſſent, poſtea vero pater ſenex ſupplicio adfectus eſt. Horum corpora mater anus publice ſepeliit, tota Eccleſia lugente ſuam orbitatem amiſſo bono paſtore, & tamẽ deo gratias agente, pro conſtantia confeſſionis. Preterea monebant in funeribus pij

Doctores ut cõmunibus precibus mitigatio miseriarum publicarum peteretur & suam vitam quisq; Deo commendaret Est enim vita Dei donum. Propter has causas volumus & nos, conuenire Ecclesiam in funerum ceremonijs, vt nos ipsi commonefaciamus de causis miseriarum humanarum & de liberatione ac venturo iudicio, & vt fiducia filij Dei domini nostri Iesu Christi petamus, vt seruentur in his regionibus Ecclesiæ, & vt ei gratias agamus, quod inuocantes ipsum facit hæredes vitæ æternæ.

Mandamus igitur vt hodie hora quarta ante Arcem conueniant omnes Doctores Magistri et auditores ad funus honestissimę matronæ matris viri Nobilis & uirtute excellentis Sebastiani á Vualuuitz capitanei superioris in ducatu Saxonico quæ nata fuit in familia Nobili Vuolknitz & nupta viro Nobili Georgio á Vualuuitz, quorum vita cũ alijs virtutibus omnibus ornata fuit, tũ vero precipue pietate & vera inuocatione Dei.

Itaq

Itaq; deus vicissim vt in Psalmo dicitur fi
lij tui sicut nouellæ olearum, dedit eis na
tos sedecim corporum figura, ingenijs, &
virtute præstantes. Filij enim in militia
apud summos Reges, Imperatorẽ, Re
gem Gallicum, Regem Anglicum, Re
gem Danicum exercitus duxerunt, & re
bus magna virtute & fœlicitate gestis in
magna autoritate sunt & fuerunt. Tres
enim in prelijs extincti sunt, ceteri super
stites adiuuant gubernationem reipubli
cæ etiam in pace, magna cum laude.
Nam & hæc ipsa ciuitas, & tota vicinia
testis est, eximiam esse capitanei in om
ni gubernatione, iustitiam, æquitatem, cõ
tinentiam & moderationem.

Has domesticas virtutes addere ad mi
litares, ingens decus est. Digna laude est
& pietas erga honestissimam matrem
quam honestissimo exemplo vidimus a
pud filium viuere, & quotidie in templis
Deũ inuocare, & audimus iam in morbo
robur animi in ea magnũ fuisse propterea
quod vera inuocatione filij Dei petebat le
tã celestis Ecclesiæ consuetudinẽ, & certo

norat

norat hæc vota, hanc fidem, hanc ſpem & expectationem nequaquam irritam eſſe. Propter talium exemplorum cogitationem etiam ad hos congreſſus accedendū eſt, & addenda precatio pro communi ſalute. Die Februarij 28 Anno 1549.

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI.

67

ETSI in tanta confuſione vitæ humanæ dubitant plurimi, an cœtus aliqs Deo prçcipue curæ ſit, & an ſit aliqua Dei Eccleſia, præſertim cum hic cœtus qui profitetur ſe proprie populum Dei eſſe, vagetur ſine certa ſede, ſine certis imperijs, ſine præſidijs, & ſecum non leues ærumnas circumferat, tamen firmiſſima adſenſione ſtatuendū eſt, nec fruſtra conditum eſſe genus humanum, nec fabuloſas eſſe patefactiones diuinas, ſed uere confirmatas illuſtribus teſtimonijs, reſuſcitatione mortuorum, & alijs miraculis, & colligi a Deo æternam Eccleſiā & mirandis modis ſeruari, In hac & ipſi

expe

experimur gemitus & vota nostra â deo exaudiri.

Nec dubium est custodẽ huius cœtus esse filium Dei, qui sedens ad dextrã æterni patris, dat dona hominibus vt in Psalmo scriptum est, Dat autem cũ alia dona multa inuocantibus, tum vero etiam vt Paulus inquit Pastores, & Doctores. Hos autem sumit ex discentium agminibus, quæ & ipse hãc ob causam tuetur, ne doctrinæ lux in genere humano extinguatur.

Vult in Ecclesia vocem docentium sonare, vult coli studia, ne simus ociosi & ignaui. Ac rursus, vt ipse agnoscatur, & pectora nostra ad inuocationem accendantur, & præsentiam Dei inter nos cernant, adfirmat labores nostros, & militiam nostram ita fore fœlicem & salutarem nobis & alijs si ab ipso iuuetur.

Ideo & auxilium amplissimis promissionibus pollicetur, quas ad discentium agmina

norat hæc vota, hanc fidem, hanc spem & expectationem nequaquam irritam esse. Propter talium exemplorum cogitationem etiam ad hos congressus accedendū est, & addenda precatio pro communi salute. Die Februarij 28 Anno 1549.

67

DECANVS COLLEGII THEOLOGICI.

ETSI in tanta confusione vitæ humanæ dubitant plurimi, an cœtus aliqs Deo prȩcipue curæ sit, & an sit aliqua Dei Ecclesia, præsertim cum hic cœtus qui profitetur se proprie populum Dei esse, vagetur sine certa sede, sine certis imperijs, sine præsidijs, & secum non leues ærumnas circumferat, tamen firmissima adsensione statuendū est, nec frustra conditum esse genus humanum, nec fabulosas esse patefactiones diuinas, sed uere confirmatas illustribus testimonijs, resuscitatione mortuorum, & alijs miraculis, & colligi a Deo æternam Ecclesiā & mirandis modis seruari, In hac & ipsi

expe

experimur gemitus & vota nostra à deo exaudiri.

Nec dubium est custodē huius cœtus esse filium Dei, qui sedens ad dextrā æterni patris, dat dona hominibus vt in Psalmo scriptum est, Dat autem cū alia dona multa inuocantibus, tum vero etiam vt Paulus inquit Pastores, & Doctores. Hos autem sumit ex discentium agminibus, quæ & ipse hāc ob causam tuetur, ne doctrinæ lux in genere humano extinguatur.

Vult in Ecclesia vocem docentium sonare, vult coli studia, ne simus ociosi & ignaui. Ac rursus, vt ipse agnoscatur, & pectora nostra ad inuocationem accendantur, & præsentiam Dei inter nos cernant, adfirmat labores nostros, & militiam nostram ita fore fœlicem & salutarem nobis & alijs si ab ipso iuuetur.

Ideo & auxilium amplissimis promissionibus pollicetur, quas ad discentium agmina

agmina pertinere nihil dubium est, vt de doctrinæ custodibus inquit. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Affirmat nos domicilium Dei fore, si modo pia studia doctrinæ in nobis accensa sint.

Etsi igitur magnæ & tristes dissipationes Ecclesiarum & discentium fere omnibus seculis factæ sunt, & fiunt, tamen cum domicilium Dei simus, Deo ipsi curæ erit, ne desint studijs hospitia. Nos modo vero studio, coniungamus hæc duo, diligentiam recte discendi, & inuocationem non fucosam, sed ardenti fide statuentem adesse nobis custodem filium Dei, qui tegat nos, sicut in deserto exercitus Israelitarum Nube tegebatur.

Cum autem vir honestus & eruditus Magister Melchior Isinderus Suidnicensis, iam ad cœlestis doctrinæ propagationem a Deo vocatus sit, & ex Schola delectus, cõuenit ei veteri more tribui doctrinæ testimonium, vt cæteri sciant

&

& accepisse eum doctrinam ab Ecclesia huius Academiæ Vuitebergensis, & eti ueri Euangelij puritatem incorruptam.

Talium testimoniorũ renunciationem publice, & in mediocri frequentia honestorum hominum fieri decet. Ideo petimus vt cras omnium ordinum Doctores, Magistri, & auditores in Templo arcis, hora nona conueniant, non solum vt audiant nostri Collegij testimonium, Sed etiam vt in ea frequentia sua vota ad nostras preces adiungant, & orent filium Dei custodem Ecclesiæ suæ, vt calamitates publicas & priuatas mitiget, det tranquilla hospitia literarum studijs, tueatur & gubernet docentium & discentium cœtus, ne vera Dei noticia in terris extinguatur, sed colligatur Ecclesia celebratura eum æterna gratitudine & letitia.

Die Martini, Anno 1548.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis.

IVRA fidei publicæ seruanda, sunt etiam erga alienos & erga hostes. Ea in re honestas & generis humani consensus primum consideretur

Deinde

Deinde periculi ratio habeatur, Equites qui mandatum habent tuendę fidei publicæ, irritati possent atrociter reprimere tumultuãtes. Quod si heri fecissent excitati cõtumelijs & vociferationibus magna cædes facta esset, Sed tunc quidem in caligine parcere multitudini maluerũt.

Nunc scholasticis hoc edictum proponimus primum commonefacti de jure fidei publicæ omnes contumeliæ significationes omittant. Deinde vt ea re sui periculi rationem habeant, si equites turbã tumultuantẽ dissipabunt multi interficientur.

Ideo mandamus iuramẽti religione ne quis scholasticus vlla contumelia afficiat quenquam in comitatu inclyti Marchionis Electoris. Deinde vt vitent periculum præcipimus ne accedat quisq; ad turbam spectatricem. Quia si rursus exoriretur vociferatio præcipue scholastici ab equitibus peterentur.

Luget Ecclesia in tota Germania cum

cum hac nos quoq; lugere modestia nostra significemus & gemitibus ac votis piis filio Dei eam commendemus, non violemus contumelia hospites, quorum aliqui summa nobilitate & autoritate, multi virtute excellunt, multi etiam nobiscū & vere Deum inuocant & optant Ecclesiæ tranquillitatem. Magnæ causæ hac in re cogitādæ sunt, Ius fidei publicæ, Reuerentia debita principibus, officia debita hospitibus, nostri periculi magnitudo, Ecclesiæ luctus, malum exemplum, voluntatum alienatio a nostra Ecclesia.

Itaq; harum causarum omnium cogitatio vos moueat vt reprimamus linguas & manus ne quem contumelia adficiamus. Die 25 Februarij anno 1549

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis. 69 +

REPETIMVS mandatum nuper hic propositum de non violanda fide publica, Ac rursus mandamus Religione iurisiurandi ne quis vlla contumelia in-

dictis, aut gestu vllo hospitem adficiat. Ac vt vitetur occasio hortamur ne accedant scholastici ad turbam spectatricem. Etsi autem voluntas in iuuenibus non fuit atrox: tamen species facti petulantiam præ se fert, & postea atrocitate narrationis exaggeratur præsertim apud eos quorum voluntates sunt alienæ ab hac nostra Ecclesia: Corinthus deleta est a Romanis propter violationem fidei publicæ.

Et multa leguntur similia exempla. Semper enim sapientes gubernatores iudicarunt reuerenter tuendum esse ius fidei publicæ vt de pace & de rebus necessarijs colloqui homines possent. Hæc officia politica intelligere & magnificere discamus. Iuniores etiam metus periculi sui coherceat, quia si equites irritati turbam dissipar ent cædes fieret.

Parcite ergo & vestræ vitæ & parentibus vestris & Ecclesiæ nostræ. Nam & parentes & nos in tristissimo luctu futuri essemus si qui aut vulnerarentur aut interficerentur.

interficerentur. Et scandalo oneraretur hæc Ecclesia alioqui mæsta quam nunc omnibus officijs ornare debemus.

Hæ grauissimæ causæ vos mouerant vt vestræ & communi tranquillitati consulatis Die 28. Februarij, Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis. 70

ANTIQVITAS Ethnica celebrauit in fine Decembris Saturnalia in quibus vt imago proponeretur aureæ ætatis libertatis & æqualitatis quam initio regnante Saturno fuisse ferebant: Serui in familijs, triduo conuiuia agitabant. Ac Heri ministrorum officia obibant, adstabant mensis adferebant cibos, erant pincernæ, Hæc domestica permutatio non solum ad hilaritatem sed etiam ad commonefactionē instituta fuit vt domini cogitarent de communi sorte humana Dominos posse in seruitutem venire & seruis reddi posse libertatem & iusticiam &

beneficentiã erga seruos exercendã propter naturæ societatem. A talibus honestis conuiuijs & ludis orti putantur ludi horum dierum. Sed barbaries hominum multa addidit, Laruas, discursationes nocturnas & diurnas vociferationes & alia periculosa paci & indigna benemoratis hominibus.

Ideo prohibemus in Vniuersum personatorũ discursationes nocturnas & diurnas, item Ludos qui à mutatione nomen habent & alios indecoros ludos, prohibemus & vocari puellas & mulieres in alienas familias ad choreas. Meminerimus tantum abusum fuisse libertatis christianæ vt in ipsis ferijs passionis filij Dei totis noctibus helluarentur. Nunc pœnas damus, magni tumultus impendet & iam Ecclesiæ vastantur, vagantur in exilijs pastores cum familijs quæ fame & mestitia contabescunt.

Has pœnas leniri oremus & leniet filius Dei si vos ad modestiam reuocare, si disciplinæ frena pati incipiemus, si veris votis & gemitibus petemus ne maior

or dilsipatio frat. Pericula etiam hortentur ſingulos hoc tempore ad modeſtiam cũ in oppido milites ſint, Ac ſeuere mandamus ne quis vlla petulantię ſpecie irritet milites. Datæ Die iij Martij. Anuo.

1 5 4 9.

71
+

EXCELLENS Dei donum eſt & diuinitus traditum hominum naturæ propter ingentes vtilitates, quod animad uerſo ſolis aliorumq; ſiderũ rato ac perpetuo circuitu anni certa ratio cõſtituta eſt quæ & in vniuerſa vita politica maximarum commoditatum cauſa eſt & precipue nobis vluentibus in eccleſia dei, adeo neceſſaria eſt vt nec inicia mundi ner or do temporum, quibus ſe Deus patefecit ſine ea cogitari poſsit, quem vult Deus a nobis ſepe conſiderari, vt quę prior ſit quæ poſterior doctrina religionis ſciamus!.

Deinde & ipſa anni contemplatio, ſe iunctis vtilitatibus digna eſt admiratione propter Deum autorem, qui ita condidit ſolis corpus, ut ſit fons luminis in hoc

to to domicilio creaturarum, nec tantum oſtendat res ſed etiam omnia naſcentia ca lore foueat & circuitu ſuo intra certas me tas conſtituto, ordinem & memoriam temporum inde vſq; à condito genere hu mano tueatur. Hæc omnia cum ſapientiſ sime ordinata ſint à Deo & Deum archi tectũ monſtrent, profecto conſideratione digna ſũt. Cũ in geneſi mãifeſte dicatur lu mina hæc condita eſſe vt diſcernant dies tẽpora & annos: Vídemus nos etiam diui no teſtimonio admoneri vt omni ſtudio iſtam doctrinam, quæ anni rationem mõ ſtrat colamus. Decreui igitur tradere rati onẽ cõponendi Ephemerides, annuas quales ſunt, quæ parietibus affiguntur, ad quotidianũ vſũ quæ calendaria vocantur In hoc exercitio no bis multa fient in do ctrina motuum magis perſpicua, & vti tabulis quæ omnium planetarum motus continent diſcetis. Libellus quem dictabo 8 Stofflero, qui plurimum illuſtrauit do ctrinam motuum cęleſtium, compoſitus eſt. ideo ſtudioſos ad eius libelli lectionẽ in uito, qui me proximo die mercurij hora 9 conueniant Die 21. Octobris.

Dauid Chitræus. Vſitatũ

VSITATVM est in hac Academia repeti enarrationē libri 2. Plinij, & quia elementa quædā continet doctrinæ de cœlestiū corporū ordine & motibus & de elemētis: Et interpreti occasionē prebet multa vtilia addendi. Quāq; autē res, eædē alibi in ipsorū artiū libris tradūtur tamē homines latinæ linguæ studiosos, ignorare Plinīū turpe est, Qui hac in re precipue benemeritus est, de lingua latina, quod vocabula multarum rerū, plantarū & animantium & alia posteritati conservauit. Ac sine eo latina lingua nūc in rerū vocabulis magna ex parte muta esset. Multa etiam veterū dicta citat, quæ alibi nō extāt. Ideo & vtilis est & grata studiosis Plinij lectio. Ac nos quidē meminimus ante enarrationem, flagrasse nos magna auiditate cognoscēdi, quid diceret. Vtinā nunc similis esset auiditas in iuuenib. cū explicatio perspicua, plana & facilis, proponitur. Nec dubito omnes qui audiuerūt Plinij enarrationem, fateri se ex ea magnā voluptatē et vtilitatē cæpisse. Verū est non omnes materias similiter dignas esse cognitione. Sed tamem maior pars huius secundi libri & vtilis & iucunda est.

Ideo adhortor scholasticos vt studiose audiant hanc interpretationem. Multa de fatalibus mutationibus rerum humanarum & de earum causis & signis ibi dicuntur, quarum consideratio hoc tempore aliquo modo prodest, vel ad ferendos dolores, vel ad cauenda aliqua mala.

Ipsa etiam naturæ & ordinis aspectio testimonium est prouidentiæ diuinæ. Vtilissimum est autem, quam plurima testimonia diuinæ prouidentiæ in natura sæpe contemplari. Inchoabo autem enarrationem, Deo iuuante, Die proximo 29. octobris.

Sebastianus Theodoricus

73 DECANVS COLLEGII MEDICORVM

QVAM sanctum & pium doctrinæ vitæque genus colant hi, qui in rerum natura inuestiganda ac cognoscenda versantur, & ægrotantibus corporibus inde salutaria vitæ remedia depromunt, cum multa

multa alia testimonia declarant, tum vero æternus Deus conditor Mundi ac naturæ ipse ostendit. Qui vt rerum a se conditarum vim, atq; hæc vitæ præsidia hominum generi pro sua immensa bonitate ac paterno amore indicauit, ita donum curationis, ac Medicinam, inde vsq; ab initio cum sacratissimi verbi sui ministerio coniunctam esse voluit. Nempe vt ijdem essent, & corporis medici & animæ, homines q; ab his præsentis vitæ auxilijs ad cognoscendum opificem atq; autorem æternæ vitæ perducerentur.

Ideo post Diluuium vinum ostendit Noliæ, vt debilitatæ iam naturæ, ac pluribus quam antea morbis, obnoxiæ, id salutare auxilium esset, Abrahæ Balsami vsum indicauit, cuius ope ille haud dubie multos mortales a varijs & grauissimis morbis liberauit. Curat Regem suum Esaias propheta, & non tam a morbo, quam a præsenti morte mandato atq; auxilio diuino liberat.

Denique Christus ipse Dominus ac re-

demptor noſter, dum in hac vita verſare-
tur vt animas ab æterna morte, ita
corpora a morbis & ab exitio li-
berauit, fecerunt idem poſt ipſum Apo-
ſtoli, Manſitque hoc diuinum beneficium
ita coniunctum cum cæleſtis doctrinæ
miniſterio, vt homines certo ſcirent
eundem preſentis vitæ datorem ac con-
ſeruatorem & æternæ fœlicitatis autho-
rem eſſe.

Quapropter & nos, qui in iſtis ſe-
neſcentis mundi ærumnis iactamur, quo
plus vtriuſq; doctrinæ preſidio indige-
mus, eo maiore etiam reuerentia ſtudio-
que vtrunq; genus colere atq; amplecti de-
bemus, Magis tamen illud cuius ope æ-
ternam vitam conſequimur, quam hoc
quod preſentis vitæ miſeriis ſuccurrit,
cui tamen & ſuus honos debetur.

Cum igitur ad diem Martis proxi-
mum gradum & inſignia Doctoris in
Medicina cõferre decreuimus, Doctiſ-
atq; honetiſs, viro Magiſtro Guaro VVi-
gando Guarino, petimus a Dominis Ma-
giſtris

gistris ac cæteris studiosis & alumnis huius Academię, vt sua presentia eam ceremoniam honorare velint. Hoc officium vt pium est plenumq; humanitatis, & homines pulcherrimarum artium studijs deditos precipue decet, ita & nobis ac collegio nostro gratissimum erit.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis. 74

ADEO varijs & duris calamitatibus hoc tempore premitur & exercetur Ecclesia, vt si toti in lachrymas solueremur, non satis possemus deplorare nostras miserias, in quibus & nunc versamur, & paulo post vnà cum posteritate futuri videmur, nisi Deus singulari clementia nobis & Ecclesiæ suæ opem tulerit,

Non enim communes tantum difficultates, quas bella nostri temporis attulerunt, nos affligunt., sed & alia pericula impendent, quæ minantur passim scholis & Ecclesijs pio

D. Caspar

pie constitutis, tristissimam vastationem & oppressionem cœlestis doctrinæ, quæ hactenus nobis monstrauit in nostris Ecclesijs de Deo & veris cultibus Dei; vera & salutarem sententiam, perspicue consentientem cum vera & catholica Ecclesia Dei, omniumq; Prophetarum & Apostolorum voce & scriptis.

Ad hęc mala, accedunt interitus tot doctorum & bonorum virorum, quos intra paucos annos publicus dolor, & violentia temporum, nobis immatura morte eripuerunt.

Neque vero nunc mediocrem, Ecclesia & schola nostra, iacturam fecit, postquam amisimus clarissimum virum, & omni genere laudis præstantem D. Doctorem Caiparum Crucigerum.

Erat in eo cœlestis doctrinæ cognitio vberrima, quam in eo primum aluit pietas ipsius & spiritus ille æternus, omnis sapientiæ vnicus fons & donator, accendit & auxit deinde ipse quoque multarum aliarum

aliarum rerum scientia egregie prouexit & aluit. Ita enim linguarum peritia instructus fuit, vt in hebraicis literis, facile vinceret reliquos sacrorum librorum interpretes, iudicij dexteritate & ingenij celeritate.

Et ipsi scimus, quanta eius in dicendo vis, quanta elegantia & iudicij rectitudo fuerit, cum in alijs linguis omnibus necessarijs Reip: & Ecclesiæ, aliquid explicandum vel voce vel scriptis susciperet. Nec obscure magnitudinem ingenij in eo, declarat summa & propemodũ perfecta Mathemeticarum disciplinarum cognitio, in qua ita excelluit, vt doctissimorum hominum iudicio, inter artifices huius generis iure haberetur.

Hæc summa dona ornauit multis egregijs virtutibus. grauitate, constantia, moderatione summa in omnibus rebus beneficentia in alios & eximia φιλοσοφια in suos. Estq; hoc illustre quasi naturalis & perpetuę bonitatis in ipso testimoniũ, quod cum fere semestri spacio, longo & difficili morbo oppressus deberet, nul

lâm

lam tamen vnquam vel voce vel gestu significationem edidit impatientiæ vel doloris, graui viro & pietate prædito parum conuenientis.

Hæc tanta bona quibus non studio tantum & naturæ bonitate, sed etiam diuinitus ornatus fuit, contulit non ad vllam priuatam cupiditatem, sed tantum ad Ecclesiæ & reip: vtilitatem.

Itaq; & de nostra schola & vniuersa Eccleſia egregie meritus fuit, non solum tranquillo tempore, docendo & edendo sua & aliorum scripta profutura pijs. Sed etiam aspero belli tempore, quo solus fere & diu, publica negocia singulari prudentia, diligentia, & magnitudine animi sustinuit, vt eius vel præcipua opera appareat in instauranda schola, quam armorum tumultibus collapsam & omnino dissipatam, Deus singulari clementia, & bonorum virorum diligentia, quasi tabulas fractæ nauis, iterum collectam & constitutam esse voluit.

Est

Est autem hoc longe acerbissimum, quod tali tempore hoc viro orbati sumus, quo propter certamina quæ secutura videntur de religione, in primis Ecclesia eius voce & authoritate erudienda & confirmanda erat.

Nos autem quod possumus nunc, talis viri memoriam grato animo colamus, & omnibus officijs quibus licet, etiam tristi tempore ortuum prosequamur.

Cumq; hodie vesperi post concionem corpus humo condendū sit, hortor Doctores, Magistros, & Scholasticos omnes Academiæ, vt summo studio ad funeris ceremonias conueniant, deoq; pijs votis Ecclesiam & posteritatem commendent. Nam ille quidem propter pietatem, ardentem fidem in filium Dei, quem vsque ad extremum spiritum constantissime retinuit, nunc Christi & omnium piorum in cœlo consuetudine fruitur cum summa & æterna lætitia.

Nos vero qui, vt ille ait nunc alias hinc

ad

ad lachrimas, forte vocamur, emendatione vitæ & ardore precum, de nostra & nostrorum salute, gloriaq; Dei retinenda cogitemus, in qua re vt Deus pater Domini nostri Iesu Christi, clementer nos adiuuet, & confirmet oro 18. Nouembris Anno 1549.

DECANVS COLLEGII Philosophici Vitus VVinshemius S. D. omnibus auditoribus,

75.

SIGNIFICATIONEM publicam de gradu Magisterij libenter hoc ipso die proposui, quod historia huius diei cum aliarum rerum maximarum doctrinam vniuerso generi humano proponit, tum vero monet etiam Ecclesiæ opus esse literis & hac scholastica eruditione, quã profitemur, Semper in conspectu sit huius diei memoria, quo se in Baptismo filij Dei, tanta luce diuinitas patefecit, vt illustri descrimine tres Personæ exaudiri & conspectæ sint.

Hæc patefactio cum accurate de-

scripta

scripta sit, non tantum propter Baptismam facta est, sed propter vniuersam Ecclesiam, vult extare Deus hoc testimonium, vt vera de Deo noticia luceat in Ecclesia, & verum Deum discernamus à cõmenticijs numinibus, & vt ad verũ deum qui sese ostendit, directæ sint mens & cõpellatio in omni inuocatione.

Illustris est patefactio conspecta in monte Sinai, Sed hic personarum distinctio illustris conspicitur: Itaq; gratias Deo agamus, qui immensa bonitate se ostendit, & has patefactiones in Inuocatione intueamur.

Quoties tuas precationes incipis, velut ingrediens in hortum illum, & stans in ripa Iordanis, te quoq; spectatorem & auditorem esse statuito & ad hunc deum dirigito cõpellationem, qui se ibi patefecit, & promissiones de filio tecum repetito, vt scias & quem Deum inuoces, & cur exaudiat, & discernas tuam inuocationem ab Ethnica. Hæc doctrina in hac pagella non potest integre exponi, Sed tamen sæpe de ea commonefaciendi sunt

homines, & hæc meditatio sit in hoc festo præcipua,

Nunc illud etiam considerent studiosi, cum personæ diuinitatis discernendæ sunt, eruditione certe opus est. Nam etsi comprehendi hæc arcana non possunt, tamen loquitur Deus nostris verbis, & personas discernit, Filius vocatur λογος καὶ ἐικων, persona tertia πνεῦμα Harum adpellationum discrimina aliquo modo declaranda sunt, quod sine eruditione, fieri non potest.

Præterea cum æternus pater de filio clamitat: Hunc audite, restatur proponi nobis doctrinam non deprehensam sagacitate mentis humanæ, aut vllius creaturæ, Sed decretum proferri ex arcano consilio diuinitatis, & patris æterni pectore. Id decretum postea literis mandari voluit, Et in his scriptis perpetuo filius dei Ecclesiæ concionatur.

Necesse est igitur literas & linguas, & multas artes disci, quæ lumen addunt scriptis. Ideo hæc nostra studia Eccle-

nec-

necessaria magis amemus & maiore cura tueamur, quæ quidem & placere Deo sciamus: quare & hospitia eis præbebit, & nos adiuuabit, vt labores nostri salutares sint nobis & alijs, quod vt faciat ardentibus votis eum oramus, & hac spe operas scholasticas facimus.

Ad has autem cum & examina pertineant, significandum publice duxi, nos post dies quatuordecim Examina inchoaturos esse. Quare illi qui ornari a nostro collegio eruditionis testimonio & gradu philosophico volut, nomina sua apud me ædant, sicut visitatum est intra hos dies quatuordecim.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis. 76.

TRES sunt causæ propter quas vita longior optãda & a Deo petenda est.

Prima vt discant homines doctrinam de Deo cuius cognitionem in hac mortali vita inchoari necesse est.

Secunda vt exercitijs inuocationis fides firmior & ardentior fiat.

Tertia vt præsint iunioribus seniores, & seruat Deus aliquam multitudinẽ diutius, gubernationis causa, ac orandus est Deus vt multos seruet quorum gubernatio salutaris sit, & Ecclesię & reipub.

Dolendum est etiam adolescentes bonis ingenijs preditos extingui, antequam ætas idonea est gubernationi, sed qui iam didicerunt doctrinam de Deo & discedunt sine vulneribus conscientiæ, beatiores sunt nobis, qui in hac confusio, ne vitæ magnas ærumnas sustinemus.

Decessit autem hodie adolescens natus in familia nobili equestris ordinis de Schulen burgk Guntherus, cuius fuit egregia ad virtutem indoles: Et doctrinam de Deo perceperat & mores fuerunt casti & honesti. Et in hoc agone se fiducia filij Dei domini nostri Iesu Christi Crucifixi pro nobis & resuscitati assidue Deo commendauit.

Quare

Quare non dubitamus eum esse in numero eorum de quibus dicit filius Dei Sinite paruulos ad me venire.

PRAECIPVE genus humanum conditum est, non ad præsentis vitæ commoditates fruendas. Sed ad veram doctrinam de deo & de alijs bonis rebus & discendam, & docendo ad posteritatẽ propagandam, Hi fines præcipui sunt & summi omnium operum humanorum ad quos omnes nostræ actiones in vniuersa vita referendæ sunt, ac singuli suo loco aliquid operæ & studij ad hæc munera obeunda conferre debent.

Manifestum est autem sine dialectica cæteras artes, ac potissimum doctrinam sonantem in Ecclesia dei, nec commode percipi nec dextre explicari ac alijs proponi posse. Ac videmus quam turpiter sæpe in grauibus causis hallucinentur ij qui hac arte non sunt instituti.

Itaq; sæpe audimus seueriſsimas præ

ceptorum orationes, quibus nos ad huius artis studium summa cura ac diligentia complectendum cohortantur. Deinde & Ipse Paulus præcipit ὀρθοτομεῖν λογόν θεοῦ item ἀντέχεσθαι τοῦ πιστοῦ λόγου, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Quod profecto sine dialectica fieri nullo modo potest.

Et res ipsa clamat, nõ posse dogmata propria Ecclesiæ explicari, nisi doceantur homines quid sit οὐσία, quid ὑπόστασις, quid λόγος, quid interslit inter iustitiam imputatam quæ est in relatione, & iustitiam inhærentem, quæ est in qualitate cet. Hæc sine dialectica nemo explicare potest.

Cum autem manifestus sit eius usus in omni genere doctrinarum, & Ecclesiæ Dei prorsus eius cognitio necessaria sit amare hanc artem & nobis familiarem facere debemus. Decreui igitur domi præcepta dialectices repetere, idq; publice significandum duxi vt si qui alij me audire volent, sciant meam operam eis non defuturam esse. Tradam igitur præcepta fideliter

fideliter. & pro viriliadiungam exempla perspicua. Incipiam autem cras hora Tertia.

Die Martis.

Anno 1549.

Dauid Chytræus.

RECTOR ACADEMIAE Vitebegrensis. 78

VT vniuersæ rerum naturæ plurima sunt impressa vestigia diuinitatis, vt sint commonefactiones de Deo: ita præcipue lumen de virtutibus insitum est humanis mentibus, & ordo politicus diuino consilio institutus est, & conseruatur, vt homines admoniti de discrimine virtutum & vitiorum, cogitent, qualis sit Deus, videlicet, Sapiens, verus, beneficus, iustus, castus, & discernant Deum ab iniustis, mendacibus, & incestis naturis

Deinde sciant voluntatem Dei esse, vt ad normam suæ mentis congruant nostri mores.

Et vt hęc notitia in genere humano luceat, Imperia à diuinitus constituta sunt, vt pœnis scelerum coherceantur homines, & declaretur voluntas Dei. Estq; Deus ipse disciplinæ custos, & atrocia delicta in toto genere humano atrocibus pœnis in hac vita plerunq; per Magistratus, sæpe etiam alijs modis per se punit.

Totam igitur disciplinam politicam sciamus certo commonefactionem esse de Deo, monentem qualis sit, & quale sit eius iudicium, nec laxemus frenos cæcis cupiditatibus. Sed timeamus non solum Magistratuum arma, sed multo magis Deum, qui certissimus vindex est, violationis politici ordinis.

Et in hac obedientia discamus doctrinam virtutum, vt simul cogitemus, qualis sit Deus. Vult te Deus castum esse vt discas, ipsum mentem castam esse, & discernendam

discernendam a naturis immundis. Vult te Deus iustum & æqualem esse, vt discas ipsum quoq; iustum & æqualem esse, nō Tyrannum, non προσωπολήπτην sed prorsus æqualiter recipientem omnes confugientes ad filium.

Talia multa in quotidiana disciplina cogitanda sunt, Vt sepissime præceptores monent. Idem & nunc monemus in lapsu & poena adolescentis N. N. N. qui monumentum metallicum donatum inclytæ Reginæ Danicę ex arce, abstulit. Furtum per se est magnum scelus est, sed huius facti atrocitatem multæ circumstantię exaggerant.

Debetur reuerentia arci principis, ut templo. Debetur & reuerentia maior principibus, imo & tempori Nuptiarum, cum Reginæ id xenium Illustrissimus Princeps dederit. Et multo turpius est, scholasticum hęc monumenta non considerare, quam homines doctrinę rudes.

Et si autem dolemus hunc N. cæcę N v cupiditati

SCITIS Geometriam diuidi in duas partes, quarum altera, etsi sæpe venit adpellatione totius, tamen proprie dici solet ἐπιπεδων θεωρία, cõprehensa prioribus sex libris Euclidis, Altera vocatur στερεομετρία, cuius Elementa traduntur in posterioribus libris.

Nunc igitur cum absolutis 5. prioribus, cras Deo iuuante inchoaturus sim sextum, hortamur omnes studiosos harum disciplinarum, qui priores libros mediocriter tenent, vt suæ ipsorum vtilitati consulant, nec amittant hanc discendi occasionem. Nemo enim ex solis 5. primis libris iustum fructum studiorum percipere potest, nisi & huius sexti cognitionem adiungat, in quo quidem alteram illam Geometriæ partem Euclides absoluit.

Sed aliqui generosiores cupiunt non solum in his Elementis hærere, verum auide

quide expetunt sibi eorum verum & germanum vsum monstrari in ipsa Astronomia. Quibus vt liceat gratificari, sicut æquum est, annitamur quouis labore, vt quamprimum copia nobis detur exemplarium primi libri μεγάλης συντάξεως Ptolomęi, ad cuius prestantissimi autoris cognitionem si adsuefacta fuerit studiosa iuuentus, non dubitemus Mathematicis quoq; disciplinis aliquando suam pristinam dignitatē & decus, rediturum esse.

Cæterum aliquid etiam ex vndecimo Euclidis degustare prius oportet, ideonon multo post, Deo iuuante, aliquid temporis ei quoq; libro tribuendū erit, vbi in sexto mediocriter progressi fuerimus. Videtis enim hanc partem mirabili systemate ita inter se connexam esse vt nulla eius particula, nisi suo loco & ordine, commode & recte percipiatur. 10 Febru: Anno 1549.

Erasmus Reinholdus
Saluendensis.
Decanus

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI VITVS Vuinſhemius S. D. omnibus auditoribus.

Gratias agimus Deo æterno patri domini noſtri Ieſu Chriſti conditori generis humani & Eccleſiæ, qui immenſa bonitate hactenus inter ingentia pericula et magnas ærumnas texit nos & hos ſcholaſticorum alueolos, & aliquam ſibi Eccleſiam inter nos in hoc oppido collegit, & tuetur doctrinæ ſtudia, cuius vox etiã perfertur ad alias regiones,

Hunc verum Deum, æternũ patrẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditorem generis humani & Eccleſię ſuę, ꝓpter filiũ quẽ voluit eſſe μεσίτην καὶ ἱκετὴν ardentibus votis oramus, ne diſſipari hanc Eccleſiã & ſcholã ſinat, ſed ſua miſericordia foueat hic cœtũ docentiũ & diſcentiũ vt ipſum vere celebremus, & faciat nos σκευὴ ἐλέους & ſalutares doctrinę cuſtodes. Ac ſcimus ſine auxilio Dei veritatẽ in genere humano retineri non poſſe

posse. Ad hæc vota etiã sedulitatẽ mediocrẽ addimus, vt doctrina vtilis Ecclesię & communi vitæ propagetur, de quo genere laborũ inquit Paulus, ἵνα ὁκόπ& ὑμων οὐκ ἔσ]ικεν& ἐν κυρίφ

Cum igitur hanc nostram militiam sciamus Deo placere, & speremus vtilẽ esse Ecclesiæ, libentius faciamus operas scholasticas, & nostros cœtus, ipsi quoq; studiose foueamus. Quare petimus vt Doctores & Magistri, & alij honesti & docti viri hodie ad publicũ examen conueniant.

Talium congressuum multiplex est vtilitas, inspiciuntur studia iuuentutis, conferuntur iudicia de multis rebus, multi commonefacti ab alijs discunt aliquid. Deniq; illa frequentia colloquentium de doctrina pulchra est, & præcipuum societatis humanæ lumẽ, & imago quædam est cœlestium agminum, in quibus cum Filio DEI familiares sermones miscent Patres & Prophetæ, & reliqua cœlitum multitudo.

Ac

...sti. Hoc nunc præcipue collatio de obscurâ ...na exquirenda est, cum passim corrumpe... spargantur. Vt igitur contra falsas opi... niones præmuniantur animi, & rectæ sen... tentiæ confirmentur, prodest, aliorum & audire iudicia, & considerare exempla, ut optima eligantur.

Euripides inquit, ... Tanta cum sit vtilitas collationis & consensus opinionum, adhibenda eam studiose debemus, quod vt libenter etiam faciamus, duo efficiunt, quibus ad... mouemur. Quæ enim fructus exigitur maior potest, quam fruitio sermonis viri amici, qui vel eruditione alitur, vel consolatione proficit, vel affectus quicunque lenitur? Bene valete. Die vij. Februarij.

DECANVS CONSISTORII Philosophici in Academia Viadrina, Vitus Vvinshemius.

Ac nos quidem filium Dei Domi...

Præcipu

PRAECIPVI fines omnium studiorum atq; actionum humanarum esse debent, prior, vt celebretur Deus cōditor vniuersæ naturæ, proximus vt prosint labores nostri ad Ecclesiam erudiendam, consociandam, & fouendam.

In vtroq; fine autem præcipuum opus est doctrinæ propagatibi, in qua speramus Deo probari nostram operam & assiduitatem. Sonat enim vox doctrinæ cœlestis incorrupta in hac Ecclesia & in schola, & adduntur linguæ & artes, quæ sūt Ecclesiæ vtiles. Deinde disciplinam quantum possumus, tueri studemus.

Hęc eo recitamus, & vt auditores moueamus, vt ad eosdem fines studia & labores referant, & vt quidam censores nostri placatiores nobis fiant, vere consideratæ nostra sedulitate, quibus tamen spiramus eos ad quos accusatio præcipue pertinet, præclare satisfacere posse, si seruetur vetus illud, μηδὲ λίκνῳ λίκνος πύραμφοιν, μῦθον ἀκούσῃς.

Ac nos quidem filium Dei Domi-

num nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, Ecclesiæ custodem, toto pectore oramus, ut mentes, uoluntates, & studia nostra gubernet, ut Ecclesiæ Dei prosint, ad ueritatis lucē retinendā & ad fouendos cœtus nostros pia & salutari concordia. Hæc summa bona omnes optemus, ad hæc referamus omnes labores & contentiones animorum.

Ac si lucebit in nobis uera Dei cognitio, dulcior erit & hæc ipsa Philosophia, cuius propagatio nostro ordini mandata est. Physica gratior erit, cum cognoscemus ex atomorum concursu mundum non ferè confluxisse, sed miro consilio & arte mente æterna opifice conditum esse.

Cum his ipse Sol de fonte lucis nos monebis, gratior eris humanæ mentis consideratio, cum nos ipsos aspicimus discernimus, naturas intelligentes à non intelligentibus, cum uestigia Dei in his contemplabimur, mentem genitri-

cum cogitabi-
mus ipsas noticias uirtutum rectum omnia
de Deo esse, & commonefactrices quales
sit Deus.

Iucundior erit Arithmetica, cum numeros
agnoscemus nobis monstratos esse, ut du-
ces sint ordinis, & discernant a rebus con-
fusis, unius conditoris efficientiam.

Geometria amabilior erit, cum audiemus
ueteris dictum, τὸ θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν, id est,
Deum cogitatione metas omnibus rebus cir-
cumdare, & ordinem ac proportionem
motuum coelestium & specierum tueri.
Denique longum esset de singulis artibus
dicere.

Rursus autem & illud considerandum
est, bona ingenia altius arripere philo-
sophiae & linguas, ut ad eam lectionem ueri
nonis aptiores fiant, dextre adhi-
bendis artibus. Quoties accidit his, qui
linguas ignorant, ut in interpretatione pe-
rdere agant, ac frequenter ejusmodi ini-

dere, fecuri vero seras aperire, seu vt Gra
ci prouerbium efferũt. Profecto ciuilem
interpretationẽ Pauli aut Esaiæ edita ab
illis ineruditis, qui audacissime fingunt
sententias alienas a fontibus, stare tanq; ad
fores Pauli videtur, armati securibus qui
bus aperire seras aut effringere velint. Ita
q; doctrinam literarum & artium a Deo
ostensam amemus, eaq; fruamur, ac Deo
pro tanto munere grati as agamus.

Hæc & in publicis congressibus nos
tris cogitanda sunt, in quibus & vota
iungamus, vt filius Dei studia nostra gu
bernet, & hos nidulos Ecclesiæ & doctri
næ clementer protegat.

Petimus igitur, vt omnes Doctores
Magistri & auditores die Februarij, qui
conueniant ad renunciationem gradus
Magisterij, cum testimonia doctrinæ tri
buemus his honestis & doctis viris tribus
& quadraginta, quorum hic adscripta
sunt nomina.

Multæ sunt graues causæ, propter

quas tales renunciationes publice fie
vtile est. Quare interesse vos quoq; de
ipsorum etiam qui ornantur gradu,
fructu & eruditioni hoc officium tribui
quia Dei beneficio, in hoc numero
multi præclare eruditi sunt, quorum in
structuram speramus reipub. profuturam
esse.

MAGNVS est in vniuersa vita hu-
mana vsus Arithmeticæ non solum
in mercatu, in venarum metallicarum ra
tionibus, in cudenda moneta, sed in omni
gubernatione œconomica & politica, vt
non iam sit tutum nolse numeros na-
turæ beneficio, sed vis addenda est sine
qua nullę difficiles & intricatæ rationes
solui & explicari possunt. sed nos qui in
studijs versamur, & non tantum qua-
lemcunq; doctrinæ umbram expetimus,
illam nobis vtilitatem præcipue propona
mus, quod ad pulcherrimam doctrinam
de rebus cœlestibus in qua perspicua diui
nitatis vestigia conspiciuntur, nullus ad
ita patet nisi per Arithmeticam & Geo-
metriam,

metriam. Sunt autem mirandi luminum cœlestium motus & rati & perpetui circuitus, ideo nobis a Deo propositi, ut in eorum consideratione versantes, illustria de Deo & sapientia ac potentia diuina testimonia aspiciamus & animaduertamus motibus, annorum discrimina cernamus quibus precipue Ecclesiæ Dei opus est ut tempora collectæ & instauratæ Ecclesiæ & æditarum promissionum obseruari possint.

Et locorum interualla cognita non lacteris solum, sed vniuersæ quoque magnum lumen adferunt.

Est autem tanta vis Arithmetices in hac prestantissima doctrina de rebus cœlestibus ut a mediocri Arithmetico statim percipi sine ulla difficultate possit.

Itaq; plato omnium philosophorum princeps, in Phedro Arithmeticam dixit alteram alam esse cuius ope in cœlum sublati lustrare oculis uniuersas rerum materias, cernere spatia, metasq; maximorũ corporũ, uidere syderum fatales cõgressus.

Deniq;

Denique Diuinæ mentis expressa uestigia animaduertere possumus.

Cum autem tanta dignitas & utilitas sit artis numerandi in Ecclesia Dei, in discenda doctrina motuum cœlestium, deniq; in tota communi consuetudine uitæ, nostræ mentes his commodis capi, & exornari conuenit ad hanc artem discendam & amandam. Igitur decreui quorundam causa & petitione qui hæc nondum attigerunt, communia Arithmeticæs præcepta recolligere & pro uirili ea exemplis illustrare. Quare ijs qui hac nostra tenui opera uti uolent non fum defuturus. Conueniant autem me proxima die Mercurij hora 12. in mea habitatione apud Rosierum, e regione domus, cui a mola uenus cognomen est.

Nicolaus M.

Vrebergensis.

DE parvulis in Ecclesia affirmat filius Dei hanc vocem: Non est voluntas patris cœlestis, vt pereat vnus de pusillis istis, Et addit; Angeli eorum vident faciem patris mei.

Hanc veram & firmam consolationem teneamus, cum ex hac mortali vita infantes inserti Ecclesiæ Dei cupta [illegible] Videlicet ab Angelis custodibus, eorum animas in cœlum ad æternum patrem duci.

Hoc de beneficium in funeribus infantum cogitandum est & Deo gratiæ gendæ sunt.

Hodie autem hora duodecima fi[illegible] nus fiet puellæ filiæ Martini Oeconomi, quæ heri inter pia vota & invocatione filii Dei decessit. Et quamdiu egrotavit, sæpe & iussit sibi præcini cantilenas pias & vna cecinit.

Nec dubitamus vere eam esse in numero

mercilibrum de quibus dicitur: Beati mortui, qui in domino moriuntur.

Horcamur igitur scholasticos vt ad veteris ceremonias conueniant & ibi precatione & predatione lere & Ecclesiæ in Deo commendent.

RECTOR ACADEMIAE
Vuitebergensis.

TEMPORA in Ecclesia ita distribuantur, vt congruant ad facta insigna, quorum memoriam Deus conseruari voluit. Hoc autem die celebratur summi operis memoria, in quo miranda copulatio diuinæ & humanæ naturæ, in vero Regis facta est. Hinc impleta est prima promissio, Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Facere igitur prostratos coram Deo summa reuerentia omnes homines, & magnitudinem operis & beneficij, & causas cogitare & gratias agere, ac fidem accendere, ac petere auxilium ab illo ipso

O v Propitiatore

Propitiatore opertebat. Vere & horri-
biliter irasci Deum peccato, cum alia mul-
tæ pœnæ communes ostendunt, tum ge-
ro mors filij Dei maxime testatur.

Necesse est enim ingentem iram esse, qu
hoc modo & non aliter placanda fu
Rursus magna consolatio in hoc ipso co
filio proponitur. Cum tanta sit ira,
nullius hominis iustitia opponi potuer
accedámus ad Deum fiducia filij media
toris, nec deterreamur conspectu nostra
rum sordium.

Cogitemus filium Dei, adsumpsisse hu
manam naturam, quia cum humana na
tura peccasset, λυτρον fieri aliquem in ge
nere humano iustum erat. Sed ut esse
æquiualens λυτρον, & ut sustinere iram
posset, & mors uinceretur ac deleretur,
filius Dei qui est omnipotens, constituun
est Redemptor.

Hæc

Hæc cum iam cogitanda essent, & gratiæ Deo agendæ, audimus nocturnas vociferationes, quæ si esset iusta seueritas disciplinæ, hoc tempore grauissime punirentur. Duriores sunt omnibus scopulis qui nec sensu calamitatum Ecclesiæ afficiuntur, nec tali tempore commonefacti ab ipsis ferijs componunt se modeste ad piam meditationem, gratiarum actionem, & inuocationem.

Accedit ad uestra peccata hoc quoq; & aliorum gemitus & inuocationem turbatis, ideo seuere præcipimus & ut modesti sitis, & ut beneficia Dei ingentia significatione aliqua gratitudinis cogitetis. Vult Deus agnosci & celebrari suam bonitatem, & uult, ut Paulus inquit, διὰ πολλῶν προσώπων εὐχαριστίαν πρὸς

Adiungite igitur ad omnium piorum uota uestras preces pro uobis & pro Ecclesia Dei. Hæc qui non faciunt, sed ut in Bacchanalibus furentes discurrunt, | diabolorum | similes

sunt

sunt qui odio filij Dei etiam versentur, ut impediant cogitationem de
fidelibus Dei, & inuocationem.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum natum ex virgine Maria, sedentem ad dextram æterni Patris, vt Ecclesiam sibi inter nos perpetuo colligat, & nos seruet & regat.

Datæ Anno 1534. die 25. Martij, quo ante annos 1534. oblibus Dei in vtero virginis mirando consilio factum est Siloh, id est, fœtus virginis. Et quo die ante annos 1536. quidam est. Quo die item scribitur condimus esse Adam ante annos 5511.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis

85.

RECITANTIBVS omnium pientium literis & sermonibus multa preconia amplissimæ disciplinæ. Sed horum summa hæc sunt, quod sapientiæ & iustitiæ Dei, quam nobis traditam nobis tradidit, præceptoribus quidem

quidem hos radios sua sapientiæ in nos transfudit, vt testetur hunc mundum non extitisse casu, sed vere esse mentem Architectatricem mundi & generis humani, & doceant, qualis sit illa mens, & quod iudicet hominum facta.

Deinde Paulus addit hanc laudem, Legem esse pædagogiam in Christum, quod de disciplina in Ecclesia Dei dicit, vbi cum disciplinæ gubernatione simul doctrina de filio Dei proponitur, & mores frenantur, vt sit efficax filius Dei.

Harum laudum amplitudinem nullius hominis eloquentia satis exponere potest, sed bonæ mentes cogitant, quæ sit voluntas Dei, quantum decus sit congruere nostros mores cum voluntate Dei, quantum bonum sit moderari mores ita, vt discamus doctrinam de filio Dei, & ipse sit in nobis efficax, Ad hos fines labor omnis Ecclesiæ in disciplina tuenda refertur, ac præcipue scholarum, quæ verissimè sunt pædagogia in Christum.

Quare bonæ mentes & scholas & salutaris disciplinæ frenos, qui in scholis proponuntur

sunt qui odio filij Dei etiam varie tumultuantur, vt impediant cogitationem de beneficijs Dei, & inuocationem.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum natum ex virgine Maria, sedentem ad dextram æterni Patris, vt Ecclesiam sibi inter nos perpetuo colligat, & nos seruet & regat. Datæ Anno 1549. die 25. Martij, quo ante annos 1545. ex filius Dei in vtero virginis mirando consilio factus est Siloh, id est, fœtus virginis. Et quo die ante annos 1516. oriundus est. Quo die item scribitur condidus esse Adam ante annos 5511.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis

85.

RECITANTVR in omnium sapientum literis & sermonibus multa præconia amplissima disciplinæ. Sed omnium summa hæc sunt, quod sapientiæ & iusticiæ Dei, qui hanc vitæ normam nobis tradidit, præceptorum est quidem

quidem hos radios suæ sapientiæ in nos transfudit, vt testetur hunc mundum non extitisse casu, sed vere esse mentem Architectatricem mundi & generis humani, & doceant, qualis sit illa mens, & quod iudicet hominum facta.

Deinde Paulus addit hanc laudem, Legem esse pædagogiam in Christum, quod de disciplina in Ecclesia Dei dicit, vbi cum disciplinæ gubernatione simul doctrina de filio Dei proponitur, & mores frenantur, vt sit efficax filius Dei.

Harum laudum amplitudinem nullius hominis eloquentia satis exponere potest, sed bonæ mentes cogitant, quæ sit voluntas Dei, quantum decus sit congruere nostros mores cum voluntate Dei, quantum bonum sit, mores ita moderari vt discamus doctrinam de filio Dei, & ipse sit in nobis efficax, Ad hos fines labor omnis Ecclesiæ in disciplina tuenda refertur, ac præcipue scholarum, quæ verissimę sunt pædagogiæ in Christum.

Quare bonæ mentes & scholas & salutaris disciplinæ frenos, qui in scholis proponuntur

proponuntur amare debent? Vtilissimum est iuuenibus adsuefieri ad hanc sapientiam & virtutem, vt intelligant, quam grata Deo sit hæc obedientia, & cõsideratio sapientiæ & iustitiæ ipsius, & ament hunc pulcherrimum ordinem cum uoluntate Dei congruentem, & necessarium ad accipienda & retinenda beneficia filij Dei.

Plato inquit, Optimum esse ciuem, qui omnibus uictoriis & triumphis antefert hanc laudem, quod legibus patriæ fideliter obtemperet. Nos uero in Ecclesia Dei scimus hanc diligentiam non solum in hac societate ciuili magnum decus esse, sed etiam ideo necessariam esse, quia est pædagogia ad agnitionem, & beneficia filij Dei, quia non est efficax filius Dei in his, qui non desinunt frenos laxare prauis cupiditatibus.

Vt igitur Leges Academiæ uobis notæ sint, quæ disciplinæ causa cõditæ sunt, præcipimus omnibus scholasticis, ut hodie hora duodecima in auditorio Collegij maiori

mani conueniant, ubi Legum recitationem audiant, & commonefacti doctrina cœlesti, animos ad obedientiam ſi ecſtant, quia ſcriptum eſt, Neceſſe eſt obedire nō ſolum propter iram, ſed etiã propter conſcientiam. Et Magiſtratus, Deo iuuante, contumaces punient, quia ueriſsimum eſt dictum Aeſchinis, quod Demoſthenes citat, οὐδέν ὅσιν ὀφελῶ πόλεως ἥτις μὴ νεύσῃ ἐπι τὸς ἀδικοῦντας ἔχθ.

Tunc autem gubernatio fœlix eſt, cũ a filio Dei iuuatur ſedente ad dextram æterni Patris, ut dona det hominibus. Ideo oramus eum toto pectore, ut hos coetus doctrinam Euangelij diſcentes, ſeruet & regat ipſe, & ſua dona inter nos deleri non ſinat. Gemitus noſtros etiam exaudiat, & nos iuuet, qui ne ſtudia doctrinæ hic extinguantur, malumus hunc cœtum pie foueri, quam temere diſsipari. Sicut ſcriptum eſt, μὴ ἐγκαταλιποντες τὴν

Die ſeptimo Aprilis.

De

86

DE ECLIPSI: QVAE ERIT die xij Aprilis, Anno 1549.

NON fertur dubio natura ſine ordine caſu
Voluitur ambiguis ut Dea cæca rotis
Sed Deus hanc ſapiens certis moderatur habenis,
Turpia qui punit uindice facta manu.
Præmonet & ſcelerum pœnas inſtare timendas,
Oſtendens iræ nuncia multa ſuæ.
Talia non ullo ſunt irrita tempore ſigna.
Hæc licet irridens impia Turba neget.
Dum tegit obſcura pbœbum caligine Luna,
Duraq; dum tetro, ſaxa cruore madent.
Dulichij iuuenes minitantia ſidera rident.
Penelopes caſtum qui petiere thorum.
Vltio ſed riſum Sardoum iuſta ſequuta eſt.
Qualis contempti Numinis eſſe ſolet,
Sic tandem meritas perſoluent tempore pœnas,
Qui ſpernent Triuiæ ſigna futura nigræ.
Cynthia eras etenim piceis obducta tenebris,
Amittet radij lumina clara ſui.
Mane ubi iam noni continget limina tecti,
Quo pandit chelas Scorpius ipſe ſuas.
Et cum nona, domus ſit Relligionis & ingens
Hauriet à Luna deficiente malum.

Heinoua doctrinæ metuo certamina Christi,
Quæ seret ingeniis impia turba suis.
Inficiens animos cauda uibrante feroces,
Dissidijs addet Scorpius arma nouis.
Sed licet astra regant homines, & bella minentur,
Ipse tamen summa Christus in arce sedet.
Hic non est rigido parcarum carcere clausus,
Sed lenire potest fata seuera pijs.
Ergo grauem castis flectamus moribus iram,
Orantes summum supplice uoce Patrem.
Mitiget ut miseris hæc tanta pericula nobis,
Et seruet cœtus languida membra sui.

FINIS.

Nicolaus Silberhorn.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis. 87

ANNVS hic est a primo Pascate, quod Israelitæ exituri ex Aegypto celebrarunt 3058. Tot annos continua serie & seruauit filius Dei Ecclesiam suam & agnoscere ac celebrare eam sua beneficia uoluit, Seruabit etiam deinceps

hanc ipſam ob cauſam, ne in genere humano extinguantur uera ipſius noticia & inuocatio Dei.

Sed proh dolor ut Sol medio die lucem amiſit & contra naturæ ordinem ſubitæ tenebræ fuerunt, cum in cruce filius Dei penderet, ita in hac mundi ſenecta triſtes tenebræ erunt in magna parte generis humani. Erunt tamen exiguæ reliquiæ, quæ uocem Euangelij ſonabunt.

Temporum autem collatio oſtendit, non procul abeſſe fauſtiſsimum illum diem, in quo filius Dei ſe oſtendet uniuerſo generi humano, & triumphum aget reuocatis in uitam mortuis. Nam cum ab exitu ex Aegypto ad Chriſti paſca fuerint anni 1542. & ad hos congruat ſequentis Eccleſiæ tempus, non procul abeſſe finem conſentaneum eſt.

Cum igitur Deus immenſa miſericordia Eccleſiam inter nos in extrema & triſti caligine mundi colligat, & nos uocauerit ad celebrationem ſuorum beneficiorum, agamus

agamus ei gratias toto pectore, & cogitatione mirabilium consiliorum Dei reuerẽter nos ad pietatem excitemus. Vere & horribiliter irasci Deum peccatis, etsi exempla calamitatum in toto genere humano ostendunt, tamen nullum est illustrius testimonium ingentis iræ, quam quod in illo arcano consilio diuinitatis decretum est, hoc modo & non aliter placãdam esse iram Dei, sacrificio filij.

Ac miranda est in hoc consilio iusticiæ & misericordiæ copulatio. Ordo iusticiæ omnino pœnam requirebat. Nec peccatum futilitate aut leuitate remittitur, Et cum genus humanum deliquisset, pœnam soluere aliquis in genere humano debebat. Nec tamen aliud erat æquiualens precium nisi filius Dei, decretum igitur admirandum factum est, ut filius Dei adsumeret humanam naturam, ut precium æquiualens esset, & tamẽ aliquis in genere humano pœnam solueret, & ut hæc uictima sustinere magnitudinem iræ posset, & uictrix esset mortis.

Expaueſcant igitur animi noſtri cogitatione iræ Dei, nec cœci & ſecuri iuſtiſsimum iudicem contemnamus. Iacuit filius Dei proſtratus coram æterno Patre ſentiens iram aduerſus tua & mea peccata, quaſi ipſe ſe tanta ſcelerum turpitudine polluiſſet. Id beneficium adſpernantur, qui nolunt agnoſcere ſeſe reos eſſe, & ſuam turpitudinem in filium Dei translatam eſſe.

Scopuli in morte filij Dei dehiſcunt, Sol amiſsione lucis mœſticiam ſignificat, Terra quaſſatur tremore, Homines minus duros eſſe oportuit, præſertim cum pro noſtris ſceleribus pœnæ ſoluantur. Et tamen adeo dura ſunt multorum pectora, ut nihil hac tanta re adficiantur.

Rurſus autem in ipſis doloribus intueamur uictoriam filij Dei & reditũ ex morte, Viuit & ſedet ad dextram æterni Patris, ut colligat ſibi æternam Eccleſiam, ut pro nobis deprecator ſit adſiduus, liberet nos a peccatis & a morte æterna, & recipimur nõ propter ullam dignitatem noſtram

noſtram, aut propter benefacta noſtra, ſed propter filium Dei, qui pro nobis uictima factus eſt, & deprecator eſt pro nobis.

Accendatur autem in pectore tuo fides ſtatuens uere te propter eum recipi. Non indulgeas dubitationi, non ſinas obrui fidem fluctibus prophanarum cogitationū. Sed uere ſtatuito, non fruſtra filium Dei miſſum eſſe, cuius uoci addita ſunt illuſtria teſtimonia, reſuſcitatio mortuorū & alia, Reuerēter gratias ipſi agito, quod miranda beneuolentia erga genus humanum pro nobis interceſsit, & pœnam in ſeſe deriuauit, Luceat fides in gratiarum actione & inuocatiōe, ſicut inquit Epiſtola ad Ebreos, προσερχώμεθα ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, Accedamus ad hunc Mediatorem & certo ſtatuamus nos propter eum recipi & exaudiri, Ita in inuocatione ardeat fides, & agnoſcere diſcas filium Dei reſuſcitatum, & ideo regnantem, ut Eccleſiam ſibi colligat, & ei opem ferat.

Hæc exercitia gratiarum actionis & inuo

cationis uera sunt officia huius diei festi. De hac fide præcipit Paulus prohibens dubitationem, cum inquit, Ne dicas in corde tuo, Quis ascendet in cœlũ, Hoc est enim Christum inde deducere, Imo certissime statuamus uere ad dextram Dei sedere eum, & seuerissime postulare, ut effundi in nos cœlestia bona petamus, & firma spe acquiescamus in ipso, & auxilium in ærumnis nostris expectemus.

Hæc officia discernunt ueram Ecclesiam, & prophanos, Ideoq; de resuscitato & regnante Mediatore sic concionantur Prophetæ, ut Esaias inquit, Illo die stabit radix Iesse, ut sit uexillum populis, & gentes ad eum cõfugient & requies eius erit gloria, seu glorioſa, Adfirmat hunc dominum præsidio nobis fore, & uelle a se auxilium firma fide & spe peti, Ideo sententiam græca interpretatio, quam citat Paulus, satis expressit, ἐπ αὐτῷ ἐλπιεῖσιν.

Et sequentia uerba mortem & resurrectionem complectuntur, Et requies eius

us erit gloria, Non extinguetur filius Dei ut Alexander moriens, sed & quiescet aliquantisper mirando consilio Dei, & resuscitabitur, Et glorioſe regnabit, Erit efficax in inuocantibus, Erit gloria, non ipsi tantum, sed nobis inuocantibus, sicut & græca interpretatio inquit, καὶ ἔσται ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ τιμή.

Te igitur fili Dei Ieſu Chriſte nate ex uirgine, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, ſedens ad dextram æterni Patris, ardentibus uotis oramus, ut tua efficacia & gloria ſemper inter nos Eccleſiam tibi colligas, & nos ipſos ſancto Spiritu tuo regas. Adhortamur autem auditores ut modeſti ſint, ut ad pias meditationes & inuocationem idonei eſſe poſſint, oſtendant etiam ſe miniſterium Euangelij uenerari, & munera ad aram cras offerant. In Paſchate Anno,

1549.

SCitis artẽ medicam ex Physica extrui & fõtes in Physicis admodũ tenues sũt si non monstretur usus in aliqua parte Medicæ doctrinæ. Vtilissimum est igitur & ad intelligendas Physicorum disputationes, & ad naturæ agnitionem & ad tuendam ualetudinem, & ad depellendos morbos, nosse elementa doctrinæ Medicæ.

Quare decreui enarrare libellum utilem omnibus studiosis, scriptum in hac Academia a uiro ingeniosissimo & sagacissimo Medico D. A. S. continentem primas materias quæ in doctrina medica traduntur, & quia nõ sunt exemplaria typis excusa, dictabo. Nec pigebit operæ in scribendo & audiendo eos, qui dulcedinem & utilitatem huius institutionis degustabunt.

Consideratio mirandi opificij diuini in natura hominis per sese expetenda & iucunda est, & ordo admonet nos de Deo opifice. Hic uero utilitas etiã inuitet studium, quia ualetudinis auxilia hinc petun

tur

tur. Et ueriſsimum eſt multos periculoſos & atroces morbos uel initio depelli Philoſophica diligentia, quæ ex illis libellis diſcitur.

Vult autem Deus nos tueri ualetudinem, & honorem haberi corpori, quod eſt organum ſpiritus ſancti. Lux intuens Deũ, certa flamma eſt in cerebro lucens, & hęc flamma eſt lucidior, cum non impeditur crapula.

Timor Dei, reuerentia & dilectio Dei, & fiducia ac lætitia acquieſcens in Deo, & ſunt in corde & ibi ſenſu manifeſto percipiuntur, Sed non ſit impeditum cor æſtu libidinũ. Sic de cæteris mẽbris multa dici poſſent. Sed certum ſit, corpus maiore cura regendum eſſe, ut ſit Dei domicilium, & templum minus impeditum. Ad hanc diligentiam, & ad harum maximarum rerum cognitionem etiam Phyſica doctrina prodeſt. Inchoabo autem hanc enarrationem proximo die Iouis.

S. Th.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis

ADsidue auditores nostros adhortamur ut modesti sint ut magis idonei esse possint ad cogitandas causas publicarum & priuatarum miseriarum, & ad inuocationem Dei & ad gratiarum actionem, quod Deus non accendit totam irã suam, sed seruat adhuc aliquas Ecclesiæ suæ reliquias & honestos cœtus & doctrinæ studia.

Pro his tantis bonis tibi fili Dei Iesu Christe, custos Ecclesiæ tuæ, reuerenter gratias agimus, teq; oramus, ne maiores dissipationes in his regionibus fieri sinas. Et cum scias nos uero dolore adfici quod quorundam tanta est feritas, ut nulla disciplinæ uincula patiantur, te oramus, ut tu sis disciplinæ custos, & furias grassantes in contumacibus naturis reprimas.

Cum autem & nos nostro loco & nostra sedulitate quantum possumus tueri neruos disciplinæ debeamus, testimõia publica iudicij nostri aduersus contumaces proponimus, quorum lectio utinam alios ad modestiam flectat. Heri

Heri autem quidam homo ferus N. Cũ nocte hora ſecunda & helluationi & periculoſæ pugnæ ſe interfuiſſe fateretur, ac nollet ingredi in carcerem, ſicut modeſtis omnibus uſitatum eſt in pœnis, detrectauit autoritatem noſtram, & uinculum iurisdictionis & pacis aſpernatur, quam ob cauſam relegatione perpetua eum ex Academia eijcimus & ut omnes feritatem & contumaciam eius deteſtentur, publicæ hanc ſententiam proponimus.

Non leges, non iudicia, non uincula pacis curare, alienum eſt a natura hominum, & Deus, qui & conditor eſt humani generis & autor politici ordinis, tales furores punit ut ſcriptum eſt, Neceſſe eſt obedire nõ ſolũ ꝓpter iram ſed etiam propter conſcientiam. Die 15 Maij Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE.

90

SCitis hodie in Eccleſia celebrari memoriã triũphi filij Dei, q̃ in cœlũ aſcendit magno cętu ſpectãte nõ ut ibi ocioſo frueretur ſua bõitate, ſed ut uere ſibi in genere humão colligat ęternã eccleſiã et ſit cuſtos ſui cœtus,

cœtus,exaudiat nos,ferat opem nobis in-
uocãtibus ipſum,ideo Pſalmus deſcribẽs
hoc regnum inquit,aſcendit captiuã du-
it captiuitatem,dat dona hominibus,opi-
tulatur inuocantibus ſingulis,Dat & pub
lica dona,concordes Eccleſias,uocem doc
trinæ,hoſpitia Eccleſiarum,diſciplinam,
pacem.

Hæc bona inter homines filius Dei ue-
riſsime tuetur,quæ multipliciter turbare
Diaboli conantur. Cauendæ ſunt igitur
inſidiæ Diaboli,ne diſsipationum, tumul
tuum,& cędium cauſæ ſimus & orandus
eſt filius Dei ut ipſe pios cœtus inter nos
foueat,ſint & mores noſtri modeſti ne di-
abolica petulantia excitentur tumultus.

Proiectas eſſe tegulas audimus in agge-
rem ex collegio & milites ſe peti putant.
Mandamus igitur ſeueriſsime,ne quis ul-
la contumelia milites adficiat, qua in re
& ſuæ quiſq; ſalutis rationem habeat &
publicæ tranquillitatis, quia moto tumul
tu,late graſſari arma poſſent.

Tantorum

Tantorum malorum occasiones certe uitandæ sunt, & nos filium Dei dominum nostrum Iesum Christum sedentem ad dexteram æterni patris oramus ut auertat talia mala. Magistratus etiam pœnarum seueritate iudicium suum in re tanta ostendet. Die 30 Maij.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis.

91

ITA condidit Deus omnes intelligentes naturas, Angelos & homines, ut effuso in eas Spiritu suo sancto, uoluerit eas diuinitati uere copulatas esse, & frui bonitate Dei, hac lucis, sapientiæ & iusticiæ cõmunicatione. Hæc pulchritudo quanta fuerit, nunc in hac caligine non satis cernimus. Sed tamen hæc cogitanda sunt. Testimonium insigne bonitatis Dei, & amoris erga nos fuit, quod hoc summum bonum, scilicet Spiritum, qui incendium est mutui amoris in patre & filio, & flamma lucis, sapientiæ & iusticiæ patris & filij, in nos transfudit. Econtra uero tetra & horribilis ingratitudo fuit, illam ad miran-

mirandam copulationem cum Deo, quã æterna gratitudine & ſumma reuerentia tueri debueramus, rumpere, & flagicioſe excutere Spiritum ſanctum.

Hæc cogitanda ſunt, ut quanta mala ſint illa prima delicta, aliquo modo conſidere mus. Vult enim Deus Eccleſiam aliqua ex parte agnoſcere, et morbos humani generis, & remedia. Diſsimile autem fuit delictum ſuperborum ſpirituum, lapſui hominum. Diaboli cum filium Dei ſuperbe contemſiſſent, blaſphemi eſſe ceperunt. At miſeri homines impulſi a diabolo, infirmitate lapſi ſunt. Itaq; filius Dei, quem diaboli adfecerant contumelia, miſertus humanæ naturæ, pro ea deprecator καὶ ἱλασμὸς factus eſt.

Quare Deus recepta hominum natura propter filium mediatorem, edita uoce promiſsionis reddere nobis ſuæ naturæ ſocietatem cepit, & copulationem primã, ad quã conditi eramus, inſtaurauit. Rurſus enim in eos qui expaueſcunt agnitione iræ Dei & uoci promiſsionis adſentiuntur,

untur, transfunditur Spiritus sanctus, qui flamma est ex pectore æterni patris, & ex pectore Domini nostri Jesu Christi missa, ut lucem, iusticiam & uitam in nobis accendat. S S

Ac tanta Dei bonitas est, non solum ut largiri hoc tantum bonum, & hanc suæ naturæ societatem uelit, sed etiam, ut sepe adfirmet hoc se officium præcipue a nobis postulare, Primum, ut ipsum & filiũ, & hunc spiritum, qui mutui amoris in patre æterno & filio incendium est, agnoscamus, & hoc donum ardentibus uotis petamus, & grati celebremus ac retineamus.

Sed quid dicam, si tantum singuli lachrymarum fundere possemus, quantum undarum uehit hic Albis noster, tamen non satis deplorare hominũ duriciem & ingratitudinem possemus. Pauci hanc uoluntatem Dei considerant, pauci hoc donum petunt, multi manifesta & cyclopica impietate arcent, multi cum fuerint

Moyſes ſcribit, foueri rerum naturam incubante aquis ſpiritu Domini, ita ſeruari Eccleſiæ & earum hoſpitia nõ poſſunt, niſi ſuauiter foueantur ſalutari Dei ſpiritu. Hoc igitur & regi nos & gubernatores, & ſanari Eccleſiæ uulnera, & reſtitui ſalutarem pacem, ueris gemitibus petamus.

Cum autem iuſtum & debitum officium ſit, ſignificationem aliquam gratitudinis oſtendere erga Euangelij miniſtros, præcipimus ſingulis Magiſtris & ſcholaſticis, ut munera ſua cras ad Aram adferant. Datæ pridie Pentecoſtes, quæ iam ab eo die in quo ſe Deus illuſtribus teſtimonijs patefecit, ſonans Legem ſuam de rupe Sinaide, Pentecoſte eſt 3057. Id cogitantes gratias Deo agamus, quod ſe toties patefecit, quod Legem & Euangelium edidit, quod ſeruat Eccleſiam, Et ut inter nos ſibi æternam Eccleſiam diu colligat, oremus. 1548.

Rec-

pentecost.

92

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis.

ANNVS hic est 3058. a prima Pentecoste, in qua Lex Dei mirando consilio, illustribus testimonijs inter tonitrua fulgura, & fulmina in monte Sina uoce diuina promulgata est. Tot annos cum seruauerit Deus Ecclesiam suam, gratias ei agamus, & quod suos cœtus non sinit deleri, & quod nos ad societatem æternæ Ecclesiæ uocauit, ac speremus nunc quoq; has mœstas reliquias seruaturum esse, & ne maiores dissipationes fieri sinat, ardentibus eum uotis oremus. Ac nunc recordatio operum diuinorum excitet nos ad pietatem. Cogitemus, cur in prima Pentecoste Lex promulgata sit, & cur deinde in Pentecoste noui Testamenti missus sit Spiritus sanctus.

Voluit Deus notam esse Legem, & edidit illa testimonia illustria de Lege, ut corda nostra uere metuãt irã aduersus peccatũ.

Non ſolum tũc in rupe Sinaide inter horrendos fragores Legem pronunciatam eſſe exiſtimes: ſed tibi ſonabit aliquando inter pauores tui pectoris, in calamitatibus priuatis & publicis. Vere enim omnibus hominibus oſtendit Deus aliqua iræ ſuæ ſigna aduerſus peccatum. Sed tunc uox audita eſt, ut noſtras miſerias, pœnas eſſe ſciamus, quas Deus propter ſuam iuſticiam in Lege propoſitam, exigit.

Deinde uero & Pentecoſten noui Teſtamenti conſiderans, ampliſsimas & dulciſsimas conſolationes tibi proponito. Hic cernebant oculi, mitti Spiritum ſanctum, & ut agnoſcamus quis ſit, & ut ſciamus certo nobis quoq; tantum munus & promiſſum eſſe & dari, ut mentes noſtræ ueris & ſalutaribus conſilijs regantur, & in nobis accendantur noticia & inuocatio Dei, ſicut beneficia Spiritus ſancti deſcripta ſunt in dulciſsima promiſsione apud Zachariam, cuius hęc ſunt uerba. Effundam ſuper domum Dauid ſpiritum gratiæ & precum. Mittitur hic

hic gubernator, ut & in uoce Euangelij adfirmet nos recipi in gratiam, & cum in ueris pauoribus erigit & sanat pectora, hac luce confirmati agnoscamus nos esse in gratia, & accendamur ad inuocationem.

Dolendum est autem hoc tantum munus negligi, Nam plurimorum animi uel suæ sapientiæ admiratione fascinati, uel capti uoluptatibus nec curant, nec expetunt hunc gubernatorem, ac ne quidem inuocationem exercent. Hi furores impij ex animis ejiciendi sunt, & agnoscenda est immensa bonitas Dei, qui tam multis illustribus & manifestis testimonijs ostendit uere nos sibi curæ esse. Resuscitatio mortuorum & alia multa miracula testantur ueram esse doctrinam Euangelij.

Agnoscamus igitur uere missum esse filium Dei, ut fieret pro nobis uictima, & placata ira æterni Patris recipiamur. Agnoscamus uere donari Spiritum sanctum petentibus, ut uox Euangelij dicit, Quanto magis Pater cœlestis dabit Spiritum

ſanctum petentibus. Offert hoc donum omnium maximum, quia ſpiritus eſt flamma pectoris æterni Patris, & filij. Cum ſuo pectore nos copulat Deus, ſuam lucem, ſapientiam, & iuſticiam in nobis accendit, cum effundit in nos Spiritum ſanctum. Et iubet peti, tribuas igitur Deo hunc honorem, ut petas, non aſperneris, non negligas hunc gubernatorem. Agas gratias quòd Eccleſiam ſuam & uoce Euangelij colligit, & Spiritu ſancto ſibi copulat. Petas & tuum pectus hac flamma æterni Patris, & filij accendi, ut tua ſtudia, conſilia, & totum uitæ curriculum ſit fauſtum & fœlix tibi & reipub.

Non exiſtimemus promiſſiones diuinas, inania murmura eſſe, Non ut Cyclopes, contemnamus uocem Dei, ſed firmiſſime ſtatuamus Deum uere nobis hoc bonum toties promiſſum largiri, & quidem in Pentecoſte ideo palam exhibitum eſſe, ut certo ſtatuamus omnes inuocantes Deum omnibus temporibus idem

idem munus accepturos esse. Semper inquit Taulerus, maior est in Deo ad dandum cupiditas, quam in nobis ad accipiendum. O deplorandam duriciem humani cordis. Non cogitari maius donũ ullum potest, quam hæc ipsa diuinæ naturæ societas. Et tamen adeo ferrei sunt plurimorum animi, ut nec expetant eam, nec pro ea gratias agant Deo, nec datam retinere studeant.

Hunc stuporem in nobis agnoscamus, & ex animis eiiciamus, ac primorum parentum exemplum intueamur. Horrenda ingratitudo fuit, cum in primo lapsu Spiritum sanctum, & diuinæ naturæ societatem ex suis cordibus eiecerunt. Hic amissum bonum reddidit tamen Deus immensa bonitate, deprecante pro eis filio, Hanc immensam bonitatem & in nobis restituendis declarat, modo ut restitui petamus. Sic restituit horribiliter lapsos Aharonem, Dauidem, & alios multos.

Horum exempla commonefaciant nos, & quantum malum sit, hunc gubernatorem excutere ex nostris mentibus, quæ ideo conditæ sunt, ut domicilium sint Spiritus sancti, & quę pœnæ contemptũ diuini muneris sequantur, & quanta sit bonitas Dei retrahentis nos miseros trepidantes, ad suam societatem. Harum maximarum rerum cogitatione nos ad inuocationem excusitemus.

Te igitur omnipotens Deus, æterne & unice pater domini nostri Iesu Christi, conditor & conseruator cœli & terræ & hominum & Ecclesiæ tuæ, una cum filio tuo coæterno domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, uerax, iuste, misericors, caste, liberrime, oramus, ut propter filium tuum dominũ nostrum Iesum Christum, τὸν ἀρνὸν τὸν ἀμώμον σου καὶ ἅγιον, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱλασμὸν, nostri miserearis & nobis peccata nostra remittas, ac nos Spiritu sancto tuo gubernes, colligas tibi Ecclesiam æternam, regas studia doctrinæ, disciplinam & politias, &

pro-

protegas hospitia Ecclesiæ tuæ.

Mandamus autem auditoribus nostris, ut sint modesti & hoc ipso officio uenerentur Spiritum sanctum, ne eum uel in seipsis uel in alijs contristent, ut Paulus præcipit, inquiens, μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. Ostendant etiam significationē gratitudinis erga ministros Euangelij, & cras ad Aram munera offerant. In Pentecoste Anno, 1549.

DE ENARRATIONE PRIMI LIBRI MAGNÆ CONSTRUCTIONIS PTOLEMÆI.

93

DEO iuuante, enarrabo primum librum magnæ constructionis Ptolemæi, ut iuuentus ad fontes doctrinæ de motibus cœlestibus deducatur, eamq; ob causam magno labore edidimus eius libri pagellas græce & latine.

Existimo autem bona ingenia ipsa doctrinæ bonitate & dulcedine moueri,

ut hæc ſtudia appetant & colant Vt enim oculi mirabiliter lætantur luce, & conſpectu cœli, & terræ ornatæ magna uarietate graminum, florum, arborum, fruticum, & diſtinctæ fluminibus, Et tamen hæc ipſa aſpectio iucundior eſt, cum accedit cogitatio utilitatis harum rerum, frugum, pabuli, medicamentorum & conſideratio opificis Dei, qui omnia mira arte condidit, & fouet: ita menti per ſeſe dulcis eſt cognitio mirabilium in natura rerum, ordinis corporum, motuum cœleſtium, naturæ hominum, & rerum in terra naſcentium, Sed fit gratior & iucundior hæc ſapientia, cum & cauſæ & utilitates agnoſcuntur.

Fateri ſanos omnes neceſſe eſt, ſe conuinci intuentes ordinem & artem totius opificij, ut ſtatuant hunc mundum non extitiſſe caſu, ſed conditum eſſe ab æterna mente Architectatrice, ſeque commonefieri, quòties cœlum intuentur, & ordinem rerum cogitant, ut obtemperent huic Deo opifici iuxta has ipſas

noticias,

noticias, quas tanquam radios ſuæ ſapientiæ in nos trasfudit, & eius iudicium & iram metuant. Et quidem propter hanc ipſam commonefactionem hoc pulcherrimum theatrum tãta arte factum eſt, quod cum uelit aſpici Deus, & diligenter conſiderari, fateamur doctrinam de eius fabricatione appetendã eſſe. Ingens hæc eſt utilitas, quod commonefactio eſt de Deo.

Deinde utilitates aliæ multæ ſunt. Neceſſe eſt Anni metas noſſe, neceſſe eſt regionum interualla & poſitus ſcire. Et cum hæc inferiora corpora in terra naſcentia, foueantur motu & lumine cœleſti, cauſæ multarum mutationum in inferioribus cerni poſſunt in poſitu ſtellarum. Quanq; autem nec peruestigari omnes cauſæ poſſunt, & certæ ſunt metę cœleſtium obſeruationum, tamen hæc ſobria cõſideratio multa monet.

Sed ut alias cauſas diſcendi omittam, bonas mentes propter Eccleſiæ neceſsitatẽ adhortor, ut motuũ doctrinam ament,

ament,quæ inde usq; ab initio generis humani in Ecclesia patrum,& deinceps floruit,& magnum usum habuit. Initium anni uox diuina in Lege constituit, & eo tempore celebrari iubet Agni esum,quo postea & uerus agnus filius Dei oblatus est. Eclipsium conditæ sunt certæ uiæ, ut agnosci posset eam Solis Eclipsin quæ fuit,cum filius Dei in cruce penderet,contra naturę ordinem fieri,& singulare testimonium dare iræ Dei aduersus tantum scelus impiorum. Deniq; Ecclesia nequaquam carere potest anni ratione, quã quidem & initio monstrãte Deo didicit.

Cum igitur motuum doctrina semper ornamentũ singulare fuerit Ecclesiæ Dei, nos quoq; quantũ nostro loco possumus, eam propter Ecclesiam tueamur.

Principum hæc cura esse debebat,Et sepe Deus aliquorum animos excitauit, ut hæc studia iuuarent,ut recens Alphonsi liberalitas,pene extinctam hanc doctrinam reuocauit in lucem. Sed pauci Reges huius exemplum imitantur. Nec si-

ne

ne causa finxit antiquitas Orionem captum amore Dianæ, id est Lunæ, & cursus eius obseruantem, necatum esse a Scorpio. Adparet enim significatum esse uel ab hoste aliquo Philosophiæ tanquam a Scorpio, uel bellicis tumultibus honestissimum studium eius impeditum esse, ꝙ nunc quoq; fit, tempora turbulenta & Scorpij ueneno infecta, inimica sunt ueræ Philosophiæ.

Et multi in gubernatione ad quos cura pertinet huius doctrinæ tuendæ propter rempub: alij aljs de causis hanc doctrinam uel negligunt uel oderunt, Sed boni mentes hac ipsa in re constantiam iudicij sui declarent, Non sinant extingui hanc doctrinam, quam reipub. & Ecclesiæ necessariam esse intelligunt. Deo etiam in hac re seruiant, quia etsi astra sunt testimonium de Deo, tamen doctrina hoc ipsum testimonium fit illustrius, imo lux notitiam in mentibus propius ostendit Deũ, & recte in his uersibus dicitur,

ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλει θείας σημεῖα προνοίας
μᾶλλον δ' ἄστρων θεωρητικὴ ἐστὶν ἐπιστήμη.

Hac

Hac igitur discendi occasione utantur studiosi, & Deo gratias agant, quod & libros in quibus sunt doctrinæ fontes seruauit, & nunc profert, & harum artium studia in scholis restituit. Profecto enim singulare Dei beneficium est, quod in tanta negligentia gubernatorum hæ artes non penitus iam olim amissæ sunt.

Existimo etiam in tantis tumultibus & confusionibus imperiorũ aliquas inducias & quasi Halcyonia hominibus concedi, ut doceri iuuentus possit. Deo igitur uocanti nos & ad discendam uocẽ Euangelij, & ad alias artes Ecclesiæ utiles cognoscendas obtemperemus. Ego diligentiam & fidem propter Deum, & propter Ecclesiæ utilitatem præstabo, etsi scitis hos nostros labores minus iuuari, quam iustum erat, Sed Deo, Ecclesiæ, reipub: studijs communibus præcipue seruire omnium bonorum ingenia decet. Incipiam autem enarrationem proximo die Iouis.

Erasmus Rheinholt Salueldensis.

Rector

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis.

CERTISSIMVM est uoluntatem Dei esse ut sint cætus docẽtium & discentium, & hos cœtus uult Deus partem esse Ecclesiæ suæ, & domicilium diuini spiritus, uult in eis lucem doctrinæ & honesta exempla conspici, tegit eos filius Dei umbra manus suæ, & custodit septos piorum angelorum agminibus.

Hæc uera esse non dubitamus, sed grassantur etiam Diaboli hostes filij Dei & infirmæ Ecclesiæ, & turbare studia & nostros cætus conantur.

Defensionem autem præcipue a filio Dei petimus & expectamus, qui est inspector cordiũ nostrorũ & scit nos utilẽ doctrinã fideliter & modeste tradere, quãq; multis magnis

magnis iniurijs adficimur non ab uno genere Sycophantarum.

Deinde necessaria est in nobis omnibus & morum modestia, quam si qui nolunt tueri, discedant, nec in hac mæsticia temporum augeant nobis ærumnas.

Nuper quidam petulantes noctu accesserunt armati ad domum uigilum, & magnum tumultum excitarunt, Audimus etiam noctu uagari multos cum armis. Hæc fiunt nimia cum periculo, quam tranquillis temporibus. Ideo seueriſsime mandamus ut modesti sitis, ac si quos deprehendemus contra morem & exemplum nostrum officium, [illegible] negligenter.

Illud etiam constitutum est in Scholasticorum omnibus, multæ fiunt passim dissipationes, ac metuendum est si mores nostrorum non erunt tollerabiles, fore ut etiam nos ipsi tranquillitatis causa [illegible] Si qui igitur nollent fieri aliquam disciplinam, ita regant mores suos, ne causam præ-

prębeant. Oramus autem filiũ Dei, custodem Ecclesiæ suæ, ut his regionibus pacẽ concedat & studia doctrinæ & Ecclesias tueatur. Datæ pridie Ioannis Baptistæ. 49.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis

95

In hesterna contione proponit nobis filius Dei in exemplo Lasari dulcissimam consolationem, ne calamitosi iudicent se abiectos esse a Deo, etiamsi ingentibus ærumnis in hac uita oppressi sunt, et uidentur esse inutilia terræ onera. In his ipsis miseriis sciamus tamen nos Deo curæ esse, ut ipse adfirmat se in miseris & inter miseros habitare. Vt reuera sumus propter miserias, Lasari similes, ita sumus & fide, inuocatione & spe similes Lasari.

Non deterreamur nostra deformitate, quo minus petamus & spe non dubitante expectemus auxilium Dei. Et sæpe repetamus precationem sententiæ horum uersuum congruentem.

Aeger & ulceribus squalens in corpore toto
Hic iaceo & pereunt, tabida membra fame
Diuitis ante fores iacuit ceu Lazarus olim
Cui fastidito nemo ferebat opem
Vt tamen a cunctis spretus tua cura tuoq;
Exceptus gremio Lazarus ille fuit:
Sic æterna Deus tua me clementia seruet
Et miserum dextræ protegat umbra tuæ.

Ita uir honestus Georgius Croll, natus in familia honesta & ueteri, qui in uera inuocatiõe & fiducia domini nostri Iesu Christi Deum coluit, ægrotans se quotidie Deo commẽdauit, ac dolores suos p̃ missione diuina lenijt, & ut Lazarus filij Dei & tocius Ecclesiæ cœlestis consuetudinẽ expetiuit & expectauit & in inuocatione filij Dei ex hac uita decessit. Hortamur igitur auditores nostros ut ad eius funus conueniant ante ædes consulis Hieronimi Krappi, quod fiet hodie hora duodecima.

Tales congressus in Ecclesia Deus semper esse uult, & in eis uult nos conuenire

gere uota, gemitus, precationes, uult nos cogitare & causas generis humani & de filio mediatore, qui in hac horribili confusione hominũ & colligit & seruat æternam Ecclesiam, & uult nobis inuocantib⁹ lenire calamitates. Hunc filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum ac sedentem ad dexteram æterni patris ut dona det hominibus, oremus, ut nos regat & inter nos seruet Ecclesiam in omni æternitate Deum celebraturam. Calendis Iulij Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHIlosophici Erasmus Reinholt Saluelden sis

SEPE in hac Academia dulcissimi uersus amici nostri Stigelij repetiti sunt.

Vtq; alios alij de Relligione docerent,
Conciguas pietas iussit habere domos.

Certissimum est enim hanc hominum naturam ideo consociatam & multis mirandis uinculis, generatione, educatione, rerum communicatione, imperijs, coniunctam esse, ut alij alios de Deo & alijs rebus bonis doceant. Et doctrina præcipuum uitæ humanæ lumẽ est. Itaq; præcipuum opus in genere humano sustinent, quicunq; doctrinam Ecclesiæ necessariam, & linguas & artes, quæ illustrant scripta Prophetica & Apostolica tradũt. Talibus laboribus fauere bonas mentes decet, quos quidem Deo curę esse non dubitamus, qui cum non frustra conditerit genus humanum, sed semper inde colligat Ecclesiam, seruat etiã cœtus aliquos docentium & discentium. Et ut seruet, ac regat, toto eum pectore oro.

Hæc de nostri ordinis officio, & de uoluntate Dei sepe cogitanda sunt, ut literas, Doctores, scholasticas operas, hos cœtus, & ipsa scholarum tecta & hospitia magis amemus. Ac nunc præsertim opus est accendi & ali amorem doctrinæ in animis,

mis,cum in his dissipationibus studia lite rarum minus coluntur.

Magnum omnino ornamentum est Ecclesiæ,cognitio linguarum & artium, quas Philosophia continet,quæ ut non ex tinguatur,necesse est cœtus aliquos esse, in quibus alij alias doctrinarum partes tradant. Hos cœtus, quibus possumus officijs foueam us,eaq; in re Deo,Ecclesiæ, & uniuersæ posteritati seruiamus.

Nos igitur etsi mediocres difficultates sustinemus,tamen has uelut excubias, in quas ad docendum collocati sumus,nō relinquendas esse duximus. Sedulitatis nostræ testes esse boni omnes possunt. Pertinet autem ad operas scholasticas exploratio eruditionis auditorum, quæ fit, cum doctrinæ testimonia tribuuntur.

Instituam igitur Examen post duas septimanas. Interea ad me accedant, ac apud me nomina edant petituri gradum Magisterij.

Certissimum est enim hanc hominum naturam ideo consociatam & multis mirandis uinculis, generatione, educatione, rerum communicatione, imperijs, coniunctam esse, ut alij alios de Deo & alijs rebus bonis doceant. Et doctrina præcipuum uitæ humanæ lumẽ est. Itaq; præcipuum opus in genere humano sustinent, quicunq; doctrinam Ecclesiæ necessariam, & linguas & artes, quæ illustrant scripta Prophetica & Apostolica tradũt. Talibus laboribus fauere bonas mentes decet, quos quidem Deo curę esse non dubitamus, qui cum non frustra condiderit genus humanum, sed semper inde colligat Ecclesiam, seruat etiã cœtus aliquos docentium & discentium. Et ut seruet, ac regat, toto eum pectore oro.

Hæc de nostri ordinis officio, & de uoluntate Dei sepe cogitanda sunt, ut literas, Doctores, scholasticas operas, hos cœtus, & ipsa scholarum tecta & hospitia magis amemus. Ac nunc præsertim opus est accendi & ali amorem doctrinæ in animis,

mis, cum in his dissipationibus studia lite rarum minus coluntur.

Magnum omnino ornamentum est Ecclesiæ, cognitio linguarum & artium, quas Philosophia continet, quæ ut non ex tinguatur, necesse est cœtus aliquos esse, in quibus alij alias doctrinarum partes tradant. Hos cœtus, quibus possumus officijs foueam us, eaq; in re Deo, Ecclesiæ, & uniuersæ posteritati seruiamus.

Nos igitur etsi mediocres difficultates sustinemus, tamen has uelut excubias, in quas ad docendum collocati sumus, nō relinquendas esse duximus. Sedulitatis nostræ testes esse boni omnes possunt. Pertinet autem ad operas scholasticas exploratio eruditionis auditorum, quæ fit, cum doctrinæ testimonia tribuuntur.

Instituam igitur Examen post duas septimanas. Interea ad me accedant, ac apud me nomina edant petituri gradum Magisterij.

Etsi autem omnibus temporibus necessaria est placida iudiciorum collatio, tamen hoc tempore eo magis expetenda est, quia remedium est seu μαλακτικὸν harum ærumnarum, in quibus uersari Ecclesiam & nos ipsos sentimus. Cumq; res ipsa ostendat studijs harum regionum profuisse hanc doctrinæ explorationem, & sententiarum collationem, tueamur hunc morem studiosius. Profecto solitudo, in qua iudiciorum collatio esse non potest, & doctrinæ tenebras adfert, & quasi dissonas uoces parit, etiam cum non prorsus negliguntur studia litterarum. Nec solum de ceteris artibus, sed etiam de his nostris studijs præclare dictum esse ab Euripide iudicemus, ἡ ὁμιλία ἐστὶ κακὸν τέχνας.

RECTOR ACADEMIAE Vuitebergensis.

97

SVNT omnino uerissima cœlestia dicta, quæ affirmant filium Dei, & castos angelos, custodes esse uitæ nostræ, qualia hæc

hæc ſunt. Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. Item: Mandauit angelis ſuis de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. Sed uult ille cuſtos noſter, filius Dei, ne petulanter a uijs, quas Deus ordinauit, diſcedamus. Non uult te uolitare in aere, aut tentare aquarum gurgites. Aliæ ſunt uiæ noſtrorum corporum. Et Paulus inquit. Accurate ambulate, non ut fatui. Et ſcriptum eſt, Qui amat periculum, peribit in eo.

Cum igitur Deus, etſi cuſtodit uitam noſtram, uelit tamen aliquam noſtram diligentiam eſſe, & ob eam cauſam, reliquerit in homine liberum imperium regendi τὴν προαιρετικὴν κίνησιν, obteſtamur ſcholaſticos, ut Deo hanc obedientiam præſtent, ne temere & petulanter accerſant ſibi pericula, & ſeuere prohibemus natationes in Albi & ſtagnis, quarum exempla infœlicia, multa meminimus, quæ conſpici uult Deus, ut alij ſint in tuenda uita diligentiores.

Etsi autem acuere curam debebat metus mortis, tamen considerent bonæ mentes etiam alias causas, propter quas uitandæ sunt hæc pericula.

Primum offendit Deum pestilentia, cum uolentes conscisunt sibi mortem, ut αὐτόχειρες, qui sese manu sua interficiunt.

Deinde fiunt miserorum parentum parricidæ, qui mœrore & luctu contabescunt.

Offendit Deum & contumacia aduersus mandata Magistratus.

Horum delictorum cogitatione expauescere bonas mentes decet, & hoc metu cohercere, ne Deum offendant, & parentibus ingratum mortis genus causa sint mortis.

Sint adolescentes & cautiores, quia certum est Diabolos insidiari ipsorum uitæ, & circa flumina & stagna uolitare, intentos in occasionem, sicut in ipso Albi, multi uiderunt noctu spectra, uolare lychnos ardentes longo spatio uehi & uehi. Et possemus alia exempla recitare.

Proposuimus autem hoc edictum pio

& paterno consilio, quia maxime optamus, uos salvos & incolumes uiuere & fieri organa salutaria uobis & alijs. Ideo seuere præcipimus, ut huic nostro edicto obtemperetis, & ijs causis, quas recitauimus, serio moueamini. Die 18 Julij. Anno 1549.

RECTOR ACADEMIAE. Vuitebergensis.

LEctio Euangelicæ historiæ quam hodie proponit Ecclesia, testatur, etiam inopinatum quod sit Dei concionantem sequitur, mirabili modo ut eum præbeat ad pios filios Dei custodes sui cœtus. Cui etiam gratias agimus quod hactenus magna clementia pœnas mitigauit & nec ipsi enim largam petebat
[illegible] igitur œconomus pauperum scholasticorum rationem habiturus est, & cubile cibum singulis septimanis quaternis grossis, ita eum ante plus dederint, reliquum in potum salubriorem conferre poterunt.

Pro hac benignitate œconomi, uicissim petimus ut Scholastici sicut iustos & gratos hospites decet, modesti sint, & in soluendo fideles. Quia scitis uere scriptum esse de iusticia conseruatrice societatis humanæ, τῶ ἀντιπονθὸς ἀνάλογον συμμένει ἡ πολις. Die 4. Augusti Anno 49.

RECTOR ACADEMIAE Vitebergensis.

CONsolatio est dulcissima uoce filij Dei tradita, quæ affirmat sine ulla dubitatione Deo curæ esse infantes in Ecclesia. Non est uoluntas patris cœlestis ut pereat unus de paruulis istis. Hęc sententia pijs parentibus in morte infantum lenit dolorem.

Sed ipsis etiam adolescentibus, qui puritatem conscientiæ adhuc retinent, semper in conspectu esse debet ut certissime statuant Deum ipsum custodem esse ultæ

uitæ ipſorum, propter ipſos dari uictum, hoſpicia, politias in quibus educari & eruditi poſsint.

Commendent igitur ſuam uitam Deo & petant ab eo omnia bona uitæ neceſſaria, doctrinam etiam de Deo libenter diſcant commonefacti hac ipſa uoce, Non eſt uoluntas patris cœleſtis ut pereat unus de paruulis iſtis. Item ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.

Cum autem hodie ex hac uita in cœleſtem euocatus ſit filius uiri clariſsimi D. Laurentij Lindemanni Doctoris Iuris, hortamur ſcholaſticos, ut ad funus hora quarta conueniant & harum ſententiarum cogitatione quas recenſui ad præcationem ſe excitent.

Scitis propter multas grauiſs: cauſas, plas funeræ ceremonias retinẽdas eſſe tũ de cauſis mortis & miſeriarum humanarum & de filio Dei liberatore, de futuro iudicio cogitemus.

Pius

Pium est etiam ostendere nos affici honestorum luctu, Est autem parentum huius infantis uirtus digna laude. Et pater Doctoris Laurentij Caspar Lindemã Medicæ artis Doctor, excelluit eruditione & omnibus uirtutibus,& uitæ multorum hic opem tulit. Datæ die 7 Augusti 1549.

RECTOR ACADEMIAE.

MAgnum & inenarrabile miraculum est generatio hominis & manifestũ testimonium presentiæ Dei in natura, & ostendit non casu nasci homines sed totum hoc opus regi diuino consilio.

Fœtui nascenti in utero mox alimentum conditum est,editur certo tempore, iunctureinfolle sacro patefiunt meatus, quæ nulla humana ope aperiri aut claudi possunt. Inseritur infirmæ diuinitus mẽs secum adferens lucem de Deo & inicus artium quæ uitam regunt & uere sunt rationis diuinæ. Ideo sæpe cogitanda sunt ortus nostri miracula & agnoscenda dei

præsen-

prçsentia & Deus celebrandus est, & parentes amãdi & uenerandi sunt, qui sunt organa diuini operis.

In hac cogitatione etiam matrum pericula, labores & στοργήν considerem⁹, & si quæ labore pariendi oppressæ moriuntur, doleam⁹ & deploremus communes generis humani miserias & calamitates: Hæc prçcipue cogitanda sunt in talium matrum funeribus.

Fiet autem hodie hora quarta funus honeste & pie coniugi V. Typographi uiri integri & modesti, quæ cum sex tredecim natos, tam in hac sua multitudine in partu quartodecimo extincta est. Sed mens fuit erecta fide & inuocatione filii Dei.

Voluntas igitur conueniet auditores nostros ad funus ut hoc ipso exemplo cõmoneatur cogitent, quanto periculo ipsi in lucem editi sint, & agnoscant Deum generationi adesse & uitam abeo dari & alij. Sicut scriptum est, [illegible]

Ma.

Matrum etiam & sororum & filiarum pericula Deo commendent & uera fide statuant Deum custodem esse uitæ & ab eo gubernationem petant, & ei tanquam conditori & seruatori reuerenter obtemperent. Datæ postridie Laurentij 1549.

PHILIPPVS MELANTHON.

IN Ecclesia Brandenburgensi desiderantur Sacerdotes, qui publice doceant & administrent Sacramenta. Etsi autem propter luem ibi grassantem consentaneum est periculo deterreri etiam bonos uiros ne ibi seruire uelint: Tamen publice significandum duximus, nos rogatos esse ut si qui inuenirentur tali robore animi ut non recusarent eo proficisci, literas eis ad Senatum daremus. Et speramus tales aliquos esse, qui necessitatem Ecclesiæ anteferent suo periculo.

Si quis igitur proficisci uolet, petat a Reuerendo D. Pastore Ecclesiæ nostræ & a me literas, ut senatui nostrũ testimonium adferat. Deca-

DECANVS COLLEGII Philosophici.

QVod faustum & fœlix sit hodie hora duodecima instituetur Examẽ publicum, in quo specimen eruditionis prebebunt honesti & docti uiri, qui nũc gradũ Magisterij Philosophici petunt. Hortamur igitur Collegas nostros & alios, qui colunt Philosophica studia, ut ad hunc nostrum congressum amanter accedãt, eoq; officio ostendant se fauere & honori horum, qui gradum petunt, & ipsis Philosophiæ studijs, præsertim cum nihil in uita humana dulcius sit talibus colloquijs de doctrina, quæ sunt imago æternæ illius Academiæ, in qua audiemus doctorem filium Dei, & cum Angelis, Prophetis, & Apostolis de mirandis Dei operibus suauissime disputabimus. Ipsa etiam frequẽtia in talibus congressibus, iunioribus ostendat ordinis nostri coniunctionem, & sit exemplo ipsis, ad amandam consociationem & communem concordiam, quæ Ecclesiæ Dei præsertim hoc tempore maxime necessaria est.

οὐ χρυσός· ἀγλαός·
οὐδ' ἀδάμας
οὕτως ἁρπτὴ πρὸς ὄψιν,
ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν
ὁμοφραδμων νόησις.

Scriptum est in ueteri Poemate, Ac profecto uerum est, nihil pulchrius eruditorũ consensu & amicicia, quę quidem & speciẽ Ecclesię honestiorẽ efficit, & omnib⁹ officijs alẽda est. Notissima sunt n. seueriſsima pcepta, quale hoc est, ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστί, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐν τῷ θεῷ μένει καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ. Quid dici nobis ad consolationem maius potest, quam uerum & ardentem in Deo amorem esse erga nos, ut hic affirmat, cum inquit, Deus est dilectio. Deinde quam seuere additum est præceptum, Qui in dilectione manet, in Deo manet, id est, qui studia, consilia, & labores refert non ad faciendas dissipationes, sed ad conjungendas uoluntates quã plurimorum & ad communẽ consensum & concordiam tuendam. Id officium & nobis curæ sit in magnis & paruis rebus. Nihil enim paruum est, nihil contemne, ut Medici monent. Quare & nunc libenter

ter conueniamus, & amanter de rebus optimis colloquamur, Imo & inter differendum uota ad Deum misceamus, ne doctrinæ studia inter nos extingui sinat. Die Augusti 16 Anno 1549.

DECANVS COLLEGII PHILOsophici in Academia Vuitebergensi.

GRATIAS agimus tibi Deus æterne Pater domini nostri Iesu Christi fons sapientiæ, quod immensa bonitate in his regionibus seruas Ecclesiam, tecq; oramus ardentibus uotis, ne ruæ doctrinæ lucem, & aliarum artium, quæ Ecclesiæ utiles sut, extingui sinas.

Hæc uota [illegible] publicis congressibus nostris repetenda sunt, ideo petimus ut conueniamus Baccalaurei, Magistri, & auditores die Augusti ueluti conuenant ad renunciationem eradus Magisterij de cæpendiis, quorum nomina infra scripta sunt, & ut tertio sint huius renunciationis, & ut simul quibus cum precentur Deum, ut Ecclesias doctrinæ studia, helpidia Ec-

cleſiarum & diſciplinam clementer in his regionibus, & in hoc oppido tueatur. Pertinent autem ad Eccleſiam & hæc ipſa linguarum & Philoſophiæ ſtudia, quorũ propagatio noſtro ordini commendata eſt. Manifeſtum eſt enim ſine linguarum cognitione monumenta Prophetica & Apoſtolica nõ poſſe legi & intelligi. Nec raro fit ut ignari linguarum, in interpretatione perinde aperire dicta Prophetica & Apoſtolica conentur, uelut οἱ τὰ ξύλα κλειδὶ χαλκᾶν, τῇ δὲ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν πειρώμενοι. Ac dolendum eſt tetros errores & contumelioſos aduerſus Deũ multis iam ſeculis heſiſſe in Eccleſia, qui a linguarum & phraſis inſcitia orti ſunt. Deinde multi & magni uſus ſunt uniuerſæ Philoſophiæ, cum in hac tota uitæ gubernatione, tum uero etiam in explicatione dogmatum Eccleſiæ. Quare amanda & iuuãda ſunt hæc literarum ſtudia, Nec dubitemus nos labores noſtros, quos ſuſtinemus in eorum propagatione Deo placere, cui curæ erit, ne ſint irriti, Nec frangamur animis propterea, quod aliqui de his ſtudijs maligne ſentiunt, ſed ueras diſcendi

multi

discendi causas cogitemus,& in doctrina custodienda fidem & diligentiam Deo, Ecclesiæ,& generi humano debitam præstemus. Laudanda est igitur uoluntas horum,quibus nunc testimonium eruditionis tribuemus,deinde & uere hoc prædicare possumus in hoc numero, Dei beneficio, plerosq; egregie eruditos esse, quos speramus Ecclesiæ & reipub. magno usui futuros esse,& ut faciat eos Deus σωτῆρα ἐλέους salutaria ipsis & alijs,toto pectore optamus. Die Augu. 18 Anno,1549.

RECTOR ACADEMIAE.

Nequaq; dubium est filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum crucifixũ p nobis,& resuscitatũ,custodẽ esse Ecclesiæ suę, & tueri eã cõtra furores Diaboli impel lẽtis mala ingenia ad faciẽdã ἀκαταστασίαν & horrendas dissipatiões generis humani. Adfirmat igitur Paulus adfuisse filiũ Dei Israelitis in deserto. Hunc oramus ardẽtibus uotis ut & huic oppidi Ecclesiã & coetus discẽtiũ & hos nidulos ptegat.Mãdat autẽ ut & Magistratus sint legũ ministri & ut populus audiat leges,& disciplinæ frenos paciatur, quos qui pati nõ uolũt ab omni ciuili societate excludẽdi sunt.

Est autem in hoc oppido adolescens N. N. qui propter petulantiam & antea ex Academia relegatus est. Hunc quia rursus excitat tumultus, hoc decreto publice proposito, & relegamus ex Academia & relegatum esse, ut absit integrum triennium, declaramus, ut & Vrbani Magistratus tuendæ pacis causa faciant ea, quæ sui sunt officij. Mandamus etiam omnibus, qui ad nostram iurisdictionem pertinent, ne se adiungant huic adolescenti N. N. mouenti tumultus, aut conuocanti alios ad tumultuandum.

Scitis publicis legibus illa seditiosa classica, & concursus tumultuantium seueríssime prohiberi & puniri. Ideo & legum uoce, & nostris edictis commonefacti, modestiam & tranquillitatem necessariam communi societati amate. Die 7 Augusti Anno 1549.

DECANVS COLLEGII MEDIcorum lectori. S. D.

MVlta sunt testimonia quæ ostendũt semper artem Medicam præcipuo honore

honore fuisse apud homines bene institutos. Et narrant historiæ de Alexandro magno cum in ipsius exercitu sæua pestilentia magnam faceret uastitatem, ipsum regẽ inquisiuisse magno studio remedia tandemq; et diuinitus in somnio monstratam herbam fuisse qua seruaret milites.

Declarant etiam appellationes plurimarum herbarum olim principes hanc curam se non indignam iudicasse, ut remedia morborum & ipsi quærerent & alijs exhiberent, ut adhuc monent uocabula cẽtaureę, Achillæi, Lysimachię, Gentianę, & uidetur usus terræ Lẽniæ primum a Philoctete duce animaduersus esse, cum in Lemno relictus ab exercitu græco sœuis ulceribus ex ueneno natis cruciaretur.

Facile autem apparet non propter usum tantum eam dignitatem fuisse huius artis, sed etiam propter multiplicem naturæ consideratiõe cui & causæ morborum & remediorum descriptiones pulcherrimam occasionem præbent. Vt enim ingeniosos & sapientes agricolas de

lectat agricultura non propter fructũ tantum quem percipiunt ex terra, sed etiam propter ipsius naturæ consyderationem, quæ eos in terræ & rerum nascentium inspectione ita capit, ut in ipsa cultura, uideantur uersari sibi tanquam in iucundissimo studio & locupleti schola, quæ undiquæ etiam diuinitatis uestigia exhibeat. Sic generosas mentes in obseruatione remediorum, ipsa admiratio capit etiamsi non tanta utilitas accedat, quantam quotidiana necessitas flagitat & quantam Medicinæ usus quotidie singulis fere præstat.

Multo autem magis nos in scholis pulcherrimam artem mirari a primis annis decet, & uenerari cum ipsum studium propter locupletissimam doctrinam, quæ in inquisitione multarum rerum in tota natura & Deum monstrat, & nos in admirationem rerũ cognitiõe dignissimarũ deducit; tum etiam omnes illos amare conuenit, qui suis laboribus salutarem doctrinam retinent & eius usu multorum uitam & ualetudinem a tristissimis morbis

&

& multis alijs pestib⁹ tuẽtur & defendũt.

Cum autem hoc tempore, uir bonus & doctus Sebastianus Creusner Boltslauiensis, ita in hoc genere studij sit uersatus & exercitatus ut mereatur eruditorũ iudicio honestissimum testimonium doctrinæ, fidei & artis, decet homines literatos ipsius institituto & honori plurimum fauere.

Cum igitur decreuerimus ad proximum diem Martis Deo iuuante huic Sebastiano conferre gradum Doctoris Medicinę, rogamus & hortamur Doctores, Magistros & scholasticos Academiæ ut honoris causa dignentur interesse renunciationi gradus huius uiri, & ut commendent auspicia professionis in hoc Sebastiano pijs precibus Deo.

Simul autẽ cõiunctis uotis in publico loco petam⁹ ut De⁹ seruet & tueatur apud nos studia optimarũ rerũ, quæ ad ipsius gloriã & humãę uitę necessitatẽ pertinẽt. Id cum sine tranquillitate in repub. fieri non possit, Oro te Deus æterne pater

S ilij Domini

Domini nostri Iesu Christi, ut concedat studijs pacem & tranquillitatem firmam & salutarem. Datum Vuittenbergę 5 Calendas Augusti 1549.

RECTOR ACADEMIAE.

COlamus pia officia & ut nos ipsos de uoluntate dei cōmonefaciamus, & ut exempla nostra inuitent alios & ut ostendamus nos dolore amicorum adfici, ꝙ ipsum etiam est honestum officium. Cum igitur honesta & pia matrona uiri honesti & officiosi Mathiæ carpophori coniunx, ex hac mortali uita interrupta & cōfessionem & inuocationem filij Dei decessérit, hortamur Doctores, Magistros & auditores ut ad funus hora quarta conueniant. Sciunt oēs Mathiam fauere scholastico ordini, nec rudem esse literarum & natura & arte musicum esse, ac multos labores utiles uniuersæ ciuitati & Academiæ sustinere, & ciuem esse modestum & beneficum. Has uirtutes non agnoscere ꝓfecto nō est officiosum. Quare ut cōspici possit, nos uirtutē & intelligere & amare, beneuolentiam nostram erga ipsum etiam hoc pio officio declaremus. Die 21 Augusti Anno 1549. Colla-

COLLATIO LOCORVM DE CONSOLATIONE ex Philosophia & doctrina Christiana, Philippi Melanthonis. Anno 1548.

Loci Philosophicæ Consolationis.

Primus.



Necessitas. Cum mutari factum nō potest, & dolori & indignatiōi indulgemus, duplicamus malum, non lenimus, sicut dicitur. Necessitati parendum est.

Secundus.

Dignitas uirtutis, id est, non ita frangatur animus dolore, ut contra iusticiam aut ali

as uirtutes facias, ut multi dolore ſuccumbentes, abrumpunt uitam, ut Cato, Brutus & cete.

Tertius.

Bona conſcientia. Quando foris oppreſsit hominem pœna. & intus mens conſcia ſibi ſcelerum laceratur diuinis terroribus, & alijs cruciatibus, ut fit in homicidis & omnibus qui ſciunt ſe ſua culpa accerſiuiſſe calamitates, dolor duplicatur.

Econtra. Eſt aliquid magnis crimen abeſſe, malis. Multo minor eſt dolor, cũ mens eſt tranquilla & cogitat ſe habuiſſe ſui conſilij honeſtam & neceſſariam cauſam, & talem eſſe humanæ naturæ infirmitatem, ut ſæpe non reſpondeant bonis conſilijs euentus, ac uirtutem eſſe, etiamſi nõ reſpondent euentus, tamen rectas ſententias & rectam uoluntatẽ retinere. Hęc animi rectitudo & tranquillitas, magna leuatio eſt cruciatuum. Deinde etiamſi errore lapſi præbuimus cauſam ærumnis noſtris, tamen ſine ſcelere, doloris eſt mitigatio, quia a ſummis malis abſumus.

Quartus

Quartus.

Exempla: Cum uidemus totum genus humanum in magnis miseriis esse, & multos sapientia, uirtute & potentia præstantes oppressos esse tristissimis casibus Herculem, Achillem, Palamedē, Miltiadem, Themistoclem, Pompeium, Cæsarem & alios innumerabiles, exempla de æqualitate & iustitia admonent, cum talis sit totius generis humani infirmitas, iniustū esse appetere inæqualitatem & nolle ferre communia onera, quæ alij ferūt. Nō es fortior aut honestior Cyro, nec es sapientior Cyro, nec es sapientior Palamede, aut Themistocle, nec melius de tua patria meritus, quam isti de Græcia. Cum igitur isti communes miserias tulerint, cur nos accusamus naturam cum similia patimur?

Quintus.

Collatio euentuum. Cum semper bonis mala mixta sint, fortasis plus mali fuisset in contrario euentu, si uicisset Pompeius, maior cōfusio erat futura Reipub.

Tali-

Talibus argumentis utcunq; flectitur animꝰ ut tolerare aduersa discat, & cũ conscientia non est saucia, uicket se aliquã tulum a summis abesse malis. Sed hæ Philosophicæ consolationes tantum minore cruciatu sepeliunt hominem, non offendunt exitum aut liberationem.

Ideo opponendæ sunt consolationes, quæ in Ecclesia traduntur, quæ etiam auxilium & liberationem proponũt, & de causis calamitatum aliter nos erudiunt. Priores autem tituli in consolationibus, quas Ecclesia proponit, conueniunt cum titulis Philosophicis, sed maiores res complectuntur.

LOCI CONSOLATIONVM VT in Ecclesia traduntur.

Primus.

NEcessitas, intueatur non solum immutabilitatem, ut apud Philosophos, sed uoluntatẽ Dei, de qua utrũq; statuendum est, & creaturas omnes obedientiam

Deo

Deo debere,& Deum posse mutare calamitatem,& sæpe flecti ut mutet. Interea tamen ei obediendum esse, ut scriptum est. Humiliamini sub potenti manu Dei. Et ut magis flectatur animus ad hãc obedientiam præstandam, communes causæ considerentur, propter quas Deus uniuersum genus humanum & præcipue Ecclesiam subiecit æruminis. Toleranda igitur est calamitas, quia necesse est Deo obedire, qui certo consilio sic totam onerauit Ecclesiam, nec repugnandum est eius sapientiæ aut iusticiæ.

Secundus.

Dignitas uirtutis, uicinus locus est proximo, propter ærumnas non deficiamus, nec putemus casu ferri humana, nec putemus sine consilio Dei, a materia tantum oriri mutatiões rerum humanarum, nec faciamus contra ulla mandata Dei, elati secundis rebus, aut fracti aduersis, sed Deum anteferamus secundis & aduersis rebus.

Ter-

Bona conſcientia. Leuatio eſt miſeriarum, etiam in Ethnicis, cõſcientia rectorum conſiliorum & rectæ uolũtatis, ſed multo magis in Eccleſia, ubi mens uere intuetur iudicem Deum, ut in Pſalmo 43 dicitur. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum, nonne Deus inquirit iſta, ipſe enim nouit abſcondita cordis, quoniam propter te mortificamur tota die. Et Paulus inquit, Hæc eſt gloriatio noſtra teſtimonium cõſcientiæ noſtræ.

Deinde etiamſi quedam errata inciderint, nos in Eccleſia maxime ſcimus multo maiores morbos & lapſus hominum eſſe, quam ſapientia humana eſſe iudicat, & ſcimus tegi & ſanari lapſus & errata in his, qui agnitionem, fidem & inuocationem filij Dei retinent. Habuerunt magnos lapſus

Moyſes

Moyſes, Aaron, Dauid, Ioſias, & innumerabiles alij, & tamen hanc conſolationem, tenuiſſe quam recitat Dauid in Pſalmo 32. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata. Confugiamus igitur ad filium Dei.

Quartus.

Exempla. In Eccleſia maxime illuſtria exempla habemus, quæ perſpicue oſtendunt & uoluntatem Dei eſſe, ut ſimiles efficiamur imaginis Chriſti, & ſimul nos de cauſis eius conſilij erudiunt, Multa etiam in his ſunt liberationum teſtimonia, ut poſtea dicetur, & expreſſe ſcriptum eſt, Iudicium a domo Dei incipit. Cum igitur totum illud Pulcherrimum agmen intue-

agnen intueris, filium Dei. Abel, Israelitas in Aegipto, Ionathan, Dauid, Ezechiam, Esaiam, Ieremiam, Danielem, Baptistam, Apostolos, Martyres olim & nunc a Turcis & aliis crudelissime trucidatos, existimes te abiectum esse a Deo, sed similiter patiaris.

Quintus.

Collatio eiusdem. Nunc sunt res secundissimæ, vitiis. Et si sapientes & sancti non fuerunt moderati, quid stultos, imprudentes, & minus frenati timore Dei futurum erat, elati rebus secundis. Neglexerunt Ecclesiastica, in tali similitudine opinionum & voluntatum in aliis. Confirmemus igitur Dei constitutionem Ecclesiæ & posteritati, & gloriæ filij hæreditatis, & fateamur nos non posse regi humanis consiliis.

Hactenus recitati loci aliquot congruunt cum Philosophicis. Nunc quantum aliæ propriæ Ecclesiæ Dei

supra

[illegible] Philosophica, posint in [illegible] bonitate Dei, in Euangelio patefa[illegible] & reuelari ex sinu æterni patris per fi[illegible]. Sed quia fides in hominibus langue[illegible] est, Ideo his dulcissimis consolationi[illegible] animus mouentur homines.

Sextus.

Promissiones Dei, quæ affirmant Deo placere obedientiam in cruce, & prò mittunt auxilium & mitigationem in hac vita, & liberationem post hanc vitam. Nulla creatura suo iudicio, sine diuina re[illegible] uelatione intelligit & placere in magnis miseriis, nullo modo nouit Deum adesse & velle opem ferre. Ideo diuinitus promulgata est hæc consolatio. Esaiæ 57 Adest Deus & habitat in afflictis & contritis spiritu. Et Psalmo 33 Prope est dominus his qui tribulato sunt corde. Et Psalmo 49. Inuoca me in die tribulationis & eripiam te, & glorificabis me. Et præcipue cogitemus promissionem credidisse eos qui studia Euangelij fouerunt & adiuuarunt. Tem[illegible]

augmentur haec uera & efficacissima consolatio, nos non casu affligi, sed de manu Dei, nec ideo adfligi, ut pereamus, sed ut crescant in nobis penitentia, fides, inuocatio, & agnitio praesentiae Dei, ut iuuemur, iuxta illud. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat.

Septimus.

Ad promissiones necessario fides, inuocatio, & spes auxilij, & liberationis, nec ethnico more cogitemus, si sumus Deo curae, seruissimum etsi nec petimus nec expectamus auxilium. Nec indulgeamus dubitationi, sed firmissime statuamus mandata Dei esse, ut ipsum inuocemus, etiam in calamitatibus, & petamus ac certo expectemus auxilium & mitigationem etiam in hac uita, & uel in hac uita, uel post hanc uitam liberationem, nec existimemus hanc inuocationem esse inanem fidem, & hanc spem irritam esse, sed confirmemus nos promissionibus, ut quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis.

Vult

Vult Deus acquiescere nos in promissione sua, ideoq; nos exercet, ut haec fides in nobis accendatur & confirmetur, qua certa uere confugiunt ad deum fidubia mediatoris, & petunt & expectant bona & acquiescunt in Deo. Haec fides in deum est, de qua dicit Paulus. Pax Dei quae superat omnem sensum, gubernet corda uestra, Nec deficiamus a Deo etiamsi liberatio differtur. Sed sentiamus ut Hiob. Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. Etiamsi in hac uita quotidie affligat calamitates, tamen ut Psalmus dicit. Non accendit hominem iram suam. Non irascitur facile. Non indulget corda tua. Octauus. Haec omnia coniuncta, obedientia, fides, inuocatio, spes, sunt gratissima sacrificia Deo, ut in Psalmo dicitur. Sacrificium Deo spiritus

spiritus contribulatus. Tunc imponent super
sacrificiũ iustitiæ & sperate in dominum.
Et hic ad exemplã redeamus.

Cum filius Dei resurrexerit ex mor-
te, erit socia æternæ gloriæ eius Ecclesia,
& sicut exauditi sunt patres, & mitigatæ
pœnæ Dauid, Ezechiæ, Manassæ, & alio-
rum innumerabilium. Ita & nobis mitigabun-
tur, quia Deus non est acceptor personarum,
sed æqualiter omnes confugientes
ad filium recipit, ut filius dixit.
Venite ad me omnes qui labo
ratis & onerati estis
ego reficiam vos.
Matth. 11.

Interea etiam gratias agamus
Deo pro datis promissionibus, pro seruata
Ecclesia, pro aliqua parte mitigatio-
nis. Imo & pro hoc beneficio
quod erudimur in hac afflictione, & con
firma-

Decimus.

Collatio cum alijs securis, qui lae-
dunt calamitate piorum, & in eos aspe-
ritatem exercent, & insuper acerbissi-
mis sarcasmis eos excruciant. Melius est
autem pijs in ipsa afflictione invocare
eum, & confessionem edere nobis, quam
sequitur est. Beati qui lugent,
Non potest ibi homo sumere
quicquam nisi fiat
Commenda Deo
uiam tuam
& ipse

QVAESTIO PROPOSITA IN promotione Magistrorum.

VTRVM, Cum fatendum sit in Ecclesia Synodorum iudicia esse obtemperare, obligandi sint homines, ut iudicato obtemperent sine ulla recusatione, sicut in imperijs necesse est iudicatum facere.

Responsio.

Nimis uerum est dictum. Simonides, ὁ δεσπότης ἀνὴρ τύραννος, id est, opiniones iuuenum adferunt ueritati.

Sepe enim inuita persuasiones errore conceptæ impediunt conspectum ueritatis, ut quia multi existimant ueram Ecclesiam, esse politiam similem imperijs, quæ corpora gubernant: tribuunt iudicijs regiam potestatem, cui necesse est obedire non solum propter rationem probabilem, sed etiam propter autoritatem, quam Deus illi fastigio attribuit.

Cum dissiderent inter se duo fratres Regis Darij filij, Artabazanes & Xerxes non

non de duabus capellis, sed de imperio totius orbis terrarum florentissimo, de regno Persico, postpotentia iudicum frater natu minor prelatus est, alterum etsi probabilem causam habuerat, cur antefferendus esset, tamen iam obtemperare iudicato iustum erat.

Sed multum dissimilis est Ecclesia imperijs, ualent sententiæ iudicum, non regia, aut pretoria auctoritate, sed quia uere congruunt cum doctrina a Deo tradita, si non uere congruunt, etiamsi in speciem blanditiuntur rationi humanæ, antefferenda est regula: si quis aliud Euangelio docet, Anathema sit, ut quæq; Synodus Syrmiensis, in qua magna frequentia fuit Episcoporu Asiæ & Europę, decreuit & utile ad tarciendam concordiã uidebatur, ut in Symbolo Nicen. legeretur, non ὁμοούσιον, tamen huic tanto consensui aduersari necesse fuit.

Sed obiiciunt uiri politici, quid opus est iudicijs, si postea contra dicere licet, nec finiũt controuersias, nec tollunt discordias.

inimo [illegible] responderi
iudicijs tamen opus esse, quia uera Eccle
sia recte sentientes confirmat suo testimo
nio, & monstratis sententiæ causis, ali
quos errantes in uiam reuocat, sicut sæpe
hoc tempore nostris iudicijs reuocati sunt
aliqui ab erroribus Anabaptistarum.

Non igitur inutilia sunt iudicia, etiã
si multi non obtemperant, quos tan
dem compescet Deus, sicuti compescuit
Iudæos refragantes iudicio Apostoz
lorum.

Conuersis igitur in Ecclesia
magna uix unquã uoluntur, nisi ubi ra
ro Deus reprimet hostes ueritatis
ne quis
ea abijciendo ueritatis confessionem pro
Nec quicquam pulchrius in tã
to genere humano quã pia Synodus, quæ
placide & uere studio sine cupiditatibus
inquirit, & patefacit ueritatem, & suo
testimonio gloriam Dei ornat.

Talis cœtus uere est Chorus An
gelicus canens hunc hymnum. Gloria
in

in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis.

Itaque pias Synodos, & pia iudicia uenerémur, & quidem diligenter consideremus causas, & fontes sententiarum.

Sed discernamus Synodos. Cum impij Iudæi, qui nemem ordinariam posthabuerunt, decreta faciunt contumeliosa aduersus Deum, quæ recens fecerunt Synodi Ariminensis, & Bononiensis, aduersari necesse est.

Etsi igitur operandum est, ut pia Synodus recte iudicet coperuerit as; tamen quacunque iudicium instituetur, non est abijcienda ueritatis confessio, nec pronuntiatio quam se obtemperaturum esse iudicato, nisi ante decretum audierit. Deus imago iudiciorum ciuilium, & ecclesiasticorum, ad hæc certamina de gloria Dei transferatur.

Sed alio tempore hac de re copiosius differemus.

Dixi.

T v Dece-

DECANVS COLLEGII PHILOsophici, Philippus Melanthon, & collegæ qui audiuerunt petituros gradum Magisterij

QVOD faustum & fœlix sit tibi, & Reipub. admittimus te N. N. de consilij nostri sententia, ad publicum examen, & ad gradum Magisterij Philosophici, ac Deum æternum Patrem domini nostri Iesu Christi, fontem sapientiæ, ueris & ardentibus uotis oramus, ut, cum agnosci, & inuocari in genere humano sine doctrina non possit, studia literarum adiuues, & cœtus discentes tueatur.

Nos etiam, etsi per sese nihil cogitatione bonarum rerum dulcius est, & hominum naturæ conuenientius: tamen

men eo magis doctrinam amemus, quia scimus a Deo præcipi, ut discamus, & adiuuat ipse labores quos præcipit. Hac nos spe sustentemus in his difficultatibus, quibus nunc exercetur Ecclesia, & in hac militia Deo seruiendum esse sciamus. Datæ Vuitebergæ die 9 Septembris Anno 548.

Impressum Vuitebergæ apud Iosephum Klug.

CORRIGE.

B 8 facie prima uersu 8 pro exemplis lege pœnis.

K 1 facie prima uersu ultimo dele Philip. Melanthon.

L ultimo facie secunda uersu 9 post proponimus adde, ut,

M 1 facie secunda uersu 2 ꝑ uidetur lege uitetur.

M 2 facie secunda uersu 23 pro uos lege nos

M 4 facie prima uersu 7 pro ipsorum lege ipsarum

M 6 facie secunda uersu 1 pro uastationem lege uastitatem

R 7 facie secunda uersu 21 pro ulolet lege uolet

Finis.

Rector Academiæ

Vulgaris illa & pro exem-
plo sæpe consolatur vox omnia parentes
de pueritia, & docet ipsam pueritiam
non admirari infantes in Ecclesia
Dei sine vlla detestatione cum ec-
clesiæ vlla titulare consolatio respon-
dere possit, & nihil eorum a tenuis
nobis esse potest in tanta infirmitate
[illegible] & nihil
[illegible] & hanc
[illegible]
rimos perdat, quam [illegible] huius
huius parvuli [illegible] a Deo? Vt
filius Dei moriatur: Non est
Voluntas Dei. Vt pereat vnus
de parvulis istis. Nec vero tan-
tum ad consolationem parentum ha-
rendum sum, sed vos etiam iuniores
docet filius Dei Vt ipsum agnoscere

& invocare discant. Hæc sacri simè cogitanda sunt, ac in singulis infantium parentes hac cogitatione leniam dolorem. Fiet autem hoc ne vera pia fidelis Viri Venerandi Dñi Othonis Pomerani Ecclesiæ nostræ quem propter ministerij Evangelici dignitatem & propter ipsius integritatem omnes boni Viri diligunt & tantam vitæ scholasticos ut ad suum quisque munus & pia meditatione fidem & invocationem sibi exscribant.

ALIA D. Doctoris Pomerani

Suscepi laborem non contemnendum ut legam publicè & interpretem Ezechielem Prophetam, a cuius lectione deterruerunt etiam Rabini, quibus propter

obſcuritatem

RECTOR ACADEMIÆ
WITENBERGENSIS

In hodierna lectione Euangelij
nominat^r locus vbi Joannes
Baptista baptizabat Bethabora
÷ domus transitus, ac significari
consentaneum ꝺ Ecclesiam quæ
ꝺ domus Transitum ⁊ Vadum
ex hac mortali ⁊ ærumnosa vi-
ta in cœlestem ⁊ æternam pa-
triam ad quam DEVS immen-
sa misericordia Ecclæ mini-
strio nos transducat. Id bene-
ficium gratij agnoscamus ⁊ nos
ad recipiendum ꝓparemus.
Decessit cum hac nocte honest⁹
virorum Christophorus Cæsar
lius filius senis pie ⁊ fidei
liter seruientis Ecclæ Norim-

bevogensi. Postea in hoc morbo 7
in hoc ipso agone huius nocte assi-
dua Jnuocatione 7 sospe 7 Vni-
uersam Ecclam filio Dei dni
nostri JESV Christi commenda-
ui. Fuit autem fere hora
decimaquinta, quare hortamur
Scholasticos vt huic anne
Nosocomion Academie con
iungant 7 veris gemitib
7 votis inuocent filium Dei
7 petant vt bona ingenia
Ecclie seruet nec sinat fieri
barbaricam vastitatem, sicut
dixi Ego gestabo vos
etiam senescentes.
Die 22 decembris
Anno 1549.

DEo iuuante eras hora septima
inchoabo interpretationem Carmi-
nis Argonautici, quod ab Apol-
lonio magna cum laude scriptum
est. Oro autem filium Dei,
ut sicut in arca Noha vexit
suos Argonautas: Ita nunc
quoq; suum nauim regat,
in qua & nos ut peruenias
sospites ad portum Vitæ inter
magna pericula, in quibus nos
sua clementia seruet.

plet Melanc.

Oppressit vidua quam vexit Iasona nauis
Quam tulit auricomi villeris acer oues.
Non si Christe tuam quæ regis oppetimus

Arg

Sed Vide seruus, ne sim labi zelum
Nos rego in portum deducos alys gubernet.
Dilecti nostros nec sine Cthe tuos.

In passionem psal: xxii.

Hoc die vigesimo Martij ante annos mille, quin-
genteos, decem et septem, filius dei ingrediens asinae
ingressus est Hierosolymam, et ibi iuxta mandatum
Exo: 12 legis se verum agnum paschalem, et nocturnam
post quinq; annos, pro liberatione generis humani,
aeterno patri sisteret. Decet autem me, et te toto
pectore cohorrescere, quoties de hoc agno aeterni
patris, filio consubstore deo, gestante tua, et mea,
et totius mundi peccata, vel audis, vel cogitas.
Necesse enim est immensam fuisse iram dei ad
versus mea, tua, et totius mundi peccata, quae
non nisi in suo sanguine, et morte filij dei pla-
cari potuit. Necesse est etiam immensam erga
genus humanum esse amorem dei, qui ut S.
Bernhardus inquit. Vt servum redimat non
parcit filio. Vult igitur in genere humano in
omnem aeternitatem, utrumq; et iram suam ad

ñersus pessimi, et ineffabilem amorẽ erga
hanc miseram humanam naturam conspi-
ci, et celebrari deum θεόλογος (vt inquit
S. Paulus) ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος καὶ
καταλλαγῆς. Sonet igitur hodie exultatio-
nis, et salutis in tabernaculis iustorũ, si-
cut scriptum est Doctores celebrent hanc tan-
ta dei erga nos benefitia. Auditores gra-
tis animis, et auribus doctrinæ audiant,
hanc admirentur, et ad considerationem tan-
tarũ rerũ, et ad gratiarũ actionem vtrinq;
se excitent. Pungant nos tanti stipen-
dij, quæ causa filium dei θρόμβους san-
guinis guttas exudare, quæ causa
sua conspuitur, coronatur, flagellatur
et cruci adfigitur eos vix sensu alicui
rei tantis rebus adficij, quarum sensu
tota rerum natura expauescit & in adfi-
ciũr vt Sol obscuretur, scindantur sa-
xa, terra tremat, aperiantur sepulchra &.
Vt igitur cum tota Ecclesia memoriam sanc-
tæ passionis, et oblationis domini nostri
Jesu Christi hoc tempore celebremus, hodie
hora secunda Enarrationem psal: xxii
orsi sumus. xx Martij. Geor: Maior D.